INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALIS,
METHODO SYSTEMATICA PROPOSITÆ,

AUCTORE

P. DOMINICO SCHRAM

BENEDICTINO BANTHENSE SACRÆ THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM PROFESSORE EMERITO.

EDITIO SECUNDA VENETA

Emendata, aucta, Indice Rerum instructa, et in tria Volumina distributa.


TOMUS I.

VENETIIS

APUD FORESTI ET BETTINELLI

MDCCCXVII.

CUM REGIA APPROBATIONE



PRÆFATIO.

Compendium Theologiæ Dogmaticæ Scholasticæ & Moralis ante plures annos a me in lucem datum sub nomine Institutionum Theologiæ Dogmaticæ Scholasticæ & Moralis iteratis typis post varia fata superata tibi denuo exhibeo B. L. Scopum illius, serviendi scilicet illis, qui Prælectionibus Theologicis præsertim in Monasteriis præsunt, Candidatis item Theologiæ, & illis, quibus ob impendentia vel curæ pastoralis vel aliorum negotiorum onera ampla Theologorum volumina evolvere non licet, aspirante propitio Numine, non omnino frustratum intellexi; cum etiam præter omne meum meritum & expectationem hoc meum Compendium ad Cathedras etiam Theologicas in duabus celeberrimis Universitatibus Erfurtensi & Ingolstadiana per aliquot annos evectum fuerit, quod deinde doctioribus Institutionibus celeberrimorum Theologorum locum libenter cessit.

Quid vero in nova hac editione, Benevole Lector, expectare possis, paucis accipe. *Primo* totum systema & methodum systematicam in prima editione observatam accurate retinui; adeo ut nulla in numeris Paragraphorum mutatio facta fuerit, & consequenter illi, qui primam editionem habent, loca in aliis meis Scriptis editis allegata eodem ordine reperire valeant.

Secundo. Celeberrimorum Theologorum Scripta post meum Compendium in lucem edita diligenter consului, eorumque erudito labore & opera pro utilitate Legentium eosdem cum laude allegando feliciter usus sum, & Dogma a Schola accuratius distinxi.

Tertio. Quæstiones Scholasticas in Compendio meo satis quidem succincte expensas, maxime illas de Scientia media, magis adhuc stricte, & historice potius, quam Theologice proposui; tamen rejiciendas esse non censui, cum plures, illæ maxime, quas non expunxi, dogmata Fidei nostræ clarius illustrare & contra adversariorum cavillationes vindicare valeant.

Quarto. Denique in doctrina morali nonnullas sententias, quæ laxitatibus & probabilismo spurio favere videbantur, ad probabiliorem opinionem in Scholis plerumque adoptatam revocavi.

His omnibus in singulis tomis Index rerum, & materiarum accedit, ut ita faciliori usui Institutiones istæ servire queant. Auctores Heterodoxos, Deistas, & Protestantes, eorumque conficta recentiora systemata fuse recensere nolui, tum ne Institutiones hæ in plura volumina excrescerent, tum quia falsa eorum systemata quam frivole sunt conficta, tam facile negari possunt; maxime cum ipsi Protestantes nostri illa jam acerrimis Scriptis exagitaverint, & exploserint.

CONSPECTUS

CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET SCHOLIORUM,

Quæ in hoc Tomo continentur.

DISSERTATIO PROŒMIALIS.

Agit de necessitate Revelationis Divinæ, fontibus, unde illa hauriri debet, scilicet, S. Scriptura, Traditione, & Ecclesia, quæ illam nobis proponit & explicat; cumque Theologia hæc omnia methodice consideret, utilis est & necessaria.

§. 1. Theologia Dogmatica est scientia earum rerum, quæ in verbo Dei scripto & tradito nobis a Deo revelantur, & per Ecclesiam credenda proponuntur.
Schol. 1. Theologiæ nomen explicatur.
Schol. 2. Theologiæ divisio.
§. 2. Veritates revelatæ vocantur Dogmata Fidei, quæ in articulos fidei proprie dictos & reductive tales dividuntur.
Schol. 1. Dogma etiam a nonnullis in imperatum, liberum & toleratum dividitur.
Schol. 2. Divisio vero in articulos fidei fundamentales & non fundamentales omnino nulla est.
§. 3. Porro Doctrina a Deo revelata homini pro hoc statu est necessaria.
Schol. 1. Unde systema Religionis naturalis a Deistis assertum, est insufficiens.
Schol. 2. Solvuntur objectiones.
§. 4. Doctrinam revelatam discimus ex S. Scriptura & Traditione.
§. 5. S. Scriptura est verbum Divinum ipso afflante a SS. Scriptoribus in Libris V. & N. T. exaratum.
Schol. In hac vero inspiratione Spiritus S. vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter se habere potest.
§. 6. Igitur in S. Scriptura V. & N. T. verbum Dei revelatum vere continetur.
Schol. 1. Quam proinde Schwenkfeldius male rejicit.
Schol. 2. Solvuntur objectiones contra revelationem Scripturæ.

Schol. 3. Solvuntur objectiones contra Prophetias.
Schol. 4. Solvuntur objectiones conrra miracula.
Schol. 5. Testimonium Josephi Judæi de Christo.
Schol. 6. Imo omnia in S. Scriptura a Deo immediate inspirata fuisse bene dicunrur.
§. 7. Sacra hæc Scriptura 72. Libros complectitur, qui omnes sunt Canonici.
Schol. 1. Quorum 45. antiqua Synagoga, licet non omnes in suo Canone,
Schol. 2. Et 27. Catholica Ecclesia licet ab initio non semper in omnium particularium Ecclesiarum Canone agnovit.
Schol. 3. Unde immerito a Protestantibus Canon Catholicorum rejicitur.
§. 8. Reliquis autem Latinis editionibus Vulgata nostra merito prælata fuit.
Schol. 1. Textum tamen Hebraicum incorruptum Ecclesia non rejecit.
Schol. 2. Imo & Chaldaica Paraphrasis suam utilitatem præstat.
Schol. 3. Sicuti etiam versio Syriaca.
Schol. 4. Et Pentareuchus Samaritanus.
Schol. 5. Item Græca versio LXX. pura hodie adhuc est authenrica.
Schol. 6. Et aliæ Græcæ versiones, si S. Textum non corruperint, nobis serviunt.
Schol. 7. Quinimo Græcus Textus N. T. incorruptus maximæ auctoriratis est.
Schol. 8. Vulgata nostra S. Hieronymum seu versorem, seu emendatorem habet.
Schol. 9. Quam juxta Tridentinum omnes pro authentica admittere debent.
Schol. 10. Ex vulgaribus vero Versionibus nulla absolute est aurhentica.
§. 9. Et ideo lectionem S. Scripturæ in lingua Vulgari sine discrimine, merito prohibuit Ecclesia.
Schol. Non tamen absolute.
§. 10. Quippe S. Scriprura non in omnibus clara est.
Schol. Uti male docent Protestantes.
§. 11. Quæ obscuritas ex variis sensibus sub iisdem verbis latentibus etiam oritur.
Schol. Hinc pro sensu litterali & mystico nonnullæ Regulæ observandæ sunt.
§. 12. Præter S. Scripturam etiam Traditio est Regula Fidei.
Schol. 1. Cujus variæ sunt species.
Schol. 2. Imo & Judæi suas Traditiones habent.
Schol. 3. Et ideo Protestantes Traditionem male rejiciunt

Schol. 4. Solvuntur objectiones.
Schol. 5. An dentur Traditiones mere orales?
§. 13. Traditionis testes sunt Patres Ecclesiæ, quorum communis auctoritas in materia fidei & morum est infallibilis.
Schol. 1. Discrimen autem est inter Doctores Ecclesiæ, Doctores in Ecclesia, & Patres.
Schol. 2. In rebus naturalibus Patrum auctoritas tantum probat, quantum eorum ratio.
Schol. 3. Catalogum Patrum proinde nosse juvat.
Schol. 4. Communi Theologorum sententiæ contradicere erroneum & hæresi proximum est.
Schol 5. Canonistæ item, & Civilistæ in suo foro probant.
Schol. 6. Sicuti & Philosophi, & Historici.
§. 14. Verbum Dei scriptum & traditum proponit, & explicat nobis Ecclesia.
Schol. De qua falsum sibi systema Protestantes fingunt.
§. 15. Notæ veræ Ecclesiæ sunt, ut sit Una, Sancta, Catholica & Apostolica.
Schol. Non vero juxta Protestantes, pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio.
§. 16. Unitas Ecclesiæ consistit in unitate fidei, & communione cum uno Capite.
Schol. Non vero in unitate circa articulos fundamentales.
§. 17. Sanctitas consistit in sanctitate doctrinæ, Fundatorum & gloria miraculorum.
§. 18. Catholica est, si per totum orbem sit diffusa.
Schol. 1. Jam olim vero Ecclesia Catholica dicta fuit.
Schol. 2. Non tamen in sensu Protestantico.
§. 19. Apostolica est, quia ab Apostolis originem, doctrinam & legitimam Pastorum successionem derivat.
Schol. Hæc successio omnino est necessaria.
§. 20. Hæ notæ soli Ecclesiæ Romanæ conveniunt.
Schol. 1. Non vero Protestanticæ.
Schol. 2. Merito proinde vera Ecclesia Romana dicitur.
§. 21. Porro cum Ecclesia suas notas habeat, semper visibilis essse debet.
Schol. Ruit ergo invisibilis Ecclesia Protestantica.
§. 22. Nec unquam visibilis Ecclesia defecit, nec unquam est defectura.
Schol. Uti male docent Protestantes.
§. 23. Cum vero Ecclesia toto orbe dispersa semper commode audiri non possit, ejus Prælatos Deus subinde in Conciliis congregari voluit.
Schol. 1. Concilii descriptio juxta Protestantes.
Schol. 2. Concilia ergo probabiliter sunt Divinæ institutionis.

Schol. 3. Sunt vel particularia vel universalia, quorum catalogum nosse expedit.
§. 24. Convocatio Conciliorum Generalium ad Papam spectat.
Schol. 1. Non vero ad Principes laicos.
Schol. 2. Quis Concilia confirmet?
§. 25. Ejusdem Papæ est, vel per se, vel per Legatos suos Conciliis præsidere.
Schol. Non vero Principum sæcularium.
§. 26. Jus suffragii decisivi solis Episcopis competit.
Schol. 1. Et ex privilegio Abbatibus & Generalibus Ordinum.
Schol. 2. Non vero laicis.
§. 27. Concilium generale est infallibilis Controversiarum Fidei Judex.
Schol. 1. Etiam in Canonizatione SS. Ecclesia est infallibilis.
Schol. 2. Quæ omnia perverse negant Protestantes.
§. 28. Regulæ de auctoritate decretorum Conciliorum.
Schol. 1. Tridentinum a & in quibus receptum sit.
Schol. 2. Solvuntur objectiones contra Trident.
§. 29. Ecclesia etiam dispersa est infallibilis.
Schol. 1. An Ecclesia in factis dogmaticis sit infallibilis?
Schol. 2. Rationes contra infallibilitatem Ecclesiæ in factis dogmaticis.
Schol. 3. Rationes pro hac infallibilitate.
Schol. 4. An ab Ecclesia dispersa ad Concilium generale appellare liceat?
§. 30. Caput Ecclesiæ a Christo S. Petrus constitutus fuit.
Schol. 1. Quod male negant Protestantes.
Schol. 2. Et S. Petrus & S. Paulus non sunt duo Ecclesiæ capita.
§. 31. Romanus Pontifex S. Petro in primatu succedit, & est Caput Ecclesiæ.
Schol. Contra Protestantes.
§. 32. Prærogativæ autem primatus illius aliæ sunt ex jure Divino, aliæ ex reservatione, aliæ in Scholis adhuc controvertuntur.
Schol. 1. Jurisdictionem suam Papa immediate a Christo habet.
Schol. 2. Et S. Petrus Cathedram suam Romæ fixit.
Schol. 3. Cui jure Divino primatus affixus est.
Schol. 4. Et probabiliter est de fide, modernum Rom. Pont. esse legitimum S. Petri successorem.
§. 33. Ex his sequitur, Ecclesiæ regimen esse quidem Monarchicum, sed Aristocratia mixtum.
Schol. 1. Quod male negant Protestantes.

Schol. 2. Quippe etiam Episcopi jurisdictionem suam immediate a Christo habent.
Schol. 3. Sicuti & Parochi.
Schol. 4. Abbates vero & Generales ex privilegio ab Ecclesia concesso.
§. 34. Membra Ecclesiæ non sunt omnes & soli prædestinati, nec soli justi, nec Hæretici, Schismatici, Excommunicati & Infideles.
Schol. Unde Wicleffus & Jurius errant.
§. 35. Propositio igitur hæretica verbo Dei scripto vel tradito ab Ecclesia proposito contradicit.
Schol. 1. Ex quo eruitur, quid sit judicium Ecclesiæ dogmaticum.
Schol. 2. Item Propositio erronea &c.
Schol. 3. Et ad quem Censura Propositionum spectet.
Schol. 4. Quæ variis modis damnari possunt.
§. 36. Ut veritates fidei recte doceantur, methodus requiritur.
Schol. 1. Ad quam usus novarum vocum juvat.
Schol. 2. Quin & ratio humana.
§. 37. Quare Systema totius Theologiæ adornatur.
§. 38. Quæ Theologia est utilis & necessaria.
§. 39. Et originem suam ab antiquitate derivat.

CAPUT I.

De Deo.

Tractat de Existentia, Natura & Attributis Divinis.

§. 40. Deus est Ens a se, quo melius esse & excogitari non potest.
Schol. Varia ejus nomina in S. Scriptura occurrunt,
§. 41. Deus existit.
Schol. 1. Ruit ergo Atheismus.
Schol. 2. Et Systema Fatalistarum Spinozæ.
Schol. 3. Solvuntur objectiones Spinozæ.
Schol. 4. Ac Edelmanni.
Schol. 5. Et Systema Casuistarum.
Schol. 6. Idea Dei nobis est innata, nec dantur Athei Theoretici, & existentia Dei a priori demonstrari nequit.
Schol. 7. Ignorantia invincibilis Dei non datur.
Schol. 8. Aseitas omnimoda est gradus essentiæ Dei constitutivus.
§. 42. Deus existit per essentiam suam.
§. 43. Et quidem necessario.
§. 44. Hinc est immutabilis.
Schol. Etiam ratione decretorum suorum.

§. 45. Item est æternus.
Schol. Sine omni successione.
§. 46. Est primus & ultimus.
§. 47. Ens simplicissimum & Spiritus.
§. 48. Adeoque non est corporeus.
Schol. Uti docuerunt Anthropomorphitæ.
§. 49. Item oculis corporeis invisibilis.
Schol. 1. Contra eosdem Anthropomorphitas.
Schol. 2. Cui dogmati non contradicit S. Augustinus.
§. 50. Per nullam imaginem vere repræsentari potest.
Schol. Bene vero per figuras hieroglyphicas.
§. 51. Est incorruptibilis.
§. 52. Nec ulla datur in eo compositio.
Schol. Nec in compositionem alterius venire potest.
§. 53. Unde quidquid est in Deo, Deus est, & attributa ab essentia realiter non distinguuntur: Essentia tamen sine attributis, & unum attributum sine alio concipi potest.
Schol. 1. Attributa varie dividuntur.
Schol. 2. Sine reali tamen distinctione, uti Gilbertus putavit.
Schol. 3. Sicuti & Aetius distinctionem rationis inter ea male negavit.
Schol. 4. Utpote quæ inter ea datur.
§. 54. Deus est ens independens.
§. 55. Et infinitum.
Schol. Habens omnes perfectiones.
§. 56. Est incomprehensibilis.
Schol. In quo errarunt Anomæi.
§. 57. Est immensus & omnipræsens.
Schol. 1. Immensitas ab omnipræsentia differt.
Schol. 2. Quoad omnipræsentiam errant Samaritani.
§. 58. Deus unus est.
Schol. Ruit ergo Gentilismus & Idololatria.
§. 59. Nec dantur duo prima principia.
Schol. 1. Falsum proinde est Systema Manichæorum.
Schol. 2. Objectiones Bayle solvuntur.
§. 60. Deus intellectu & voluntate gaudet.
§. 61. Intellectus Dei est infinitus, illimitatus, immensus, incomprehensibilis, infallibilis.
Schol. Differt proinde ab intellectu creato.
§. 62. Deus omniscius est.
§. 63. Cognoscit se, alia extra se, occultas cogitationes, bona & mala, singularia, præterita, præsentia & futura.
§. 64. Cognitio Dei rerum omnium est necessaria, & æterna.
§. 65. Deus seipsum comprehendit.

§. 66. Et datur in eo vera scientia.
Schol. 1. Quæ differt a creata.
Schol. 2. Et pro captu nostro varie dividitur.
§. 67. Cognoscit res per causam.
§. 68. Et possibilia in Essentia sua omnium idea.
§. 69. Hinc datur idea in Deo, quæ est ejus Essentia a creaturis imitabilis.
Schol. An cognoscat res in seipsis, disputatur.
§. 70. Scientia Dei rerum omnium causa est.
Schol. Quomodo Deus futura cognoscat?
§. 71. Deus infallibiliter omnia præscit.
Schol. In quo erravit Cicero.
§. 72. Præscientia tamen Dei non lædit libertatem humanam.
Schol. 1. Uti male docuit Joannes Huss.
Schol. 2. In quonam medio cognoscat Deus futura absoluta libera, disputatur.
§. 73. Cognoscit futura contingentia conditionata.
Schol. An per scientiam mediam, controvertitur.
§. 74. Nec sensus, nec imaginatio in Deum cadunt.
§. 75. Nec reminiscentia, nec memoria.
§. 76. Nec datur in Deo oblivio.
§. 77. Nec admiratio.
§. 78. Datur tamen in eo suprema Ratio.
§. 79. Datur item in Deo voluntas.
§. 80. Quæ est inclinatio in bonum distinctissime cognitum.
Schol. Nec est in eo per modum potentiæ.
§. 81. Deus omne bonum vult, & omne malum aversatur.
§. 82. Voluntas Dei est æterna.
§. 83. Immutabilis.
Schol. Antecedens & consequens.
§. 84. Voluntas Dei, qua seipsum vult, est necessaria.
Schol. 1. Nequit aliquid velle suis perfectionibus repugnans.
Schol. 2. Quia voluntas est rectissima.
§. 85. Voluntas Dei antecedens non semper impletur, bene vero consequens.
Schol. Quod ejus perfectioni non obstat.
§. 86. Voluntas Dei antecedens est seria.
Schol. Et voluntas beneplaciti.
§. 87. Voluntate antecedente vult, omnes salvos fieri.
Schol. 1. Errat proinde cum Calvino Jansenius.
Schol. 2. An sit de fide, Deum omnium salutem velle?
§. 88. Voluntas Dei est causa rerum.
Schol. Mala vero solum permittit.
§. 89. Quæ permissio mali perfectionibus Dei non officit.
Schol. Eo ipso quod creatura sit peccabilis.

§. 90. Deus circa creaturas summe liber est.
Schol. In quonam autem libertas Dei consistat, difficulter explicatur.
§. 91. Deus libertate sua nunquam abutitur.
Schol. Objectum autem Divinæ voluntatis est Divina bonitas.
§. 92. Voluntas Dei consequens de rei existentia dicitur Decretum Dei.
Schol. 1. Quod est æternum & immutabile.
Schol. 2. 3. Undenam efficacia Divinorum Decretorum desumenda sit, controvertitur.
Schol. Quomodo libertas salvetur?
§. 93. Decretum Dei de certis hominibus salvandis dicitur Prædestinatio.
Schol. 1. & 2. Quæ explicatur & dividitur.
§. 94. Prædestinatio datur.
Schol. Contra Priscillianistas & Manichæos.
§. 95. Et soli prædestinati salvantur.
Schol. Singularis est ergo Catharini opinio.
§. 96. Prædestinatio est certa & infallibilis.
Schol. Cui certitudini S. Scriptura non obstat.
§. 97. Nemo tamen sine speciali revelatione de sua prædestinatione certus esse potest.
Schol. Uti putavit Calvinus.
Schol. 2. Licet nonnulla signa conjecturalia prædestinationis dentur.
§. 98. Numerus prædestinatorum a Deo determinatus est.
Schol. Sed soli Deo cognitus.
§. 99. Causa prædestinationis est bonitas Dei.
Schol. 1. 2. An vero a meritis prævisis pendeat, controvertitur.
Schol. 3. Solvuntur objectiones.
Schol. 4. Prædestinationis effectus.
§. 100. Reprobatio est decretum Dei, quo Deus vult permittere, ut aliqui sua culpa a gloria excidant; & pro culpa damnationis pœnam infligere.
Schol. Est vel positiva, vel negativa.
§. 101. Reprobatio datur.
§. 102. Reprobatio positiva est ex demeritis prævisis.
Schol. 1. Ruit proinde Systema Calvini.
Schol. 2. An vero motivum reprobationis negativæ sint demerita prævisa, controvertitur.
Schol. 3. An peccatum originale sit motivum reprobationis?
§. 103. Sapientia media convenientia fini subordinat.
§. 104. Deus igitur summe sapiens est.
§. 105. Finis Dei est manifestatio perfectionum suarum.
Schol. 1. Non vero primario felicitas creaturarum.

Schol. 2. Nec hoc ambitionem in Deo arguit.
§. 106. 107. Deus universum gubernat.
Schol. In qua gubernatione, finis, media & directio attendi debent.
§. 108. 109. Deus est omnipotens.
§. 110. Et per omnipotentiam suam omnia possibilia existentia reddere potest.
Schol. Non vero impossibilia.
§. 111. Item plura & meliora facere potest.
§. 112. Et miracula.
Schol. 1. 2. Quæ frustra impugnantur a Clarkio & aliis. Licet non sine causa Deus miracula faciat.
§. 113. 114. Deus summe bonus est.
Schol. 1. Indicia Divinæ bonitatis suæ dedit.
Schol. 2. Imo tantum boni cuivis vult conferre, quanti capax est.
Schol. 3. Et impiis etiam ex justo judicio benefacit.
§. 115. Deus beneficus est.
§. 116. 117. Deus summe misericors est.
§. 118. 119. Et infinite justus.
Schol. Adeoque & supremus Judex.
§. 120. Hinc peccatum impunitum non relinquit.
Schol. 1. Uti falso putant Sociniani.
Schol. 2. Justitia tamen commutativa proprie in eo non datur.
Schol. 3. Et in infligendis pœnis suos fines habet.
§. 121. Deus est longanimus.
Schol. Pœnam tamen non sine causa differt.
§. 122. 123. Et summe verax est.
Schol. Hinc mentiri non potest.
§. 124. Severus est & fidelis.
Schol. Vaticinia ergo implere debet.
§. 125. 126. Essentialiter Sanctus est.
§. 127. Semper vivit, & est immortalis.
§. 128. Est sibi sufficientissimus.
§. 129. Adeoque summe Beatus.
§. 130. Et summa Gloria & Majestate præditus.
§. 131. Deus affectus proprie non habet.
§. 132. Hinc, quid sit amor Dei,
§. 133. Quid odium,
§. 134. Quid Ira,
§. 135. Quid Pœnitentia,
§. 136. Quid Metus,
§. 137. Quid Zelus,
§. 138. Quid Lætitia,
§. 139. Quid tristitia, quæ subinde in S. Scriptura Deo tribuuntur, explicatur.

CAPUT II.

De Deo Trino.

Statuitur Divinitas Patris & Filii & Spiritus S. Unitas essentiæ, Processio, Ordo, & Distinctio Personarum Divinarum, Relatio, Circuminsessio & Missio.

§. 140. S. Scriptura Patrem & Filium & Spiritum S. Deum vocat.
Schol. 1. Spiritus Dei & Spiritus S. idem sonant.
Schol. 2. Filius cur Verbum dicatur?
§. 141. Pater esr Deus,
§. 142. Filius est Deus.
§. 143. 144. Et Patri consubstantialis.
Schol. 1. In quo erravit Cerinthus & Paulus Samosatenus,
Schol. 2. Sicut & Arius.
Schol. 3. Et Socinus, quorum Systemata referuntur.
Schol. 4. Et argumenta solvunrur,
§. 145. Divinitas Verbi a PP. semper asserta fuit.
Schol. 1. Quorum nonnulli ab hæresi vindicantur.
Schol. 2. Sicut & Liberius P. hæreticus non fuit.
Schol. 3. Hosius vero lapsus quidem est, sed resipuit.
Schol. 4. De Concilio Ariminensi.
Schol. 5. Hymnus, *Te Deum*, solum S. Ambrosium auctorem habet.
§. 146. 147. Spiritus S. est verus Deus.
Schol. Macedonius ergo hoc male negavit.
§. 148. Pater, Filius & Spiritus S. eamdem numero Divinam essentiam habent.
Schol. 1. Nec obstant argumenta Socinianorum.
Schol. 2. Vox ὁμουσία explicatur.
§. 149. Processio est productio seu origo unius ab alio.
Schol. Quotuplex sit, exponitur.
§. 150. Datur in Deo vera Processio.
Schol. 1. Et Sabellius eam frustra impugnat.
Schol. 2. Ac Processiones Divinæ sunt veræ actiones.
§. 151. Duplex est in Deo Processio.
Schol. Plures Processiones fingunt Valentiniani.
§. 152. Deus Pater generavit Filium.
Schol. Principium quo proximum generationis est Intellectus, connotans relationem Patris.
§. 153. Pater ergo intelligendo generat Filium.
Schol. 1. Et quidem per intellectionem essentialem, connotantem relationem Patris.
Schol. 2. Ita ut Filius ex cognitione eorum, quæ sunt formaliter & essentialiter in Deo, generetur.

§. 154. Hæc generatio est necessaria, æterna, immanens, perfectissima.
Schol. 1. Unde solvuntur varia hæreticorum argumenta.
Schol. 2. Et explicatur, quomodo Pater sit principium Filii.
§. 155. Spiritus S. a Patre & Filio procedit.
Schol. 1. Unde errant Græci.
Schol. 2. Et particula *Filioque* Symbolo recte addita fuit.
§. 156. Pater & Filius mutuo amore spirant Spiritum S.
Schol. 1. Qui proinde merito Spiritus S. dicitur.
Schol. 2. Principium autem quo proximum Processionis Spiritus S. est voluntas, connotans relationem Patris & Filii.
Schol. 3. Discrimen inter generationem Filii, & Processionem Spiritus S. assignare nescimus.
§. 157. Spiratio hæc est necessaria, æterna, immanens.
§. 158. Pater & Filius sunt unum principium Spiritus S.
Schol. Quomodo nomina adjectiva & substantiva in hoc Mysterio prædicentur, explicatur.
§. 159. Pater essentiam Divinam quoad modum habendi a se habet.
Schol. In sano ergo sensu Principium Divinitatis dici potest.
§. 160. Ratione ordinis in subsistendo primus est Pater, secundus Filius, tertius Spiritus S.
§. 161. Non vero datur in tribus Divinis Personis ordo perfectionis vel temporis, vel dignitatis.
§. 162. Licet Pater, Filius & Spiritus S. realiter a se distinguantur.
Schol. 1. Cui distinctioni non obstant argumenta Sabellii.
Schol. 2. Ex hoc colligitur, quid sit Trinitas.
§. 163. SS. Trinitas in V. T. etiam fuit cognita.
Schol. Patriarchis, Prophetis, & nonnullis Sanctis revelata.
§. 164. Deus est substantia singularis, completa, communicabilis.
§. 165. Non est suppositum, nec unica Persona.
Schol. 1. Quid sit Persona, subsistentia, οὐσία, φύσις, ὑπάρξις, explicatur.
Schol. 2. Absoluta subsistentia in Deo non datur.
§. 166. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tria supposita.
§. 167. Et tres Personæ.
Schol. 1. Quod non evertunt argumenta Sabellianorum.
Schol. 2. Et ideo tres subsistentiæ in Deo relativæ bene admittuntur.
§. 168. Præterea dantur in Deo Relationes reales.
Schol. Quæ sunt Perfectiones.

§. 169. Absoluta in Deo sunt tribus Personis communia, non vero relativa.
Schol. 1. Nonnullæ tamen perfectiones communes certis Personis accommodantur.
Schol. 2. Et communis in Deo existentia admitti potest.
§. 170. Datur in Divinis Circuminsessio.
§. 171. Et notiones in illis recte ponuntur.
Schol. 1. 2. Sed solum quinque.
§. 172. Missio etiam in Divinis datur.
Schol. Quæ vario modo fieri potest.
§. 173. Denique Mysterium SS. Trinitatis sola ratione naturali evidenter demonstrari nequit.
Schol. Nullæ ergo sunt demonstrationes a quibusdam excogitatæ.

CAPUT III.

De Angelis.

Exponit Creationem, Naturam, Perfectiones, Ordines, lapsum & supplicium Angelorum malorum, & Beatitudinem bonorum.

§. 174. Schol. Etymon vocis *Angeli*.
§. 175. Angelus est substantia spiritualis completa, informando corpori non destinata.
§. 176. Dantur Angeli.
Schol. Id quod ratione naturali vix demonstratur.
§. 177. Angeli a Deo creati sunt.
Schol. 1. 2. Quando & quo die, exponitur.
§. 178. Angeli sunt Spiritus.
Schol. Nec argumenta opposita contrarium evincunt.
§. 179. Quare sunt incorruptibiles.
Schol. Et quidem ex natura sua.
§. 180. Angeli intellectu & voluntate gaudent.
§. 181. Deum, se, & alia a se cognoscunt.
Schol. Quomodo hæc cognitio fiat, explicatur.
§. 182. Sunt hominibus perfectiores.
Schol. 1. Nec obstant argumenta contraria.
Schol. 2. Et discrimen inter eos & homines assignatur.
§. 183. Multa tamen ignorant, uti futura libera, cogitationes secretas, mysteria gratiæ.
§. 184. Igitur possunt in cognitione crescere.
Schol. 1. Vel per experientiam, vel per revelationem.
Schol. 2. Imo errare etiam possunt.
§. 185. Angeli libera voluntate gaudent.
Schol. 1. Amant proinde seipsos.
Schol. 2. Objecto deliberate volito immobiliter adhærent.

Schol. 3. Et affectus suos habent.
§. 186. In corpora agere possunt.
Schol. Quomodo autem agant, explicatur.
§. 187. Magna potentia gaudent.
Schol. Hinc mirabilia possunt efficere.
§. 188. Item hominibus visibiliter apparere.
Schol. Quomodo apparere possint?
§. 189. Non tamen sunt omnipotentes.
§. 190. Ex uno loco in alium se movere possunt.
Schol. 1. Miracula tamen facere & mortuos suscitare non valent.
Schol. 2. Quomodo autem sint in loco, explicatur.
§. 191. Novem sunr Ordines Angelorum, & tres Hierarchiæ.
Schol. 1. Numerus Angelorum incertus est.
Schol. 2. Ordinibus eorum non obsunt argumenta contraria.
Schol. 3. Quotum Ordinum proprietates exponuntur.
Schol. 4. An vero omnes Angeli specie differant, definire nolumus.
§. 192. Angeli sibi colloquuntur.
Schol. 1. Quomodo hoc fiat,
Schol. 2. Et quomodo unus alterum illuminet, exponitur.
§. 193. Angeli in rectitudine intellectus & voluntatis creati sunt.
Schol. Imo & cum gratia sanctificante.
§. 194. Nonnulli eorum peccaverunt.
Schol. 1. Et quidem peccato superbiæ.
Schol. 2. Quod ex inconsideratione processit.
§. 195. Per peccatum statum gloriæ perdiderunt.
§. 196. Et a Deo in Infernum detrusi sunt.
§. 197. Et quidem statim post peccatum.
Schol. 1. Unde sententia contraria est erronea.
Schol. 2. Nonnulli tamen dæmones in aere versantur.
Schol. 3. Ubi etiam pœnam sensus patiuntur.
§. 198. Dæmones igne materiali torquentur.
Schol. 1. Contraria sententia est temeraria.
Schol. 2. Quomodo vero ignis materialis damnatos,
Schol. 3. Et dæmones in aere torqueat, explicatur.
§. 199. Infernus autem est locus materialis.
§. 200. Et supplicia ejus sunt æterna.
Schol. 1. Contra errorem Origenis.
Schol. 2. Et Deus juste Angelis peccantibus non pepercit.
§. 201. Dæmon homines infestat.
§. 202. Eorum corpora obsidere & possidere potest.
Schol. 1. Quod non evertent Adversarii.
Schol. 2. Signa possessionis diabolicæ.
§. 203. Item somnia suggerere,

§. 204. Et oracula fundere potest.
§. 205. Item morbos inferre,
§. 206. Agere in corpora,
§. 207. In forma visibili apparere,
§. 208. Et Magiam diabolicam exercere valet.
Schol. 1. An vero Magia diabolica modo detur, controvertitur.
Schol. 2. Saltem possibilis est.
§. 209. Dæmon nihil horum potest sine permissione Dei.
Schol. Quid autem possit, exponitur.
§. 210. Angeli boni beatitudinem meruerunt.
Schol. Quomodo meruerint, explicatur.
§. 211. Gaudent ergo Visione beatifica.
§. 212. Nec peccant, nec peccare possunt.
Schol. Ex statu suæ beatitudinis.
§. 213. Deum laudant.
§. 214. Homines custodiunt.
§. 215. Ita ut singuli homines suum S. Angelum custdem habeant.
Schol. 1. Non obstantibus argumentis contrariis.
Schol. 2. Ex omnibus Ordinibus mittuntur.
Schol. 3. Et ministerium suum exhibent.
Schol. 4. Quin & malus Angelus singulis hominibus delegatus est.

CAPUT IV.

De Mundo visibili, opere sex dierum, creatione hominis, & ejus lapsu.

§. 216. 217. Deus mundum ex nihilo creavit.
Schol. 1. Objectiones contra Creationem solvuntur.
Schol. 2. Et quomodo Deus creaverit, exponitur.
§. 218. Deus mundum libere creavit.
§. 219. Creavit eum in tempore.
Schol. Et ab æterno creare non potuit.
§. 220. Historia Creationis ex Moyse peti debet.
Schol. Cujus auctoritatem infirmare Boolinkbrok frustra conatur.
§. 221. Ante hunc mundum nec alii mundi fuerunt, nec modo sunt.
§. 222. Partes mundi successive sex dierum spatio productæ fuerunt.
Schol. 1. Qui dies naturales, non vero Angelici fuerunt.
Schol. 2. Quo anni tempore & die mundus creatus fuerit, exponitur.
§. 223. Opera primi diei,
§. 224. Opera secundi diei,

§. 225. Schol. Tertii diei, cum situ Paradisi,
§. 226. Schol. Quarti diei, cum reflexione super Lunicolas,
§. 227. Et quinti diel recensentur.
§. 228. Item opera sexti diei & Creatio hominis,
Schol. Et in quo consistat vita hominis, exponitur.
§. 229. Anima rationalis non est particula Dei.
Schol. Uti falso putant Emanatiani.
§. 230. Nec de uno in aliud corpus transmigrat.
Schol. Uti docuit Pythagoras.
§. 231. Nec propagatur ex semine, vel traduce.
Schol. Uti volunt Traduciani.
§. 232. Nec creata est extra corpus.
Schol. Uti docuit Origenes.
§. 233. Sed a Deo creatur, quando corpori infunditur.
§. 234. Anima rationalis est spiritualis.
Schol. Nec obstant argumenta Materialistarum.
§. 235. Et immortalis.
Schol. Nec contrarium probant Materialistæ.
§. 236. Homo constat duabus solum partibus, scilicet, corpore & anima.
Schol. 1. Non vero pluribus, uti volunt Fanatici.
Schol. 2. Nec sola anima, uti contendunt Idealistæ.
§. 237. Creatio Evæ recensetur.
Schol. 1. Quæ non est allegorica, uti vult Cajetanus.
Schol. 2. Et fœmina verus homo est.
§. 238. Eva intra hexameron creata fuit.
Schol. Nec corpus Adami fuit androgynum.
§. 239. Fœmina autem propter virum creata est.
§. 240. Deus homini in escam omnes fructus Paradisi concessit, excepta arbore scientiæ boni & mali.
Schol. Corpus Adami giganteum non fuit.
§. 241. Adam omnium hominum primus fuit.
Schol. Falluntur igitur Præadamitæ.
§. 242. Deus mundum bonum creavit.
§. 243. Ita tamen, ut perfectiorem absolute creare posset.
Schol. An hic mundus sit optimus?
§. 244. 245. 246. Omnia item a se creata continuò conservat.
Schol. Nec objectiones contrarium evincunt.
§. 247. 248. Annihilare etiam creaturas solus Deus potest.
§. 249. 250. Et ad actiones creaturarum concurrit.
§. 251. 252. Deus etiam creaturis providet.
Schol. Et quidem variis modis.
§. 253. Specialem vero providentiam erga hominem exercet.
Schol. Unde de loquela illi providit; quænam vero primæva lingua fuerit, expenditur.

§. 254. Homo etiam rerum supernaturalium notitiam a Deo in creatione accepit.
§. 255. Et cum voluntate recta creatus est.
Schol. Et cum gratia sanctificante seu justitia originali.
§. 256. Instructus fuit appetitu sensitivo.
§. 257. Et dominium habuit super omnia animalia.
Schol. Carnium tamen esus in statu innocentiæ non fuit.
§. 258. Homo in statu innocentiæ fuit immortalis.
§. 259. Quæ immortalitas erat gratiæ beneficium.
Schol. Elevatus quidem est homo ad finem supernaturalem; status tamen naturæ puræ est possibilis.
§. 260. Præcepit Deus homini, ne de arbore scientiæ boni & mali comederet.
§. 261. Sed hoc præceptum homo, suadente diabolo per serpentem, transgressus est.
Schol. Qui serpens naturalis fuit.
§. 262. Comedit ergo de fructu vetito.
Schol. Et primum ejus peccatum fuit superbia.
§. 263. Hinc peccatum originale ortum est.
§. 264. Quod in omnes Adæ posteros traducitur.
Schol. Adeoque erravit quoad hoc Pelagius.
§. 265. Peccatum vero originale non est substantia animæ.
Schol. Uti male docuit Illyricus.
§. 266. Nec concupiscentia.
Schol. 1. Uti volunt Lutherani.
Schol. 2. Sed in privatione justitiæ originalis consistit.
Schol. 3. Quod quomodo traducatur, explicatur.
§. 267. Omnes ex Adamo carnaliter propagati contrahunt originale.
Schol. 1. Nisi speciali privilegio muniantur.
Schol. 2. Quod habuit Beatissima Virgo Maria.
Schol. 3. Quæ tamen debitum proximum ad illud contrahendum habuit.
Schol. 4. Licitum ergo est Votum sanguinarium pro defendenda Immaculata Conceptione B. V.
§. 268. Homo per peccatum justitiam originalem perdidit.
§. 269. Et pœnæ originale consecutæ, sunt: Mors, Ignorantia, Concupiscentia, Pudor nuditatis, Morbi &c.
Schol. Quod male negant Pelagiani.
§. 270. Hinc omnibus moriendum est.
Schol. Nec ulla datur exceptio.
§. 271. Pœna originalis per Baptismum non deleti est privatio visionis beatificæ.
Schol. An vero infantes sine Baptismo decedentes etiam pœnam sensus patiantur, incertum est.
§. 272. Adam denique de suo peccato pœnitens æternam salutem consecutus est.
Schol. Nec contrarium suis argumentis probat Tatianus.

CAPUT V.

De Incarnatione Verbi Divini.

Exponitur Adventus Messiæ & Incarnatio Verbi Divini, Conceptio ejus, Nativitas, Perfectiones animæ illius, Unio hypostatica, & officia Christi.

§. 273. Incarnatio est unio Personalis naturæ Divinæ & humanæ in una Persona Verbi.
§. 274. Incarnatio est possibilis.
Schol. Non obstantibus argumentis contrariis.
§. 275. Et conveniens Deo, homini & Verbo Divino.
§. 276. Possibilitas tamen ejus ratione naturali evidenter demonstrari nequit.
Schol. Nec eam ostendent Adversarii.
§. 277. Angeli igitur eam ex revelatione didicerunt.
Schol. Dæmones vero aliquando dubii fuerunt.
§. 278. Incarnatio Adamo revelata fuit.
§. 279. Promissio Messiæ etiam Abrahæ facta est.
§. 280. Item Jacobo *Gen.* 49. revelata est.
Schol. In cujus Vaticinio nomine Judæ, tota natio Judaica intelligitur.
§. 281. Item Danieli c. 9.
Schol. 1. Cujus Prophetiam male pervertunt Judæi.
Schol. 2. 3. 4. Et hebdomadarum exordium indagatur.
§. 282. De Messia etiam Aggæus c. 7. prophetavit.
Schol. Quam Prophetiam male explicant Judæi.
§. 283. Messias promissus jam venit.
Schol. Judæorum ergo systema evertitur.
§. 284. 285. 186. 287. Characteres Messiæ assignat S. Scriptura.
§. 288. Quæ conveniunt Jesu Nazareno, qui proinde est verus Messias.
Schol. Nec objectiones aliquid probant.
§. 289. Annuntiatio & Conceptio Christi refertur.
§. 290. Quippe a Virgine conceptus fuit,
§. 291. Conceptione miraculosa.
Schol. Cujus modus exponitur.
§. 292. Corpus Christi successive productum non fuit.
§. 293. Animam rationalem habuit.
Schol. Quod male negant Apollinaristæ.
§. 294. Humanitas Christi opus SS. Trinitatis est.
§. 295. Christus natus est ex Virgine.
Schol. 1. Non more aliorum hominum.
Schol. 2. 3. 4. Quoto anno & die; item an præsepi alli-

garentur Bos & Asinus, & Translatio S. Domus Nazarethanæ, expenditur.
§. 296. Beatissima Virgo etiam post partum Virgo permansit.
Schol. Contra errorem Helvidii.
§. 297. Et Christus ex semine David ortus fuit.
Schol. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Difficultates in Genealogia Christi occurrentes dissolvuntur.
Schol. 7. Et Beatissimæ Virginis Parentes assignantur.
§. 298. Christus verus homo factus est.
Schol. Et Phantasiastæ merito refutantur.
§. 299. Ante Incarnationem corpus non habuit.
Schol. Uti male sentit Barclajus.
§. 300. Item Christus infirmitates humanæ naturæ assumpsit.
Schol. 1. Quod male negant Incorrupticolæ.
Schol. 2. An vero ex necessitate naturæ doloribus obnoxius fuerit, controvertitur.
§. 301. Imperfectiones autem morales non assumpsit.
Schol. 1. Uti male putat Calvinus.
Schol. 2. Nam nec peccavit, nec peccare potuit.
§. 302. Nec infirmitates humanas personales assumpsit.
Schol. An vero forma decorus fuerit, incertum est.
§. 303. Anima Christi perfectissimam scientiam habuit.
Schol. Contra Gnosticos & Valentinianos.
§. 304. Visione etiam beatifica, non tamen comprehensiva, donata fuit.
Schol. Sed quomodo hæc cum doloribus steterit, difficulter explicatur.
§. 305. Gratiam habuit substantialem, capitis, habitualem, actualem operantem, gratis datas, virtutes morales infusas & acquisitas, & dona S. Spiritus.
§. 306. Duæ in Christo sunt naturæ.
Schol. Eutyches ergo errat in suo systemate.
§. 307. Sed una tantum Persona.
Schol. 1. Hinc falsum est Nestorii systema.
Schol. 2. Quem Concilium Ephesinum merito damnavit.
Schol. 3. S. Cyrillus vero ab omni hæresis labe immunis est.
Schol. 4. Tria etiam Capitula merito damnata sunt.
Schol. 5. Et Joannes Ant. hæresi Nestorii non adhæsit.
§. 308. In Christo datur unio Personalis.
Schol. Quo sensu vero compositus dici possit, exponitur.
§. 309. Unio personalis est realis, habet initium, non est absolute necessaria, & indissolubilis.
§. 310. Hinc in triduo etiam mortis Christi unio hypostatica cum corpore & anima permansit.

Schol. 1. Item Sanguis in triduo Passionis effusus Divinitati unitus permansit.
Schol. 2. Particulæ tamen S. Sanguinis in nonnullis Ecclesiis hodiedum asservatæ, hypostatice Verbo non sunt unitæ.
§. 311. Unitio personalis in ipso instanti Conceptionis facta fuit.
§. 312. Ideo Beatissima Virgo recte dicitur Deipara.
Schol. Quem titulum illi perverse aufert Nestorius.
§. 313. Unio hypostatica est Mysterium.
Schol. 1. Quod opiniones Scholasticæ non satis explicant.
Schol. 2. Unio hæc facta est in Persona Verbi.
§. 314. Ex unione hac fluit duplex in Christo voluntas & operatio.
Schol. 1. Quam frustra impugnant Monothelitæ.
Schol. 2. Quibus Honorius P. non adhæsit.
Schol. 3. An vero a Synodo VI. excommunicatus fuerit, controvertitur.
§. 315. In Christo datur communicatio idiomatum in concreto.
Schol. Hinc Christus in sano sensu potest dici Creatura.
§. 316. Et hæc propositio: Unus e Trinitate passus est, est Catholica.
§. 317. Christus non potest dici Filius Dei adoptivus.
Schol. 1. Uti male sensit Elipandus.
Schol. 2. Imo ne quidem secundum humanam naturam.
§. 318. Nec Christus secundum humanam naturam est ubique.
Schol. Uti male contendit Lutherus.
§. 319. Et humanitas Christi Verbo unita unica cum illo adoratione adoranda est.
Schol. Ideo Magi vere Christum adorarunt.
§. 320. Porro Incarnatio non fuit absolute necessaria.
Schol. 1. Ne quidem ex supposito decreto Creationis mundi.
Schol. 2. An vero Deus hominem sine Incarnatione salvare potuerit, expenditur.
§. 321. Motivum Incarnationis est redemptio hominis.
Schol. Adamo ergo non peccante, Christus non venisset.
§. 322. Christus unionem hypostaticam per opera tempore priora non meruit.
Schol. Nec per opera natura priora, nec Beatissima Virgo eam meruit.
§. 323. Officium Christi triplex est, Sacerdotale, Propheticum & Regium.
§. 324. Christus vere pro nobis satisfecit.
Schol. 1. & 2. Unde impium Socini systema corruit.
§. 325. Satisfactio Christi fuit necessaria.

Schol. 1. Solvuntur objectiones.
Schol. 2. Qua necessitate, controvertitur.
§. 326. Fuit æquivalens, & superabundans.
Schol. 1. Et quidem ex se.
Schol. 2. Et infiniti valoris.
Schol. 3. Ac ad strictos juris apices.
§. 327. Fuit universalis.
Schol. 1. Contra Calvinum.
Schol. 2. De Gothescalco & Concilio Valentino.
§. 328. Christus ut homo Deus satisfecit.
§. 329. Ac vere meruit.
Schol. Et quidem a primo Conceptionis instanti.
§. 330. Christus est verus Sacerdos.
Schol. Secundum ordinem Melchisedech.
§. 331. Melchisedech nec fuit Angelus, nec Filius Dei.
Schol. 1. Uti censent Melchisedechiani.
Schol. 2. Quis fuerit, ignoramus.
§. 332. Christus ut homo Deus est verus Mediator.
Schol. 1. Hinc Osiander refutatur.
Schol. 2. Et ratio datur, cur Christus oraverit.
§. 333. Christus est Propheta & Doctor.
Schol. Quod munus anno vitæ trigesimo incepit.
§. 334. Officia Doctoris Christus exercuit.
Schol. Non tamen aliquid scripsit, ne quidem epistolam ad Abgarum.
§. 335. Officio Doctoris etiam per Apostolos fungitur.
§. 336. Christus est Rex.
Schol. Regnum ejus quotuplex, indicatur.
§. 337. Christus est caput Ecclesiæ, hominum & Angelorum.
Schol. Non vero hæreticorum.
§. 338. Christus est Legislator.
§. 339. Et Judex vivorum & mortuorum.
Schol. An vero regnum etiam temporale habuerit, controvertitur.
§. 340. Status exinanitionis Christi consideratur.
Schol. Et tempus Crucifixionis ejus.
§ 341. Anima Christi vere ad inferos descendit.
Schol. Unde errant Lutherani & Calvinistæ.
§. 342. Denique exaltatio Christi in Resurrectione maxime enituit.
Schol. Quam Woolstonius frustra impugnat.

CAPUT VI.

De Gratia Christi.

Explicatur Natura Gratiæ; Gratiæ gratis datæ, Gratia actualis, habitualis, Justificatio & Meritum expenduntur.

§. 343. Gratia est donum supernaturale homini lapso concessum per merita Christi in ordine ad salutem æternam.
Schol. 1. 2. Explicatur definitio, & variæ divisiones gratiæ recensentur.
§. 344. Dantur gratiæ gratis datæ, quarum novem recenset Apostolus.
Schol. 1. Nec plures sunt admittendæ.
Schol. 2. Et differunt a gratia gratum faciente.
§. 345. Gratia actualis ad fidem & ejus initium est necessaria.
Schol. 1. Falsum ergo est systema Pelagianorum.
Schol. 2. Et systema Semipelagianorum.
Schol. 3. Quorum objectiones solvuntur.
Schol. 4. An homo veritates naturales sine gratia cognoscere possit, expenditur.
§. 346. Homo sine gratia actuali bonum supernaturale nec velle, nec perficere potest.
Schol. 1. Solvuntur objectiones Pelagianorum.
Schol. 2. Qualis gratia requiratur, & quid illi, & libero arbitrio tribuendum sit?
§. 347. Potest tamen homo sine gratia Fidei opera moraliter bona naturalia facere, nec omnia Infidelium opera sunt peccata.
Schol. 1. Quod male asserit Bajus in suo systemate.
Schol. 2. Cujus objectiones solvuntur.
§. 348. Peccator etiam bonum opus facere potest, nec omnia peccatorum opera sunt peccata.
Schol. 1. Unde solvuntur objectiones Baji.
Schol. 2. Etiam illæ contra Bullam S. Pii V.
Schol. 3. An homo sine gratia actuali bonum morale naturale facere.
Schol. 4. Item an Deum super omnia amare.
Schol. 5. Et omnia præcepta legis naturæ observare possit, exponitur.
§. 349. Homo non potest sine speciali gratiæ privilegio per totam vitam omnia peccata venialia vitare; bene vero ex privilegio, quod Beatissima Virgo habuit.

Schol. 1. An omnia venialia deliberata vitare possit, controvertitur.
Schol. 2. Objectiones solvuntur.
Schol. 3. An item peccator mortalia sine gratia vitare & tentationes vincere possit, explicatur.
§. 350. Homo sine gratia a lapsu resurgere nequit.
Schol. 1. An sine gratia ad gratiam se disponere.
Schol. 2. Et quomodo facienti, quod est in se, Deus non deneget suam gratiam, explicatur.
§. 351. Justus sine speciali gratia in bono usque ad finem vitæ perseverare nequit.
Schol. 1. Imo & parvuli hoc dono indigent.
Schol. 2. Solvuntur objectiones.
Schol. 3. Justus etiam an sine speciali gratia diu perseverare possit, exponitur.
§. 352. Gratia sufficiens definitur.
Schol. 1. Explicatur definitio gratiæ sufficientis.
Schol. 2. Jansenii systema exponitur.
Schol. 3. Et errores Quesnellii.
§. 353. Gratiæ interiori resisti potest.
§. 354. Datur ergo gtatia vere sufficiens.
Schol. Hinc objectiones solvuntur.
§. 355. Et quidem omnibus justis datur gratia sufficiens.
Schol. Nec obstant argumenta Jansenii.
§. 356. Imo omnibus omnino vel datur, vel præparatur.
Schol. 1. Hinc objectiones solvuntur.
Schol. 2. Et an Infidelibus,
Schol. 3. Item excæcatis peccatoribus,
Schol. 4. Ac infantibus dentur gratiæ sufficientes & media ad salutem, exponitur.
§. 357. Gratia actualis bene dividitur in operantem & cooperantem.
Schol. Quarum natura explicatur.
§. 358. 359. Datur in statu naturæ lapsæ gratia efficax.
§. 360. Cujus efficacia non debet peti ex delectatione victrice necessitante.
Schol. 1. Uti male docet Jansenius.
Schol. 2. An vero graria fiat efficax per consensum voluntatis, uti vult Molina,
Schol. 3. An a circumstantiis congruis, in quibus datur,
Schol. 4. Item an ab intrinseco sit efficax,
Schol. 5. Et an hæc intrinseca efficacia a coacervatione plurium auxiliorum,
Schol. 6. Aut a præmotione physica petenda sit, controvertitur.
Schol. 7. Efficacia gratiæ a delectatione moraliter determinante petenda est.
Schol. 8. Solvuntur objectiones.

Schol. 9. Et an Adam in statu innocentiæ ad perseverandum gratia efficaci eguerit, explicatur.
§. 361. Gratia habitualis definitur.
Schol. Et varia ejus nomina referuntur.
§. 362. Datur gratia habitualis seu sanctificans.
§. 363. Quæ est quid intrinsece animæ inhærens.
Schol. 1. Hinc Lutheri systema exhibetur.
Schol. 2. Et objectiones solvuntur.
Schol. 3. Et quid sit hoc donum inhærens gratiæ sanctificantis, expenditur.
§. 364. Gratia sanctificans est quid permanenter animæ inhærens.
Schol. 1. An vero hoc sit de fide,
Schol. 2. Et an sit accidens absolutum,
Schol. 3. Item an a Charitate realiter distinguatur, expenditur.
§. 365. Gratia habitualis comites habet virtutes infusas.
Schol. Quæ variæ sunt.
§. 366. Et quidem virtutes Theologicæ una cum gratia infunduntur.
Schol. Et probabilius etiam reliquæ virtutes morales.
§. 367. 368. Schol. Sicuti & dona Spiritus Sancti.
§. 369. Horum actus vocantur fructus S. Spiritus.
§. 370. Et si insigne donum sint, Beatitudines, quarum octo sunt.
§. 371. Justificatio definitur & explicatur.
§. 372. In Justificatione peccata vere delentur.
Schol. Nec contrarium probant objectiones Lutheranorum.
§. 373. Et ideo Justificatio non fit per meram imputationem justitiæ Christi.
Schol. 1. Solvuntur objectiones.
Schol. 2. Nec homo absolute per favorem mere extrinsecum justificari potest.
Schol. 3. Sicuti nec peccatum stare cum gratia sanctificante.
§. 374. Ad Justificationem in parvulis non requiritur dispositio; bene vero in adultis, quæ consistit in fide, spe &c.
Schol. 1. In quo errant Lutherani.
Schol. 2. Undenam vero effective procedat ultima dispositio ad gratiam, controvertitur.
Schol. 3. An justificatio fiat in instanti, explicatur.
§. 375. Fides ad justificationem requisita non est fiducia Lutheranorum.
Schol. 1. Qui male disponunt ordinem salutis.
Schol. 2. Adeoque ordo salutis a Catholicis statutus illi præferendus est.
Schol. 3. Et Lutheranorum objectiones solvuntur.

§. 376. Sola Fides etiam confidentialis non justificat.
Schol. Uti male contendunt Lutherani.
§. 377. Nec ullus sine revelatione potest certus esse de sua gratia.
Schol. 1. Quod non probant argumenta Lutheranorum.
Schol. 2. Nec quis certus est certitudine Theologica de sua gratia.
Schol. 3. Nec omnimoda certitudine morali.
§. 378. Justus etiam a gratia excidere potest.
Schol. Non obstantibus argumentis contrariis.
§. 379. Sola enim Fides non salvat.
§. 380. Sed opera bona sunt necessaria ad salutem.
Schol. Quod male negant Lutherani.
§. 381. Hinc dantur opera perfecte bona, quæ nullo modo sunt peccata.
Schol. Et solvuntur objectiones Protestantium.
§. 382. Item dantur opera supererogatoria.
Schol. Contra eosdem Protestantes.
§. 383. Quæ sunt meritoria vitæ æternæ.
Schol. Cujus oppositum non probant argumenta Lutheranornm.
§. 384. Licitum proinde est, intuitu æternæ mercedis operari.
§. 385. Ut autem opus sit meritorium, certas conditiones habere debet.
Schol. 1. Non tamen requiritur, ut sit supererogatorium.
Schol. 2. Bene vero, ut fiat ab homine in gratia existente.
§. 386. Ex his definitur Meritum.
Schol. 1. Et dividitur.
Schol. 2. Ostenditur, requiri ad illud promissionem Dei.
Schol. 3. Et opera nostra esse de condigno meritoria vitæ æternæ.
Schol. 4. Ita tamen, si fiant ex influxu Charitatis virtualis.
§. 387. Primam gratiam actualem nemo de condigno vel congruo mereri potest, nec primam habitualem de condigno.
Schol. 1. Mereri tamen quis potest primam habitualem de congruo.
Schol. 2. Objectiones solvuntur.
§. 388. Justus de condigno augmentum gratiæ mereri potest; non vero primam gloriam, sed tantum secundam.
§. 389. Nec de condigno reparationem post lapsum mereri potest, nec perseverantiam finalem.
Schol. 1. Solvuntur objectiones.
Schol. 2. Nec de congruo infallibiliter reparationem post lapsum meretur.
Schol. 3. Nec donum perseverantiæ.
§. 390. Justus tamen mereri potest bona temporalia.

CAPUT.. VII.

De ultimo Fine Hominis & Beatitudine.

Explicatur quisnam sit ultimus Finis hominis, quænam Beatitudo animæ post mortem, & quænam Gloria corporis.

§. 391. Finis est id, cujus gratia aliquid fit.
Schol. Varie dividitur.
§. 392. Datur finis simpliciter ultimus.
Schol. Qui multiplex esse nequit.
§. 393. Solus Deus est ultimus hominis finis.
§. 394. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.
Schol. Quotuplex sit, explicatur.
§. 395. Beatitudo hominis objectiva pro omni statu solus Deus est.
Schol. 1. Non probant ulla argumenta contrarium.
Schol. 2. Deus est etiam Beatitudo hominis naturalis.
§. 396. Perfecta Beatitudo in hac vita non datur: sed imperfecta solum in Charitate Dei consistens.
§. 397. Perfecta vero Beatitudo post mortem datur.
Schol. Variis nominibus in S. Scriptura exprimitur.
§. 398. Beati intuitive Deum vident.
Schol. 1. Quæ est visio beatifica.
Schol. 2. Cujus possibilitatem male negant Armeni.
Schol. 3. An vero Deus per sui ideam videatur, explicatur.
Schol. 4. Item an transeunter aliquibus in vita concessa fuerit visio intuitiva?
Schol. 5. Item an Enoch & Elias hac visione beatifica modo fruantur?
Schol. 6. Possibilitas visionis beatificæ ratione naturali positive demonstrari nequit.
§. 399. Beati ad Deum videndum lumine gloriæ indigent.
§. 400. Quod lumen gloriæ non est Lux increata.
Schol. 1. Uti male sentiunt Palamitæ.
Schol. 2. Quid sit, expenditur.
Schol. 3. Per uberiorem Dei concursum suppleri potest.
Schol. 4. Et intellectus active ad eam eliciendam concurrit.
§. 401. Beati vident ea, quæ sunt in Deo formaliter, imo & aliquas creaturas.
Schol. Quomodo vero eas videant, explicatur.
§. 402. Deum Beati summe amant.
Schol. An vero necessario, discutitur.

§. 403. Beati sunt impeccabiles.
Schol. Et quidem ab intrinseco.
§. 404. Corpora etiam suo tempore gloriosa erunt, quorum quatuor dotes sunt.
§. 405. Beati summa voluptate perfruuntur.
Schol. In quo vero Beatitudo eorum formalis consistat, controvertitur.
§. 406. Beatitudo Sanctorum æterna est.
§. 407. Beati Deum laudant.
§. 408. Beatitudo & visio beatifica non est in omnibus æqualis.
Schol. 1. Objectiones solvuntur.
Schol. 2. Et causa inæqualitatis hujus assignatur.
§. 409. Ob inæqualitatem datur triplex Beatorum laureola, Virginum, Martyrum & Doctorum.
Schol. Quid vero sit, explicatur.
§. 410. Post mortem Judicium particulare statim sequitur.
§. 411. Et justi nullis pœnis obnoxii statim beatitudinem quoad animam consequuntur.
Schol. 1. Hoc male ab aliquibus negatur, quorum objectiones solvuntur.
Schol. 2. Nec Joannes XXII. contrarium definivit.
Schol. 3. An Justi V. T. ante adventum Christi beatifica visione donati sint?
§. 412. Si quid vero animæ post mortem luendum restet, in Purgatorium ibit.
Schol. Quod male negant Protestantes.
§. 413. Animæ tamen Purgatorii vivorum precibus & suffragiis juvari possunt.
Schol. 1. Nec contrarium probant argumenta Protestantium.
Schol. 2. De loco vero Purgatorii, pœna & duratione illius, nihil definivit Ecclesia.
§. 414. Corpora mortuorum resurgent.
Schol. 1. Quod male negarunt Sadducæi.
Schol. 2. Qualia vero corpora resurgant, expenditur.
§. 415. Judicium universale in fine mundi erit.
Schol. Cujus circumstantiæ ex S. Scriptura indicantur.
§. 416. Signa etiam Judicium universale præcedent, maxime Antichristus.
§. 417. Non tamen erit regnum millenarium in terris.
Schol. Quod non evincunt Millenarii suis argumentis.
§. 418. Absolutó judicio, corpora Beatorum in Cœlum translata sua gloria donabuntur.
Schol. Quod Cœlum ex S. Scriptura describitur.

DISSERTATIO PROŒMIALIS DE THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

NATURA, NECESSITATE, ET LOCIS THEOLOGICIS.

§. 1. In verbo Dei scripto & tradito ea continentur, quæ ab homine æternam salutem consecuturo credenda sunt. Quæ cum ex variis S. Scripturæ locis & Sacræ Traditionis fontibus hauriri, & justo ordine disponi possint, singulare quoddam disciplinæ genus nascitur, quod *Theologiam Dogmaticam* appellamus. Quæ proinde definiri potest: *Scientia earum rerum, quæ in verbo Dei scripto & tradito nobis a Deo revelantur, & ab Ecclesia Catholica credenda proponuntur.* *Definitio Theologiæ Dogmaticæ.*

Schol. 1. Theologiæ nomine juxta S. Augustinum *l.* 8. *de civitate Dei* sermonem de Divinitate intelligimus: qua generali appellatione omnem de supremo Numine orationem, sive per scientiam instituta sit, sive fabulis, sive Rhetorum figmentis, sive sacra, sive superstitiosa & profana fuerit, Theologiam dicere possumus. Proprie autem Theologos eos vocamus, qui ex arcanis revelatis de Divinitate disserunt, quo nomine S. Dionysius Areopagita in suis, uti a nonnullis creditur, libris, Prophetas & Apostolos passim Theologos appellat. *Theologiæ nomen.*

Schol. 2. Theologia, si de Deo agat per solum lumen rationis, dicitur *Theologia naturalis*, quæ proinde merito in Philosophia explicatur: si vero per lumen divinæ revelationis, dicitur *Theologia revelata*, & quia veritates revelatæ vel sunt dogmata fidei, seu credenda, vel præcepta morum, seu agenda, & præterea Theologia tum ad Religionem defendendam, tum ad bonos animarum pastores efformandos comparata esse debet, Theologia ulterius dispescitur in *Dogmaticam* quæ credenda; & in *Moralem*, quæ agenda persequitur; & *Pastoralem*, quæ Pastores animarum; & *Polemicam*, quæ fidei defensores instituit & efformat. Quia vero in explicandis his omnibus certa methodus observari potest, ideo si in explicandis fidei capitibus, moribus dirigendis, & propugnandis dogmatibus Theologia fusiori & oratorio stylo procedat, uti Patres consueverunt, dicitur *Theologia Po-* *Theologiæ divisio.*

sitiva: si vero dialecticæ ope presso stylo & certa methodo res fidei & morum exponuntur, vocatur *Theologia Scholastica*, in qua etiam conclusiones ex revelatis sano ratiocinio deductæ, & aliæ quæstiones, quæ illustrandis fidei dogmatibus lucem afferre possunt, rejectis tamen inutilibus concertationibus, pertractantur. Denique sæculo quinto Ecclesiæ postquam libri S. Dionysii Areopagitæ nomine insigniti, de quorum Auctore Critici hodiedum disputant, apparuerunt, nomen Theologiæ Symbolicæ, & Mysticæ primum audiri cœpit. *Theologia Symbolica* sacra symbola sive notas rerum figurate divina repræsentantium explicat, & mysteria sub illo figurarum cortice contenta enucleat. Talem se scripsisse Auctor librorum S. Dionysii nomine inscriptorum fatetur, quæ tamen modo non amplius extat. *Theologia Mystica* non præcise speculando, sed practice dirigendo & movendo conformiter ad principia practica revelata procedit per omne genus moralis perfectionis ad magis ac cognoscendum & amandum Deum, & ita ad mores perficiendos usque ad unionem voluntatis creatæ cum divina per summos apices. Liber de hac Theologia utilissima sub nomine Sancti Dionysii adhuc extat, qui in mea Analysi Patrum *tom.* 1. videri potest; eamque S. Maximus M. Pachymæras & alii commentariis suis illustrarunt. Interim vero Theologiæ mysticæ systema exhibui in meis Institutionibus Theologiæ Mysticæ in duos Tomos in 8vo distributis.

Continet Articulos fidei. §. 2. Veritates fidei in verbo Dei scripto & tradito revelatæ vocantur *dogmata* Fidei, quæ si sint veritates fidei principales omnibus ad salutem scitu necessariæ & nobis ad explicite credendum propositæ, dicuntur *Articuli fidei* proprie dicti: uti Articuli fidei in Symbolo Apostolorum comprehensi. Cæteræ vero veritates minus principales nec omnibus ad salutem scitu explicite necessariæ, nec nobis ut tales ad explicite credendum propositæ, dicuntur *Articuli fidei improprie & reductive*, quatenus reduci possunt ad aliquem ex articulis fidei proprie dictis, quales sunt multæ veritates in S. Scriptura revelatæ; uti quód Christus fuerit pannis involutus &c.

Schol. 1. Annatus in Appar. dogma Catholicum generice sumptum dividit in dogma *imperatum*, *liberum*, & *toleratum*. Dogma *Catholicum imperatum*, quod solum est dogma fidei, nihil aliud est, quam fidei dogma omnibus cum obligatione sive explicite sive implicite credendi propositum, quod siquis negaret, habendus foret hæreticus: v. g. *quod Deus sit trinus in Personis*, *quod duæ sint in Christo voluntates*. Dogma *liberum*

est quæcumque doctrina, quæ est talis, ut neque sit de fide, neque fidei nociva, & de qua tenenda, vel non tenenda est libera cuique in Ecclesia facultas: v. g. *doctrina de æterna hominum prædestinatione ante vel post ipsorum prævisa merita*. Dogma *toleratum* est doctrina illa, quæ talis est, ut non sit de fide, neque satis notorie contra fidem & hæretica, quia nondum ab Ecclesia damnata est ut hæretica, sed tolerata: qualis dici olim potuit ante Damasi Romani Pontificis tempora doctrina *de millenario Christi in terris regno post resurrectionem et judicium extremum futuro*, quam *Papias* omnium primus invexisse creditur, & tenuisse *S. Justinus*, & *S. Irenæus*, quin tamen dicantur hæretici, quia hæc doctrina tunc nondum satis notorie erat contra fidem, nec ab Ecclesia damnata ut hæretica.

Schol. 2. Protestantes dogmata ad salutem creditu necessaria vel utilia appellant *Articulos fidei*: hos dividunt in *Fundamentales & non Fundamentales*. *Fundamentales* salva salute aut ignorari, aut negari nequeunt, ideoque rursus sunt vel *Primarii* vel *Secundarii*. *Non Fundamentales* ignorari quidem, quin & negari possunt absque detrimento æternæ salutis, haud parum tamen scriptu et creditu utiles sunt. Verum *Primo* hæc articulorum distinctio incognita est toti antiquitati. *Secundo* inter nostros Protestantes hactenus conveniri non potuit, quinam distincte sint fundamentales, aliis aliter definientibus, aliis alios articulos assignantibus. *Tertio* Articuli fidei non fundamentales vel sunt a Deo revelati, & sic salute salva negari non possunt: vel sunt doctrina, quæ neque est de fide, neque fidei nociva, & de qua tenenda vel non tenenda est libera cuique in Ecclesia facultas; & sic erunt dogmata libera juxta n. 1. & abusive solum nomine articulorum fidei denotantur: vel sunt dogmata in verbo Dei tradito contenta, & ab Ecclesia definita, in quo sensu etiam Protestantes sumunt Articulos non fundamentales; sed sic spectatos omnes articulos hos revelatos esse & ad fundamentales pertinere, hoc nimirum sensu, quod illos negare aut impugnare nemini, qui salvus esse velit, licitum sit, merito contendunt omnes Catholici, ut ex dicendis de Traditione & Ecclesia patebit.

Divisio in articulos fundamentales & non fundamentales nulla est.

§. 3. *Ut homo in hoc statu veritates ad salutem scitu necessarias cognoscat, Divina revelatione indiget*. Nam *Primo* ad perfectionem humani intellectus pertinet, immunem esse ab errore & ignorantia maxime circa moralia, quia hæc adversantur homini etiam secundum naturam suam spectato. Sed hanc immunitatem homo non obtinet sine revelatione, uti probat experientia in anti-

Revelationis necessitas.

quis Philosophis, qui divino quodam ingenio præditi omnem operam ad cognoscendam perfectam recti honestique regulam contulerunt, & tamen moralem suam doctrinam multis erroribus obfuscarunt. Sic Cato fornicationem ad vitanda adulteria permitti voluit, teste Cicerone *pro Cœlio*. Plato crudelem liberorum expositionem *l. 5. de Republ.* Taceo Cynicorum obscœnitates; quæ & alia gentilium Philosophorum vitia illis exprobrat S. Justinus *in orat. ad Græcos n. 3. & seqq.* Tatianus *orat. cont. Græc. n. 4. & 25.* Clemens Alex. *admonit. ad gent.* Tertullianus *in apologet.* S. Augustinus *de civ. l. 5. c. 13.* & alii. *Secundo* quoad veritates etiam speculativas cum Religione connexas de Deo, origine mundi, anima, & fine hominis ultimo, Philosophi in magna ignorantia & erroribus versabantur, cum alii plures Deos, alii mundum ab æterno, alii animam mortalem, alii pro fine ultimo voluptatem, vel aliud quid statuerint, ut apparet ex S. Justino *cohortat. ad Græc.* Hermia *in irrisione gent. Phil.* Lactantio *l. 3. div. instit.* quod argumentum copiose pertractavit Genuensis *Metaph. part. 2. cap. 7. §. 8.* cui accedit quod homo per solam revelationem cognoscat finem suum ultimum, scilicet Deum clare visum & possessum sub ea ratione, qua est vere beatificus, ad quem semper tendit, cum perfectam in hac vita beatitudinem se consequi non posse satis clare vel ex ipsa cordis sui inquietudine experiatur. Sane principia naturalia hunc finem homini non manifestant, alias enim antiqui Philosophi solertia sua eum detexissent. *Tertio*. Per solam revelationem divinam discit homo media ad consequendum finem suum ultimum necessaria, quippe quæ a voluntate Dei unice dependent. *Quarto*. Licet ratio naturalis nobis dictet, omniumque gentium consensus confirmet, Deo cultum deberi & reverentiam; attamen qualem cultum Deus a nobis exigat, nec natura satis determinat, nec ratio sufficienter investigat; imo si rationem consulamus, illa nobis suggerit, hunc cultum non ex nostra, sed divina determinatione dependere, sicuti obsequia Principi debita ab ipso determinari debent, ut subditi sui pro beneplacito suo ipsi serviant. Revelatio ergo requiritur, alias enim ad absurdas superstitiones ratio sibi relicta deflectet, uti in gentilibus eorumque deliris & absurdis mysteriis Orphicis, Eleusinis, & humanis victimis immolatis apparet, de quibus Strabo *l. 12.* Herodotus *l. 7.* & alii testantur. *Quinto*. Deum sæpe offendimus; jam vero ratio quidem dictat, quod illum placatum nobis reddere, illique pro illata injuria satisfacere debeamus; sed ratio sola nequit cognoscere, quonam modo sibi accepto Deus

placari, & sibi satisfieri velit; igitur per solam revelationem divinam hoc nobis innotescere potest. Nec juvat cum Tyndalio *La rel. chret.* dicere, Deum solo interni animi dolore & pœnitentia placari; nam hoc ipsum nullus sine revelatione divina certo & sine ulla dubitatione asserere potest; unde etiam apud Ethnicos non sola pœnitentia, sed varia sacrificia expiatoria, seu Februa dicta, ad crimina expianda necessaria esse credebantur. *Sexto* denique Revelatio ea nobis ostendere debet, quæ Dei essentiam, attributa, voluntatem, decreta, & opera spectant, quæ omnia utpote infinita limitato nostro intellectu cognoscere non possumus, cum sint mysteria, quæ supra, non vero contra rectam rationem sunt, adeoque nobis ad credendum proponi possunt. Vide *Dictionaire des sciences Ecclesiastiques t.* 6. in quo Catalogus plurimorum Religionis revelatæ Propugnatorum exhibetur, e quibus omnibus quasi medulla extracta est, & in defensionem Religionis non minus fortiter quam eleganter exposita a Cl. P. Richard.

Schol. 1. *Naturalistæ*, qui circa medium Sæculi XVI. *Deistæ* appellari cœperunt; cum *Deistæ* alias vocari solerent illi, qui Deum agnoscunt, sed ejus providentiam, vel aliquem cultum illi deberi negant; docent hominem sola religione naturali æternam vitam impetrare posse. *Systema Deistarum.* Est autem *Religio naturalis* cultus, quo Deum prosequendum esse, sola ratione edocemur. Cultus hic involvit cognitionem existentiæ, essentiæ, & Attributorum Dei, prout in Theologia naturali demonstrantur. 2. Cognitionem dependentiæ mundi a Deo per creationem, conservationem, concursum, gubernationem & providentiam. 3. Notitiam sui ipsius, præsertim animæ & ejus immortalitatis. 4. Studium servandi leges naturæ mortalium cordibus a Deo inscriptas. Unde Deistæ tollunt omnem revelationem Divinam, & quævis fidei mysteria, & volunt Religionem naturalem nulla revelatione Dei externa aut mutari, aut augeri, aut restringi potuisse. Deistarum primus & famosissimus in Anglia habetur, *Eduardus Baro Herbert de Cherbury*. Hic in Libro *de veritate, prout distinguitur a Revelatione, a verosimili, a possibili, & falso* an. 1624. Parisiis edito, & in libro *de Religione Laici*, & in alio *de Religione Gentilium, errorumque apud eos causis*, hoc systema adornavit. Primo ponit quinque dogmata Religionis cujusdam universalis, quæ sola salvare potest; scilicet 1. *esse Deum summum.* 2. *Eum coli debere.* 3. *virtutem & pietatem esse præcipuas partes cultus Divini.* 4. *dolendum esse de peccatis, & ab iis resipiscendum.* 5. *dari ex justitia & pietate Divina præ-*

mium vel pœnam tum in hac vita, tum post illam. Secundo probat, *hos quinque articulos ab omnibus cujuscumque religionis hominibus semper creditos & retentos esse.* Tertio asserit, *eos, si credantur & observentur, sufficere ad salutem.* Quarto concedit quidem gentiles varias superstitiones hos articulos corrumpentes & obruentes adjecisse, sed putat, *id non impedire hominum salutem, dummodo substantia universalis hujus doctrinæ integra retineatur.* Quinto ex his omnibus concludit, *Christianorum Religionem bonam quidem & salvificam esse, id autem non minus de aliis quoque Religionibus asseri oportere contendit.* Illum secutus est Jo. Tolandus, Matthæus Tyndalius, Comes de Shaftesbury, Woolstonius, Collins, Voltairius, Helvetius, qui tamen publice palinodiam cecinit; La Metrius, Rousseauvius, quorum, maxime Anglorum, scripta refert & refutat Leland in Epistolis de Scriptis Deisticis. Recentia vero Deistarum scripta quamquam amaro in Catholicos stylo enumerat Less in Walchs neuester Religionsgeschichte.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 2. Naturalistæ seu Deistæ pro sufficientia Religionis naturalis his potissimum argumentis pugnant. I. Deus non permisisset totum humanum genus corrumpi, nisi homini simul medium in hominis potestate positum ad corruptionem suam emendandam, scilicet lumen naturæ dedisset, quod si non sufficeret, Deus inique egisse videretur. *Resp.* Etiam doctrina revelata eatenus est in nostra potestate, quatenus illius per gratiam particeps quis fieri potest, quod medium Deus omnibus hominibus dare vult, & actu etiam dat, quia revelavit, & siqui illud non acceptent, illorum culpa est, nec Deus iniquus dici potest. II. Qui a peccato sibi cavet, damnari non potest, & homo propter solam transgressionem Legis naturæ damnatur, ergo etiam per solam ejus observationem a peccato sibi cavere potest. *Resp.* Hæc argumenta laborant in falso supposito, hominem solis naturæ viribus in statu naturæ lapsæ & corruptæ omni peccato actuali & voluntario carere, & legem naturæ sine gratia exacte servare posse, quod cum falsum sit, remedio se cum Deo reconciliandi indiget, quod ex dictis (§. 3.) nonnisi per revelationem cognoscit: quippe opus quidem malum contra Legem naturæ commissum damnat, sed bonum opus, siquis peccaverit, sine satisfactione Deo placita, adeoque revelanda ab eo, non salvat. III. Qui unum Deum ex lumine naturali & credit & colit, & quinque articulos (*Schol.* 1.) citatos probat & observat, facit, quod est in se; nec illis aliquid addi necesse est, per quod magis perfectus reddatur. Ergo illi sine alia revelatione sufficiunt ad sa-

lutem. *Resp.* Lumen naturæ solum non nobis ostendit, quomodo Deus a nobis coli & placari velit; & dicti articuli tantum in genere docent, quid faciendum sit, non autem in particulari, ad quod revelatio requiritur. IV. Religio revelata non differt a naturali, tum quia eumdem Auctorem Deum habet; tum quia fundatur in nexu hominum cum Deo & aliis hominibus; tum quia revelata nec minus nec plus continet, quam ratio præcipit; tum quia alias Deus tulisset leges plane arbitrarias. *Resp.* Religio revelata differt a naturali, ratione finis supernaturalis; ratione mediorum in particulari determinatorum; & ratione subjecti, scilicet hominis lapsi & a Christo redempti: unde eumdem quidem auctorem Deum Religio revelata habet, sed ut auctorem supernaturalem gratiæ, non solum ut auctorem naturæ: connectitur cum Deo ut offenso per peccatum, Judice, & Auctore supernaturali, & plus continet, quam ratio attingit, quia tendit ad supernaturalia; & tradit leges arbitrarias, id est, tales, quarum ratio ex principiis rationis reddi nequit. V. Saltem mysteria utpote obscura, ad praxim inutilia, & supra rationem ad Religionem nihil conferunt. *Resp.* Cum homo per Religionem totum se devovere, & ad divina ac supernaturalia quantum potest se elevare debeat, mysteria merito a Deo revelantur, ut & intellectum in obsequium fidei captivando Deo consecret, & ad majorem illius amorem & obsequium excitetur.

Principia veritates revelatas cognoscendi.

§. 4. *Principia, a quibus veritates revelatas haurimus, sunt, Sacra Scriptura, Traditio & Ecclesia.* Ad Traditionem revocatur *omnium SS. Patrum consensus in uno dogmate:* ad Ecclesiam vero reducuntur tum *Concilia generalia*, quæ eam repræsentant, tum *decreta summorum Pontificum*.

Schol. S. Scriptura, Traditio & Ecclesia dicuntur *loci Theologici interni necessarii: loci* vero *interni non necessarii*, qui subministrant principia, e quibus eliciuntur propositiones magis vel minus probabiles, sunt *Auctoritas Conciliorum Provincialium & Nationalium, & sanctorum Patrum*, quando separatim spectantur, ac *Theologorum*. Locus externus ad elucidandas veritates Fidei est vel *Ratio*, vel auctoritas Philosophorum & Historicorum.

S. Scriptura est Divina.

§. 5. *Sacra Scriptura est verbum Dei, ipso afflante a Sacris Scriptoribus litteris consignatum in libris Veteris & Novi Testamenti.*

Modi inspirationis Divinæ.

Schol. Deus tripliciter mentem alicujus scriptoris potest afficere: 1. revelatione, dum ignotam antea veritatem illi manifestat in extasi, sive per revelationem ima-

ginariam, sive intellectualem, vel per allocutionem & visionem sensibilem externam, vel per inspirationem internam in vigilia. Hoc modo dicitur Spiritus Sanctus se habere cum Sacris scriptoribus *antecedenter*, & inspirat ac revelat dicenda vel scribenda ita, ut non sit in potestate scribentis, aliud scribere. 2. *Concomitanter* se habet Spiritus Sanctus ad modum, quo quis alterum v. g. oculo dirigeret, ne erret, vel fallatur. Unde scriptor est liber quoad exercitium, & saltem ab intrinseco quoad specificationem, licet ab extrinseco ob assistentiam Spiritus Sancti sit determinatus ne erret; quare debet ad res & verba proferenda attendere, nec certo novit, ea, quæ scribit, esse a Deo, nisi aliunde de assistentia Spiritus Sancti sit certificatus. 3. *Consequenter* se habet Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu a scriptore scriptum fuerit, quod deinde Spiritus Sanctus verum esse testatur.

S. Scriptura continet revelationem Divinam. §. 6. *In Libris veteris & Novi Testamenti Revelatio vere Divina continetur. Primo* enim hi Libri ab illis scriptoribus scripti fuerunt, a quibus scripti esse perhibentur; ita testantur ipsi Auctores horum librorum, qui sane utpote homines ingenio præstantes, ingenui, nulla temporalis commodi spe ad hoc provocati, imo cum præsentissimo vitæ periculo, quam etiam nonnulli eorum pro veritate gloriose profuderunt, non minorem fidem saltem historicam merentur, quam alii scriptores profani: jam vero sacri hi scriptores passim testantur, se a Deo sibi revelata scripsisse, uti passim in eorum libris apparet; testantur, inquam, renitentibus sæculi potestatibus, ridente & obmurmurante mundo contra Legem carni adeo inimicam, inveteratis præjudiciis & antiquis superstitionibus adversam: consentientibus e contra & fidem eorum dictis tamquam a Deo inspiratis præbentibus viris per singula sæcula sapientissimis, colla superba & delicata Legi adeo severæ subjicientibus, gloriæ, divitiarum & voluptatum hujus mundi avidissimis. Revelationem igitur vere Divinam nobis hi scriptores referunt, nisi eos vel insignes impostores, vel sapientes omnes post accuratam eorum dictorum crisin fidem adhibentes, omnino stupidos, vel sæculi hujus potentes & amatores Legibus his Divinis se submittentes effœminate meticulosos dicere velis, quod sane ab ingenuo homine & sana ratione ipsa abhorret. *Secundo*. Arcana & futura libere contingentia nonnisi per revelationem Divinam cognosci possunt. At vero Prophetæ in sacra Scriptura res tradiderunt ab omni sensu remotas, & tales quidem, quarum subinde nullam hactenus ideam habuerant, quæ multis adhuc sæculis distabant, & in præsenti re-

rum statu sui rationem non habebant, quæque exacte postea implebantur, sicuti ab illis prædictæ fuerant, uti videre licet in Prophetiis de captivitate Babylonica, de Christo &c. quarum eventum non sacri solum, sed & profani Historici recensent, quibus fidem omnem abnegare nec humanum foret: sola igitur Divina revelatione (nam ad futura libera prævidentia spirituum se non extendit, quæ naturæ vires non excedit), non vero sola imaginatione, quæ futuros eventus nec determinat, nec ab illis determinatur, certo prævideri potuerunt, & consequenter quia in S. Scriptura recensentur, Revelatio vere Divina in hac continetur. Vide S. Justinum *in dial. cum Tryphone*, Origenem in libris *cont. Celsum*, S. Cyprianum *de vanit. idol.* & præter alios Huetium *in demonst. Evang. prop.* 5. *Tertio*. Divinam revelationem S. Scripturæ confirmat sanguis Martyrum pro ejus veritate generose profusus, clamat doctrinæ sanctitas & puritas, testatur gloria miraculorum a scriptoribus coævis, fide dignis, nullam exinde utilitatem, quinimo pœnam & persecutiones expectantibus relatorum. Maxime cum horum miraculorum non soli Evangelistæ & Apostoli, sed etiam Judæi & gentiles, quorum tamen interetat eorum fidem impedire, meminerint. Fatetur *Josephus l.* 18. *Antiq. c.* 3. sub Tiberio vixisse Jesum doctrina & miraculis clarum: Tiberius ipse Jesum inter Deos Romæ cultos referre voluit, uti narrat *Tertullianus in Apol. c.* 5. *Celsus* apud *Origenem c.* 7. & *Julianus* apud *S. Cyrillum l.* 6. infensissimi Nominis Christiani hostes Jesum miracula ab Evangelistis relata fecisse negare non audebant: ergo humano ingenio efficta non sunt. Vid. præter citatos PP. cl. P. Reiss in tract. *de mirac.*

Schol. 1. *Libertini* seu *Quintinistæ* Auctore *Joanne Quintino* Piccardo an. 1525. in Brabantia grassantes, *Quintinistæ.* S. Scripturam pro fabula habuerunt, quos secutus est *Casparus Schwenkfeldius* Silesius. *Deistæ subtiles* non audent negare, S. Scripturam vitæ & fidei regulam esse, putant tamen eam tantum esse declarationem Religionis naturalis, & juxta normam rationis intelligi debere, eaque solum credenda & agenda esse, quæ ratio approbat, & vera vel bona esse judicat, reliqua vero negligenda; unde negant Divinam Scripturæ inspirationem. Cum vero illis obstent tum testimonia ipsius Scripturæ de Divina sua origine, tum vaticinia futurorum impleta, tum miracula, quibus Prophetæ Divinam suam missionem probarunt: respondent, inspirationem hanc fuisse mandatum Divinum, religionem naturalem renovandi, & ab erroribus purgandi; in quo tamen negotio Prophetæ errare potuerunt, imo non raro actu erraverunt.

Item Prophetias esse vel meras Prophetæ præsumptiones, vel potentioris imaginationis inventa; miracula vero nunquam facta sunt, utpote quibus nulla vis probandi veritatem & Divinitatem Doctrinæ inest. *Deistæ crassiores* impudentiores sunt; negant enim Prophetas, Jesum ipsum & Apostolos aliquid Divini docuisse, sed fuisse callidos impostores, Divinam inspirationem mentitos esse, & hac specie innumeros homines in superstitionem raptos fefellisse. Omnes hi ex dictis (§. 6.) refelluntur. Videri etiam possunt *Huetius de demonst. Evang.* & ex Protestantibus *Leland in scriptis Deisticis.*

Solvuntur objectiones contra revelat. Script. *Schol.* 2. Deistæ contra revelationem S. Scripturæ insurgunt. I. Ut certum sit, S. Scripturam esse verbum Dei, constare debet, Deum articulata voce loqui solere, audientem non decipi a bono vel malo Angelo, & non fuisse mente emotum, copiam ad posteros transcriptam esse suo originali conformem; & doctrinam scripto ad posteros transmissam ad eos etiam spectare, quæ omnia de S. Scriptura difficulter probari possunt. *Resp.* Non opus est probare, solere Deum articulate loqui, sed quod ita loqui possit, quod sane non implicat, imo sine locutione etiam per inspirationem aliquid a Deo revelari potest. Deinde ille cui fit revelatio & inspiratio certus esse potest, se non esse deceptum, tum ex modo revelationis, tum ex miraculis & rerum prædictarum eventu. De copia originali suo conformi certificat nos Ecclesia, & miracula, nullo non tempore in confirmationem facta: & sane quis omnia Biblia in toto orbe dispersa corrupta esse credat? Denique revelationem etiam spectare ad posteros, patet ex eo, quod ad bonos mores & sanctitatem nos instituat, quæ non olim solum, sed hodiedum præcepta sunt. II. Tyndalius in libro: *le Christianisme aussi ancien, que le monde*, ait: Si S. Scriptura existeret, & viam salutis monstraret, debuisset semper existere, omnibus hominibus innotescere, & non esse obscura. *Resp.* Doctrina S. Scripturæ quoad viam salutis capessendam semper revelata extitit, licet non statim litteris mandata fuerit, sed traditio oralis suffecerit, usque dum ob periculum corruptionis litteris eam tradi Deus voluerit, unde omnibus facile innotescere potest, & ejus obscuritatem tollit explicatio Ecclesiæ. III. Stylus S. Scripturæ nimis est depressus, Divinam Majestatem non decens; & multa fabulosa, & recte rationi adversantia recenset, uti cum Voltairio fuse pluribus exemplis probare nituntur Deistæ. *Resp.* Stylus S. Scripturæ satis sublimis est, uti vel ipsi Deistæ in Isaia & aliis cum eruditissimis Criticis fateri de-

bent, maxime si in textu originali legatur: nihil fabulosum & rectæ rationi contrarium continet, & quæ contra eam Deistæ objiciunt a multis jam fuse refutata sunt, quæ hic referre nimis prolixum foret, & suo loco solventur. Videri possunt præter Origenem contra Celsum & reliquos, Nonnot in suo *Lexico Philosophico*, & auctor libri: *Veritas in lucem prolata adversus hujus ætatis pseudophilosophos*.

Schol. 3. Spinoza in *tract. Theologico Politico* argumentum ex impletione Prophetiarum pro revelatione Divina S. Scripturæ enervare conatur. I. Quia Prophetiæ aut hominum figmenta sunt, aut virium naturalium effectus: nam imaginatione, qua plures ideæ componuntur, quam ex principiis erui possunt, Prophetæ non solum multa extra intellectus limites posita cognoverunt, sed etiam futura præviderunt, quæ tamen vera esse non sciverunt, nisi res hoc modo vividissime ab objectis affecti sibi imaginati sint, & animum ad solum & bonum inclinatum habuerint. *Resp.* Lex imaginationis postulat, ut illæ tantum ideæ componantur, vel separentur, quas olim sensu licet alio ordine percepimus: at vero in Prophetis multæ ideæ excitatæ fuerunt, quas nunquam antea occasione sensuum excitatas habuerunt, & modus eas combinandi talis fuit, qui cum rebus ipsis concordabat, adeoque secundum leges imaginationis non operabantur, sed per revelationem Divinam res futuras cognoscebant. II. Prophetæ omnia ænigmatice percipiebant & docuerunt; & pro diversitate temperamenti, ingenii, & educationis vaticinati sunt, ac præjudicia sua secuti fuerunt. Ergo eorum prophetiæ opera imaginationis fuerunt. *Resp.* Si etiam Prophetæ cuncta ænigmatice percepissent, solum sequeretur, Deum illis arcana per symbola revelasse mediantibus ideis imaginariis: modo autem quæritur, an hæ ideæ formatæ sint naturali vi imaginandi, quod negamus, quia non solum symbola & ideas perceperunt, sed etiam arcanas illarum significationes. Deinde cum prophetia primo ab ipso Propheta intelligi debeat, Deus modum revelandi & dicendi ad ingenium Scriptoris composuit; unde styli diversitas non probat, prophetias esse effectus naturales. Denique Prophetæ res revelatas acceperunt, de quibus nunquam cogitaverant, & inviti subinde ad vaticinandum vocabantur, uti Moyses & Jeremias: ergo præjudiciis non præoccupabantur. III. Prophetæ ipsi testantur, se subinde deceptos esse. Jer. 20. v. 7. legunt LXX. *decepisti me, & ego deceptus sum:* & Ezech. 14. v. 9. dicitur: *Ego decepi Prophetam illum*. *Resp.* Deceptio illa non fuit ex parte promittentis Dei, sed Jeremiæ, qui putabat

Solvuntur objectiones contra Prophetias.

Deum sibi promittere, se nihil ab inimicis suis passurum esse: unde in Hebræo legitur פתה *persuasus sum*. Apud Ezechielem sermo est de falsis Prophetis, quos Deus decipi permittit. IV. Rousseau *Emil. t.* 5. objicit: ut ex prophetiis certum argumentum petatur, deberet quis esse testis prophetiæ, quando profertur, ne forte a deceptore quodam post factum prophetia procudatur. Item deberem ipse exitum prophetiæ videre; & denique constare mihi deberet, eventum casu fortuito prophetiæ non respondisse. Quæ omnia prætensis prophetiis vix conveniunt. *Resp.* Hæc omnia in prophetiis S. Scripturæ habentur: inveniuntur in libris ab oculatis testibus omni exceptione majoribus conscriptis: earum exitum ex certissimis item historiæ monumentis, imo nonnulla hodiedum oculis demonstramus: & quia in illis res a sola Dei voluntate dependentes, nec humana ratione investigabiles prænuntiantur, recte concludimus, nonnisi afflatu divini Spiritus eas prædici potuisse.

Solvuntur objectiones contra miracula. *Schol.* 4. Miracula ad confirmandam revelationis Divinæ veritatem rejiciunt Deistæ, quod ut præstent, varias miraculi definitiones confingunt. *Clarkius* putat, miraculum esse eventum rarum & insolentem. *Spinoza* dicit, miraculum esse eventum mirabilem ob nostram ignorantiam. *Lokius* vult, miraculum esse eventum, qui spectatorum intelligentiam excedat. *Vannius*, esse eventum post longos astrorum circuitus rediturum. *Collin* & *Tyndalius* censent, miracula esse occultos spirituum creatorum effectus. Verum falsitas harum definitionum ex vera notione miraculi abunde refutatur; quippe juxta Catholicos & alios etiam recentiores Philosophos miraculum est effectus, qui nec ex natura rei, nec ex vi creaturarum, sed in solo Deo rationem sui sufficientem habet. Sed contra miracula hoc modo spectata insurgunt Deistæ, I. quia miracula fiunt suspensis naturæ legibus, adeoque contra naturam; nam distinctio inter id quod supra & contra naturam dicitur frivola est, cum altius principium supra naturam non detur, quippe natura est speculum divini intellectus, intellectus autem Dei idem est cum ejus voluntate: proinde quidquid naturæ contrariatur, id intellectui & voluntati Dei adversatur: cum itaque miracula supponuntur fieri invitis naturæ legibus, contra intellectum & voluntatem Dei fiunt, adeoque admitti non possunt. *Resp.* Nihil fieri potest contra naturam universalem, ita ut simul fiant contradictoria, quæ naturæ vires destruant, bene vero si ab Auctore naturæ vires naturæ aliter determinentur ac modo determinatæ sunt. Quo modo Deus nullo modo contra sua æterna & immutabilia decreta agit; cum enim plura decernere po-

tuerit, quam quæ in naturali rerum nexu rationem suf- habent, cum ordo naturæ a Deo decretus sit contingens, utpote a liberis ejus decretis dependens, & cum Deus non decreverit, ut nihil unquam fieret præter aut supra naturam; hinc quando videmus aliquid fieri, quod in viribus & ordine naturæ suam rationem habere non possit, colligamus, Deum ab æterno decrevisse, ut hoc vel illo tempore, & modo ordo naturæ suspendatur, & sic miracula non erunt ejus decretis contraria. Deinde certum est altius natura naturata, quæ est contingens, principium dari, scilicet Deum naturam naturantem: supponit quippe hoc argumentum Deum mundum hunc esse, quod alibi refutabitur, unde mundus & natura non est intellectus Dei, & si in mundo aliquid contingit, quod in ejus legibus non fundatur, intelligente & decernente Deo fit, nec ei contrariatur, sed tantum legibus naturæ hæc exceptio derogat. II. Quod supra naturam fit, supra Dei omnipotentiam fit, supra quam nihil fieri potest: & sane miracula non ab initio mundi ab omnipotentia Dei fiunt, nec repetita Dei actione, quia alias Deus successive & modo finito ageret, & per miraculum turbaretur nexus rerum in mundo. *Resp.* Deus est auctor naturæ, & quod ab eo supra naturam præstatur, non supra omnipotentiam, sed ab ea in mundo efficitur. Deinde miracula habent rationem sui, & existunt semper etiam ab initio mundi in æternitate Dei, cui omnia sunt præsentia, licet non in initio mundi physico pro illo sinu æternitatis extra eum extiterint. Quod vero per miraculum nexus rerum ordinarius suspensis naturæ legibus turbetur vel potius immutetur, nihil absurdum est, sed Dei omnipotentiam magnificat. III. Miracula non serviunt ad cognitionem Dei, quia ex effectibus naturæ, & pulcherrimo mundi ordine melius cognoscitur. *Resp.* Opera hæc quotidiana homines non ita trahunt, licet per se efficacissima, unde Deus miraculis utitur; maxime vero, ut revelationi a se factæ motivum credibilitatis accedat. IV. Miracula Christi, Moysis & Prophetarum ab eorum sectatoribus conscripta sunt, qui commodis suis studebant, & consequenter sunt sublestæ fidei. *Resp.* Hæc miracula habent omnia criteria veritatis: sunt enim possibilia, a scriptoribus coævis sine ulla propria utilitate, imo inter ipsas fidei persecutiones conscripta. V. Miracula etiam a dæmonibus fieri potuerunt, quorum vires naturales necdum nobis sunt cognitæ: & Deus subinde permittit, ut a falsis prophetis decipiamur. *Resp.* Miracula ordinem naturæ transcendunt, & serviunt ad sanam doctrinam & pietatem stabiliendam, quod sane dæmonum & spirituum creatorum opus non est. Impostorum

vero miracula in confirmationem falsæ doctrinæ fieri non possunt, unde illis tanquam præstigiis fides habenda non est, quia cum miraculis Christi & aliorum comparari non possunt. VI. Deo indignum videtur, ut verbis suis fidem per miracula astruat, quam ejus summa veritas per se meretur. *Resp.* Cum doctrina revelata a priori demonstrari non possit, Deus cum ea miracula adeo evidentia connectere voluit, ut nulla fraudis suspicio superesset, licet deinde, quando de revelatione facta certi sumus, miracula pro demonstrandis veritatibus revelatis non sint necessaria. Plura de miraculis, præsertim falsis Gentilium Isidis, Æsculapii, Vespasiani &c. miraculis, videri possunt apud cl. P. Gazzaniga *in Præl. Theol. tom. 4.*

Schol. 5. Testimonium *Josephi* de Christo allatum putant nonnulli per piam fraudem ejus scriptis insertum esse. Sed illis obstat 1. consensus omnium Codicum manuscriptorum: 2. auctoritas Patrum *Eusebii*, *Hieronymi*, *Sophronii*, *Ruffini*, *Sozomeni*, locum hunc ex scriptis Josephi citantium: 3. ipsum silentium Josephi, si probari posset, argumento foret, eum metu gentis suæ & partium studio Christi gesta reticuisse. Vide *Martin. in Critica demonst. testim. Josephi de Jesu Christo.* Tiberii Consilium de Christo inter Deos numerando suspectum videtur *Auctoribus communis vel universalis Historiæ mundi*. Verum nulla apparet probabilitas ad tollendam veritatem testimonii vetustissimi scriptoris Tertulliani sufficiens.

An omnia a Deo immediate inspirata sint SS. scriptoribus.

Schol. 6. Lovaniensis Academia an. 1587. & Duacensis an. 1588. has propositiones a Lessio editas censura inusserunt: *Non est necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratæ.* Item: *Liber aliquis, qualis forte est secundus Machabæorum, humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur, nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra.* RR. PP. Societatis Jesu pro hac sententia apologiam ediderunt, cui tamen Lovanienses Doctores jussu Episcoporum an. 1588. respondentes, suam censuram pro viribus defenderunt. Verum licet inter Catholicos Theologos communior sit sententia, omnia in S. Scriptura sacris Scriptoribus proxime inspirata a Deo fuisse, cum inibi sæpe dicatur: *Locutus est Dominus ad Moysen &c.* Et: *Hæc dicit Dominus Deus;* notat tamen *Calmet in dissert. de inspir. SS. Libror.* Theologos illos, qui duo vel tria inspirationum genera agnoscunt, & cum Patribus S. Scripturam divinitus inspiratam, & infallibilis auctoritatis esse docent, ab iisdem Patribus non esse secernendos; non enim aliam tenent senten-

tiam, sed Patribus honorem deferentes, id clarius explicant, quod illi obscuriori methodo defenderunt: neque varia inspirationum genera inducunt, nisi ut facilius hæreticorum ora præcludant, & dogma dilucidius exhibeant. Sane, pergit Calmet, si res serio expendatur, difficillime ab eorum distinctione abstineri posse invenimus, unaque utilitati illud conducere agnoscimus, si sacros Auctores subinde, ut Divinam sibi vindicarent auctoritatem, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis & præsentiæ tantum indigos fuisse fateamur. Denique an omnia verba & syllabæ SS. Scriptoribus a Deo inspiratæ fuerint, controversia est Scholastica, de qua vid. P. Graveson de S. Script. *p.* 1. §. 3. Serry *disp.* 3. *de fid.* & alios.

§. 7. 1. Sacra Scriptura septuaginta duos Libros complectitur: scilicet quadraginta quinque veteris Testamenti, qui sunt 1. Genesis, 2. Exodus, 3. Leviticus, 4. Numeri, 5. Deuteronomium, 6. Josue, 7. Judicum, 8. Ruth, 9. 10. 11. 12. Quatuor Libri Regum, 13. 14. Duo Paralipomenon, 15. 16. Primus & secundus Esdræ, 17. Tobias, 18. Judith, 19. Esther, 20. Job, 21. Psalmi, 22. Proverbia, 23. Ecclesiastes, 24. Canticum Canticorum, 25. Liber Sapientiæ, 26. Ecclesiasticus, 27. Isaias, 28. Jeremias, 29. Baruch, 30. Ezechiel, 31. Daniel, 32. Oseas, 33. Joel, 34. Amos, 35. Abdias, 36. Jonas, 37. Michæas, 38. Nahum, 39. Habacuc, 40. Sophonias, 41. Aggæus, 42. Zacharias, 43. Malachias, 44. 45. Duo Libri Machabæorum. *Libri S. Scripturæ.*

2. Novum Testamentum viginti septem Libros continet, hoc ordine, 1. Evangelium S. Matthæi, 2. S. Marci, 3. S. Lucæ, 4. S. Joannis, 5. Acta Apostolorum, 6. Epistolam ad Romanos, 7. 8. Duas ad Corinthios, 9. Unam ad Galatas, 10. Unam ad Ephesios, 11. Unam ad Philippenses, 12. Unam ad Colossenses, 13. 14. Duas ad Thessalonicenses, 15. 16. Duas ad Timotheum, 17. Unam ad Titum, 18. Unam ad Philemonem, 19. Unam ad Hebræos, 20. Unam S. Jacobi, 21. 22. Duas S. Petri, 23. 24. 25. Tres S. Joannis, 26. Unam S. Judæ, 27. Apocalypsim.

3. Hos omnes recensitos Libros Canonicos agnovit antiqua etiam Ecclesia, uti constat ex *Epistola* 3. *Innocentii I.* scripta an. 405. ex *Concilio III. Carthaginensi*, cui interfuit *S. Augustinus* an. 397. & ex *decreto Gelasii* dato in *Concilio Romano* an. 494. Quin & illos Libros, de quibus inter nos & Protestantes est controversia, memorant antiqui Patres, & ut Divinos laudant: sic

4. *Librum Tobiæ* in canone recenset *Concilium Hyp-* *Liber Tobiæ*

est Canonicus. *ponense* an. 593. can. 38. *S. Cyprianus de opere & eleem.* *S. Ambrosius l. de Tobia c.* 1. *S. Augustinus l.* 2. *de doctr. Christ. c.* 8. Difficultas circa historiam hujus libri in eo consistit: 1. Quod domus Saræ dicatur fuisse in Rages, in qua civitate etiam Gabelus fuit Tob. 4. & tamen c. 9. cum Tobias venisset ad locum, ubi Sara erat, misit inde Angelum ad Gabelum in Rages. 2. Quod c. 14. v. 7. dicatur domus Dei, quæ incensa est, reædificanda, cum tamen eo tempore Templum necdum eversum fuerit, quod modo contigit an. 134. a fine regni Israelitici, ubi Tobias jam mortuus fuerat. 3. Quod c. 14. v. 6. Israelitæ dicantur reversuri a captivitate, cum tamen solæ Tribus Juda & Benjamin redierint. Verum *prima* difficultas facile solvitur, si dicamus, domum Saræ non fuisse in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis, sed in alia Rages civitate Medorum, quæ erat in planitie, uti patet Tob. 5. v. 8. ubi Rages montana Gabelis, a Rages Saræ expresse distinguitur. *Secunda* difficultas ex eo evanescit, quod Tobias ibi tamquam Propheta utatur præterito pro futuro, & futuram eversionem prædicat. *Tertia* Prophetia loquitur de duabus tribubus reversuris, quæ nomine Israelitarum intelliguntur, sicuti etiam Tob. 4. v. 19. Rex Jerusalem, Rex Israel vocatur.

Liber Judith. 5. *Librum Judith* teste *S. Hieronymo in præf.* Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse. Et quando S. D. subdit: *Cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur;* intelligendus est, quod fidei controversias non tractet, servit tamen ad informandos mores. Eumdem Librum ut Canonicum recepit Ecclesia Africana, teste *S. Augustino l.* 2. *de doctr. Christ. c.* 8. & *Origene hom.* 19. *in Jerem.* Chronologia historiæ Judith necdum quidem certo determinata est, sed hoc veritatem ejus non evertit. Vid. *Huetium de dem. Ev. Bellarminum de S. Script. Graveson in hist. Eccl.*

Liber Estheris. 6. *Postrema capita Estheris* habentur in veteri versione Græca: *S. Basilius l.* 2. *cont. Eunom.* citat c. 14. v. 11. *S. Augustinus l.* 1. *contra duas epist. Pelag. c.* 20. citat ex c. 14. Estheris versum 13. ex c. 15. v. 3. & concludit: *Hoc verum esse non conjectura suspicamur humana, sed evidentissima Divinarum Scripturarum auctoritate dignoscimus.* Postrema etiam hæc capita fuerunt in antiquo Judæorum canone, quia *Josephus l.* 11. *antiq. c.* 6. duas epistolas Assueri & Mardochæi ex Hebræo citat, licet tempore S. Hieronymi in illo non amplius haberentur.

Liber Baruch. 7. Liber Baruch citatur a *S. Cypriano l.* 2. *con. Jud.*

c. 5. *S. Hilario præf. in Ps. S. Cyrillo l.* 10. *in Julian. S. Ambrosio l.* 1. *de fide, Eusebio l.* 6. *demonst. Evang. c.* 19. sub nomine Divinæ Scripturæ. A multis etiam antiquis sub nomine Jeremiæ, cum cujus Prophetia unum librum olim constituebat, citatur.

Oratio Azariæ. Hymnus trium puerorum.

8. *Orationem Azariæ* in Daniele Propheta citat *S. Augustinus ep.* 122. *& S. Athanasius in Synopsi. Hymnum Trium puerorum S. Cyprianus l. de or. Dom.* vocat *Divinam Scripturam. S. Augustinus l. de nat. boni c.* 16. ex eo probat, creaturas esse bonas, quia lux & tenebræ laudant Deum. *Historiam Susannæ Origenes l.* 1. *in Lev.* & in *epist. ad African.* ut Divinam Scripturam contra negantes defendit. *S. Fulgentius ad Ferrandum* ad probandam Spiritus Sancti Divinitatem ex cap. 13. versum 42. & 45. adducit. *S. Hippolytus* eam exponit *l. in Dan. & Sus. S. Hieronymus l.* 2. *apol. adv. Ruffin. c.* 9. dicit, eam non habere Auctoritatem juxta Rabbinorum, non vero juxta suam sententiam. *Historia de everso Bel* citatur a *S. Cypriano l. de or. Dom.* eamque *Theodoretus* interpretatur. Ejusque jam ante meminit *S. Irenæus l.* 4. *cont. hær. c.* 5.

Historia Susannæ. Historia Bel.

Liber Sapientiæ.

9. *Liber Sapientiæ* citatur in Novo Testamento *Matth.* 27. *v.* 43. *Hebr.* 11. *v.* 5. 2. *Cor.* 4. *v.* 4. a *S. Justino dial. cum Tryph. Origene l.* 7. *in ep. ad Rom. S. Cypriano l. de mortal. & S. Basilius l.* 5. *contra Eunom.* eum Divinum Testimonium vocat.

Liber Ecclesiastici.

10. *Liber Ecclesiastici* citatur in Novo Testamento *Joan.* 14. *v.* 23. Eum ut Divinum laudat *S. Athanasius in Synopsi, S. Epiphanius in Ancorato, S. Hieronymus ep.* 33. Et ita definivit jam olim Concilium Ephesinum, *epist. ad Synod. Pamphiliæ*, & Toletanum VIII. can. 2.

Libri Machabæorum.

11. *Libri Machabæorum* laudantur ut Divini a *Tertulliano l. adv. Jud. c.* 4. ab *Origene l. de Martyrio, S. Augustino l.* 18. *de Civ. Dei c.* 36. *S. Damasceno in or. de his, qui cum fide obierunt.* Difficultates Chronologicas præter alios solvit *Canus de loc. Theol.*

Caput ultimum S. Marci. De sudore sanguineo. Historia adulteræ.

12. *Ultimum caput S. Marci* ut Canonicum agnoscit *S. Irenæus l.* 3. *cont. hæres. c.* 22. *n.* 2. *S. Augustinus de cons. Evangelist. l.* 3. *Illud* de sudore sanguineo Christi *Luc.* 22. expresse defendit *S. Athanasius l.* 6. *ad Teophil.* anathema illis dicens, qui hoc negant, & *S. Augustinus l.* 3. *de cons. Evang. c.* 4. *Historiam* adulteræ *Joannis* 8. agnoscit *S. Athanasius in Synopsi, S. Chrysostomus hom.* 60. *in Joan. S. Hieronymus l.* 2. *contra Pelag. S. Augustinus tr.* 33. *in Joan.*

Epistola ad Hebræos.

13. *Epistola ad Hebræos* recipitur a *S. Hieronymo ep. ad Dardan. S. Athanasio in Synopsi, S. Ambrosio*

S. Jacobi. *l.* 2. *de Cain. Epistola* S. Jacobi citatur a *S. Cypriano l. ad Novatian.* & *S. Augustino ep.* 29. *ad Hieron.* *2da S. Petri.* *S. Judæ.* *Epistola* 2. S. Petri citatur a *S. Gregorio M. hom.* 18. *in Ezech. Epistola* S. Judæ ut Divina laudatur a *Tertulliano l. de habitu muliebri*, *Origene in c.* 5. *ad Rom. S. Hieronymo de script. Eccl. Epistola* 2. S. Joan- *2da & 3tia S. Joannis.* *Apocalypsis.* nis citatur a *S. Cypriano* in *l.* 2. *sent. Conc. Carthag.* &. *tertia in l. de cœlesti Hierar. c.* 3. *Apocalypsis* laudatur a Conciliis, *Ancyrano can. ult. Carthaginensi III. c.* 47. *Toletano IV. c.* 16. *S. Justino & Ireneo*, qui eam commentariis illustrarunt, *S. Athanasio in Synopsi*, *S. Augustino tr.* 36. *in Joan. S. Ambrosio in Ps.* 40. *S. Hieronymo ep. ad Dardan.*

Canon Hebræorum. *Schol.* 1. Canon seu index SS. Librorum triplex est: Primus est *Judæorum*. Hic non videtur esse Esdra vetustior, ante quem nulla SS. Librorum collectio facta fuit, cum necdum in unum librum compacta fuerint duodecim Prophetarum Vaticinia, eo quod nonnulli Prophetæ exiguo tempore Esdram præcesserint. Vetustior tamen est Machabæis, utpote ante quos omnes libri in hoc Canone contenti a 70. Interpretibus sub Ptolomæo Philadelpho in Græcum translati dicuntur. Unde communis est sententia, Esdram Canonis Hebræorum esse Auctorem, quem deinde Synagoga Magna recognovit, & authenticum declaravit. Circa numerum Librorum, quos Esdrinus Canon complectebatur, communius hi Libri illi tribuuntur, scilicet: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, & Ruth, Samuelis 1mus & 2dus, 3tius & 4tus Regum, 1mus & 2dus Paralipomenon, 1mus & 2dus Esdræ, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Isaias, Jeremias & Lamentationes, Daniel, Ezechiel, Job, Esther, 12. Prophetæ minores. Præter libros hoc Canone contentos olim extabant alii etiam Libri Sacri, scilicet Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duo Machabæorum: imo alios plures in veteri Lege a Prophetis conscriptos esse, qui non amplius extant, patet ex ipsa S. Scriptura, quæ sequentes citat, scilicet: Librum bellorum Domini, Num. 21. Librum Justorum, Jos. 10. Librum verborum Salomonis, 3. Reg. 11. v. 41. Librum verborum Regum Israel, 3. Reg. 14. Librum verborum Regum Juda, ibid. Librum Samuelis, 1. Reg. 10. Librum Nathan, 1. Paral. 29. Librum Gad, ibid. Abiæ Prophetæ, 3. Reg. 5. Addonis Prophetæ, 2. Paral. 9. Jehu Prophetæ, 2. Paral. 20. Chosair Prophetæ, 2. Paral. 33. Salomonis tria millia Parabolarum, 3. Reg. 15. Salomonis Cantica quinquies mille, & Salomonis Physicam, ibid. Librum Enoch, ep. S. Jud. Epistolam Eliæ Pro-

phetæ, 2. Paral. 21. Jeremiæ descriptiones, 2. Mach. 2. Librum dierum Joannis Hircani. His addi potest Liber Eldad & Medad, apud S. Athanasium in Synopsi, Psalmus unus ultra 150. Psalmos, & Testamentum Moysis. Porro an hi Libri, qui interciderunt, fuerint Divini, certo definiri non potest: illi tamen, qui a S. Scriptura citantur sub nomine Prophetiæ vel Visionis, item qui citantur in testimonium dictorum in S. Scriptura, vel ad quos illa remittit pro ampliori notitia haurienda, videntur sacri fuisse. Præter Esdrinum Canonem Genebrardus duos alios admittit: unum a Synodo Jerosolymitana confectum, quam de sacris Codicibus ad Ptolomæum Philadelphum mittendis, & de 70. Interpretibus eos Græce reddituris coactam esse vult, in quem Canonem relati sunt Libri, qui post Esdrinum Canonem prodierunt, scilicet Tobiæ, Judith, Ecclesiastici & Sapientiæ. Alter Canon factus est in septima Synodo, quæ ad damnandos Sadducæos, & probandos Pharisæos coacta fuit, in quo Canone etiam Libri Machabæorum repositi fuerunt. Verum cum nec veteres Hebræi nec Christiani alterius Canonis quam Esdrini meminerint, & Josephus ipse *l.* 1. *cont. Appion.* testetur, duo solum & viginti sacra volumina gentem suam usurpare a Moysis temporibus ad Artaxersis Longimani ætatem scripta, ab hac vero ætate singula quidem scripta, sed eamdem, quam superiora, fidem minime esse assecuta, alius ab Esdrino Canone ab Hebræis non fuit constitutus. Rursus nonnulli veteres Patres uti Clemens Alex. *t.* 1. *strom.* S. Basilius *ep. ad Chilon.* putarunt, sacros Libros tempore captivitatis Babilonicæ penitus interiisse, & ab Esdra eo modo restitutos esse, quo l. 4. Esdræ c. 14. 19. 20. & 21. narratur, scilicet Esdram a Deo ad instruendum populum vocatum assumptis viris ad hoc destinatis vocem invitantis audivisse, ut aperto ore oblatam potionem biberet: qui proinde ore hiante liquorem aqueum colore ignem referentem potavit; quo hausto sapientia repletus est, apertumque ad loquendum os nunquam quievit. Eodem intelligentiæ spiritu viri illi donati sunt, qui dictantis verba ita excipiebant, ut ne obscuris quidem scripto exprimendis deessent, unde spatio 40. dierum 204. Libri exarati fuerunt. Sed cum nullibi in S. Scriptura legamus SS. Libros interiisse, cum eorum conservatio Chaldæis omnino indifferens fuerit, utpote qui Judæis toto captivitatis tempore Sabbata & cætera Legis mandata observare permittebant, 2. Par. 56. cum incredibile sit, Jeremiam, Ezechielem, Danielem &c. Sacris Libris caruisse, melius dicitur SS. Scripturas apud Judæos nunquam penitus interiisse, sed Esdram eas solum correctis

levibus Amanuensium erroribus in unum corpus redegisse. Denique Esdram veteribus Hebræorum characteribus Phœniciis & Ægyptiis, qui litteris Samaritanis sunt affines, novos Chaldæos substituisse, doctissime probat Calmetus in Dissertatione de hac materia scripta, & vel ex eo constare potest, quod, si characteres Hebraici nostræ ætatis a Chaldæis differrent, nullibi amplius characteres Chaldaici extarent, cum moderni Chaldaici ab Hebraicis non differant.

Canon Catholicorum. *Schol.* 2. Secundus Canon S. Scripturæ est Catholicorum: de hoc probabile est, Canonem quatuor Evangelia continentem ante S. Joannis Evangelistæ obitum esse constitutum: ita testatur Eusebius l. 3. hist. c. 24. Paucis post annis collectionem Epistolarum factam esse, conjicimus ex epistola S. Ignatii ad Philadelph. In antiquissimo hoc Canone videntur fuisse 4. Evangelia, 13. Epistolæ S. Pauli, prima S. Petri & S. Joannis, quas solas laudat S. Polycarpus. Hic Canon primum particularium Ecclesiarum consensu approbatus fuit, cui deinde Ecclesia Jerosolymitana Epistolam ad Hebræos, S. Jacobi, & S. Judæ, & Ecclesiæ Asiaticæ Epistolam secundam S. Petri, S. Joannis secundam & tertiam, & Apocalypsim adjecerunt, quarum fides cum remotioribus Ecclesiis non statim explorata esset, mirum non est, quod eas in dubium vocaverint. Sæculo 2do Canonem Librorum veteris Testamenti edidit *Melito* Sardensis, teste Euseb. l. 4. hist. c. 26. & Origenes, teste eodem c. 25. Sæculo 4to S. Gregorius Nazian. tom. 2. oper. Ruffinus expos. in symb. S. Athanasius ep. 39. S. Hilarius prol. in Ps. S. Hieronymus in prologo Galeato Canonem SS. Librorum ediderunt, item Concilium Laodicenum c. ult. Porro in omnibus Ecclesiis Catholicis Canon SS. Librorum hos semper complexus est, qui ideo etiam vocantur Libri Protocanonici, scilicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralipomenon, Esdræ 1mum & 2dum, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, quatuor Prophetas majores, & duodecim minores, quatuor Libros Evangeliorum, Actus Apostolorum, 13. Epistolas S. Pauli, unam S. Petri & S. Joannis. Hos Libros antiqua Concilia & Patres semper exhibent; sequentes autem non fuerunt semper in omnium Ecclesiarum Canone; scilicet Esther, Hymnus trium puerorum, Historia Susannæ, & Draconis in Daniele, teste S. Hieronymo præf. in Dan. Baruch, Tobias, Judith, Sapientia & Ecclesiasticus, ultimum caput S. Marci, teste S. Hieronymo ep. ad Hedib. Historia de Sudore sanguineo, &

Angeli apparitione apud S. Lucam, teste S. Hilario l. 10. de Trin. Historia adulteræ apud S. Joannem, Epistola ad Hebræos, teste Eusebio l. 3. hist. c. 3. Epistola S. Jacobi, teste eodem c. 23. Epistola 2da S. Petri, eodem teste l. 6. c. 18. secunda & tertia S. Joannis, teste eodem l. 3. c. 25. Epistola S. Judæ, & Apocalypsis, eodem teste c. 28. Hodie vero ex definitione Tridentini omnes hi Libri sunt in omnium Catholicorum Canone, quod Sess. 4. ita statuit: *Siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit ... anathema sit.*

Schol. 3. Tertius Canon est Acatholicorum, qui varius fuit apud diversos hæreticos. Sæculo 1mo Simoniani, Sæculo 2do Marcionitæ, Sæculo 3tio Manichæi, quos secuti sunt Albigenses, omnes veteris Testamenti Libros rejecerunt: Ebionitæ solum Evangelium S. Matthæi, Cerinthiani solum Evangelium S. Marci, Marcionitæ solum Evangelium S. Lucæ, Valentiniani solum Evangelium S. Joannis admiserunt, teste S. Irenæo: Cerdoniani Acta Apostolorum, Ebionitæ omnes Epistolas S. Pauli, & Marcionitæ Epistolas ad Timotheum & Titum rejecerunt. Protestantes nostri temporis omnes veteris Testamenti Libros in Canone Judæorum (n. 1.) non repertos rejiciunt: moderni Lutherani omnes quidem Novi Testamenti Libros cum Catholicis pro Canonicis saltem communius admittunt: Chemnitius tamen & Magdeburgenses Epistolam ad Hebræos, S. Jacobi, S. Judæ, secundam S. Petri, secundam & tertiam S. Joannis, & Apocalypsim rejiciunt, quam tamen Magdeburgenses admittunt. Contra hos stat continua Traditio (§. 7.) explicata, & eorum objectiones solvunt Melchior Canus de loc. Theol. Bellarminus de S. Script. &c. Videri etiam potest Barre *in vid. lib. deutero-Can.* & Huetius *in demonst. Ev.* *Canon Acatholicorum.*

Schol. 4. Libri S. Scripturæ ratione materiæ dividi solent in Legales, Historicos, Sapientiales sive Morales, & Propheticos. *Legales veteris Testamenti* sunt quinque Libri Moysis seu Pentateuchus a Moyse Hebraice scriptus, excepto ultimo capite Deuteronomii, quod vel Josue vel Esdras adjecit. *Libri Legales novi Testamenti* sunt quatuor Evangelia: Primum secundum Matthæum, qui Hebraice vel potius Syriace scripsit: Secundum est secundum Marcum, qui Latine vel juxta alios Græce scripsisse dicitur: Tertium est secundum Lucam, & Quartum secundum Joannem, qui Græce scripserunt. *Libri Historici veteris Testamenti* sunt 1.

Liber Josue ab ipso paucis exceptis ab Esdra vel aliis Prophetis adjectis c. ult. v. 26. Hebraice conscriptus. 2. Liber Judicum a Samuele, uti videtur, sicut etiam 3. Liber Ruth Hebraice scriptus. 4. Quatuor Libri Regum, quorum scriptor Hebraicus juxta Calmet ignoratur. 5. Duo Libri Paralipomenon ab Esdra forte conscripti Hebraice, quibus tamen posteriores Prophetæ aliqua addidisse videntur. 6. Liber primus Esdræ, ab ipso, & 2dus a Nehemia Hebraice scriptus. 7. Liber Tobiæ Chaldaice primum conscriptus ab utroque Tobia, exceptis duobus postremis versibus ab incerto Auctore additis. 8. Liber Judith ab incerto Auctore Chaldaice scriptus. 9. Liber Esther Hebraice conscriptus forte a Mardochæo, nonnullis a Synagoga Magna additis. 10. Liber Job ab ipso Jobo, ut videtur, Hebraice scriptus. 11. Liber primus Machabæorum Hebraice, secundus Græce, sed ab ignotis nobis Auctoribus, conscriptus. *In novo Testamento Liber historicus* sunt Acta Apostolorum a S. Luca Græce conscripta. *Libri Sapientales* veteris Testamenti sunt 1. Proverbia ab ipso Salomone composita, sed ab aliis collecta & in hunc ordinem Hebraice digesta. 2. Ecclesiastes, & 3. Canticum Canticorum a Salomone Hebraice compositum. 4. Liber Sapientiæ, qui juxta Calmet ignoti est Auctoris. 5. Ecclesiasticus a Jesu Siracidis filio sub Eleazaro II. summo Pontifice & Philadelpho Ptolomæo Rege Hebraice, vel potius Chaldaico-Syriaco-Hebraice scriptus, videturque hic Jesus fuisse unus ex 70. Interpretibus: vid. Calmet in Prolog. *Libri Sapientales novi Testamenti* sunt 1. Epistolæ S. Pauli omnes Græce, etiam illa ad Hebræos, uti probat Calmet, scriptæ. 2. Epistola S. Jacobi. 3. Prima & 2da S. Petri. 4. Tres S. Joannis. 5. Una S. Judæ Græce scripta. *Libri Prophetici veteris Testamenti* sunt 1. Psalmi, quorum plurimi a Davide, nonnullis exceptis, Hebraice scripti sunt. 2. Quatuor Prophetæ majores, qui Hebraice scripserunt, excepto Daniele, qui partim Hebraice, partim Chaldaice, scilicet a c. 2. v. 4. usque ad finem c. 7. scripsit. 3. Duodecim Prophetæ minores Hebraice scribentes. *Liber Propheticus novi Testamenti* est Apocalypsis, a S. Joanne Evangelista Græce exarata. Vid. Rev. Calmet in *suis Dissert. & Diction.* &c.

Vulgatæ nostræ auctoritas. §. 8. Cum Libri Canonici S. Scripturæ in variis linguis, Hebraica, Chaldaica & Græca conscripti ab Auctoribus suis fuerint, & pauci linguarum originalium peritia imbuti sint, non solum Divino fini conveniens, adeoque licitum, sed utilissimum etiam fuit, ut sacra Scriptura in varias linguas verteretur. Quia autem per interpretum vel imperitiam, vel negligentiam, vel mali-

tiam, vel Exscriptorum & Amanuensium incuriam fieri potest, ut versio S. Scripturæ a sensu originalis recedat, opus fuit, ut ex tot versionibus & Editionibus una determinaretur, quam incorruptum Dei verbum nobis exhibere certo sciremus. Unde Ecclesia pro tradita sibi ad hoc a Christo potestate, *Vulgatam nostram in materia ad fidem & bonos mores pertinente authenticam & infallibilis auctoritatis esse merito statuit*, dum in Concilio Tridentino Sess. 4. c. 2. definit: *Insuper sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur SS. Librorum quænam pro Authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat*. Justitiam hujus definitionis & excellentiam Vulgatæ nostræ præ aliis latinis versionibus probat *Primo* antiquus usus Ecclesiæ, quo Vulgata nostra probata est; eam fidelissimam affirmat S. Gregorius M. l. 1. hom. 10. n. 6. in Ezech. Et l. 20. c. 30. Mor. in Job asserit, oportere fidem illi addicere, utpote quæ congruat originali. S. Isidorus Hispalensis l. 1. de officiis Eccles. insinuat, hac Editione omnes Ecclesias usquequaque uti. Illud etiam constat, paullo post S. Isidorum in Ecclesiis Latinis solam S. Hieronymi ex Hebræo versionem invaluisse, excepto Psalterio, quod juxta Editionem septuaginta cantabatur. Accedunt Concilia; quæ Vulgatam pro stabiliendis fidei dogmatibus adhibent, sancti Patres, qui eam laudant, interpretes, qui eam examinant. Quæso, an tot testes in judicio suo desipiunt? *Secundo* Vulgata nostra Editio inter omnes Latinas castigatissima est: ita testantur ipsi Protestantes nostri. Ludovicus de Dieu in not. ad Evang. conferens Vulgatam cum versionibus Latinis N. T. per Bezam & Erasmum laudat Vulgatæ Auctorem velut doctissimum & sapientissimum: & in suis animadversionibus ad utrumque Testamentnm lectionem Vulgatæ præfert, & contra ejus obtrectatores tuetur. Grotius Præf. in annot. in V. T. ait: Vulgatum Interpretem semper plurimi feci, non modo, quod nulla dogmata insalubria contineat, sed etiam, quod multum in se habeat eruditionis. Fagius Præf. ad collat. translat. V. T. tamquam semidoctos & imprudentes traducit, quicumque celeberrimam hanc versionem dilacerant. Concilium Tridentinorum Patrum auctoritatem Vulgatæ decreto suo asserentium laudat Drusius, ad loca difficil. Pentateu. quod recentiores versiones priscam illam non

superent. Tandem D. Millius Prol. in N. T. judicat, eam esse originalibus maxime conformem.

Textus Hebraici auctoritas. *Schol.* 1. Autographi & originales S. Scripturæ Codices hodie non amplius extant, sed solum apocryphi, seu varia Exemplaria, & Editiones diversæ in variis linguis, quæ omnes ad quatuor reduci possunt, scilicet 1. ad Hebraicam, ad quam spectat Chaldaica, Syriaca, & Samaritana. 2. ad Græcam. 3. ad Latinam. 4. ad Vulgarem, ad quam revocantur cæteræ omnes, uti Arabica, Æthiopica, Persica, Germanica, Italica, Gallica &c. Circa Textum Hebraicum tria tempora considerari possunt. Primum est ab exordio scriptæ S. Scripturæ usque ad Christum: in hoc tempore Textus Hebraicus malo animo corruptus non fuit, quia de hac corruptione nec Christus, nec Apostoli cætera vitia in Scribis arguentes, eos nunquam reprehenderunt, imo Christus Joannis 5. nunquam ad scrutandas Scripturas provocasset, si priori tempore a Judæis corruptæ fuissent. Unde Simonius l. 1. hist. Crit. argumentis suis in contrarium allatis nihil aliud evincit, quam quod forte oscitantia Librariorum exscribentium nonnulla menda levioris momenti in Textum Hebraicum irrepserint, quem proinde erudite refutat P. Honoratus a S. Maria in animadversionibus suis ad regul. & usum Crit. Secundum tempus est a Christo nato usque ad Congregationem Judæorum Tyberiadis, in qua puncta loco vocalium sacris Litteris adjecta fuerunt a Masorethis Sæculo V. Christiano exeunte. Putat quidem R. Azarias in libro Burhiri & alii Rabbini, puncta vocalia æque antiqua esse, ac ipsas litteras Hebraicas, quia in omni linguarum genere consonantes cum vocalibus reperiuntur: alii vero Judæi credunt, puncta vocalia cum Lege Divina Moysi esse revelata. Verum communior est sententia, Doctores Tyberiadis illa puncta vocalia excogitasse anno quinquagesimo post obitum S. Hieronymi, tum quia in antiquis nummis Hebræorum hæc puncta non videntur, tum quia exemplaria, quibus Judæi in suis Synagogis utuntur, sunt sine punctis, tum quia in scriptis S. Hieronymi plura leguntur sine punctis. In hoc tempore, scilicet a Christo nato usque ad Hieronymum Hebraicus S. Scripturæ textus malo animo a Judæis corruptus non fuit; nam testimonia a Christo & Apostolis ex S. Scriptura allata, eodem modo in Moyse & Prophetis leguntur, quo ab ipsis citata sunt, & S. Hieronymus Judæos de hac corruptione accusasset, cum e contra eos derideat in c. 6. Isaiæ, qui hoc sibi persuaserint. Quod si igitur nonnulli Patres, uti S. Justinus, Eusebius, & Origenes dicant, Scribas multa mutasse, loquuntur de versione Græca, in qua Aquila, Symmachus & Theo-

dotion multa corruperunt. Tertium tempus est a Congregatione Tyberiadis usque ad nostram ætatem: in hac Congregatione a Masorethis in odium Christianæ religionis Hebraicum textum variis in locis corruptum esse, suadet tum recentior illa punctorum inventio; tum ex eo colligimus, quod versio 70. Interpretum, S. Hieronymus, & fragmenta residua Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis aliter legant, quam hodie ex Masoretharum correctione legimus. Sic Zach. 9. septuaginta legunt: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus Salvator* καὶ σώζων αὐτός: Hebræus vero legit נושע *salvatus*. Vid. Bonfrerii Proloq. in S. Script. Post Masoretharum tamen tempora S. Textus malo animo a Judæis depravatus non fuisse videtur; nam a Masorethis omnes singulorum Librorum versus, omnes singulorum versuum voces, omnes singularum vocum litteræ numeratæ sunt, & harum litterarum numerus ita descriptus est, ut quoties quælibet littera in S. Scriptura habeatur, ex inito ab illis calculo cognosci possit, ut adeo vix corruptioni locus videatur esse residuus. Protestantes nostri passim dicunt, quod Ecclesia Catholica fontes Hebraicos, quos, uti Paulus Sarpius in hist. Conc. Trid. l. 2. putat, non intelligit, authentia sua privarit, & illis versionem humanam ita præponat, ut solam Latinam authenticam velit, tum, uti pergit Sarpius, ne fieret, ut nemo ad dignitatem Episcopi & Purpurati assumatur, nisi qui linguam Hebraicam & Græcam intelligat; tum ne contingat, ut Inquisitores contra Lutheranos officio suo fungi non possint, nisi Hebraicum & Græcum calleant. Verum falsum hoc esse ostendit Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 10. Sane authentiam nullo decreto ademit textui Hebraico non corrupto Ecclesia Romana; nam Trident. Sess. 4. c. 2. tantum statuit, ut ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur SS. Librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat: item textum Hebraicum incorruptum authenticum esse passim fatentur nostri Theologi, paucis exceptis, qui tamen magis loquuntur de textu corrupto, & omnes Interpretes Catholici hodiedum ex fonte Hebraico Vulgatam explicant, & ex eo dogmata fidei confirmant. Variæ Editiones Hebraicæ videri possunt in Bibliotheca S. Script. P. le Long, & in Diction. Biblico D. Calmet.

Schol. 2. Chaldaica versio seu Paraphrasis Chaldaica, *Chaldaica versio.* quia S. Textum non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum addita ejus subinde explicatione transtulit, juxta D. Calmet post captivitatem Babylonicam fieri cœpit. Duplex est, Targum Babylonicum, & Jerosolymitanum. Auctor hujus Paraphrasis non unus est: nam

1. Jonathas Uzielis filius sub Herode 30. ante Christum natum annis fuso stylo majores & minores Prophetas, Josue, Judicum & Regum libros exposuit, & opus suum variis fabulis conspersit; Pentateuchum non vertit, sed ferunt, quosdam Doctores Hebræos post eum operi ejus Pentateuchum adjecisse: nonnemo etiam hunc Jonatham eumdem esse putat cum Theodotione ob nominis similitudinem. 2. Onkelos Jesu Christi ætate florens nonnisi Pentateuchum Chaldaice exponit, quem nonnulli Aquilam esse credunt: Targum ejus ob accuratam interpretandi rationem magni fit ab eruditis. 3. Josephus cæcus, ætate, pretio, & stylo reliquis inferior, in Psalmos, Job, Proverbia, Canticum Canticorum, Ecclesiasten, Ruth & Esther Chaldaice commentatus est. Targum Jerosolymitanum solum Pentateuchum, eumque mutilum refert, & forte est fragmentum veteris cujusdam Paraphrasis, quæ interiit. Paraphrasis Chaldaica utilis quidem est ad eruendum sensum germanum S. Scripturæ, & refutandos hæreticos, sed in multis a Judæis corrupta fuit, uti probat Bonfrerius in Præloq.

Versio Syriaca. *Schol.* 3. Syriaca lingua proles est linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ. Hebræi enim ante captivitatem Babylonicam utentes lingua Hebraica in captivitate Chaldaicæ assueti fuerunt, & post captivitatem tertiam linguam a regione, in qua degebant, Syriacam dictam conflarunt, quæ deinde lingua Hebræorum vulgaris fuit, qua Christus Dominus & Apostoli usi esse creduntur. Auctor versionis Syriacæ incertus est; videtur tamen Apostolorum tempore esse inferior, & uti putat Mariana, Novum Testamentum ex Græco in Syriacam linguam translatum est. Editio Syriaca non est magnæ auctoritatis, & plures nævos in ea notat Mariana; servit tamen ad nostram Vulgatam confirmandam & ejus obscura elucidanda.

Samaritana. *Schol.* 4. Samaritanus Pentateuchus antiquissimus est, & summæ olim fuit auctoritatis, utpote scriptus illis litteris, quibus Moyses usus fuerat, scilicet Phœnicum, quibus Esdras post captivitatem Chaldaicas substituit (§. 7. Sch. 1.). Samaritanus tamen Pentateuchus purus ad nos non pervenit. Editiones Chaldaica, Syriaca, & Samaritana videri possunt in Polyglottis Anglicanis Waltoni.

Græca, LXX. Interpretum. *Schol.* 5. Græca S. Scripturæ versio multiplex fuit; famosissima est illa, quæ a septuaginta Interpretibus annis 291. ante Christum natum sub Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege facta fuit. Fuerunt hi 72 viri Hebræi senes ex qualibet tribu filiorum Israel utriusque linguæ peritissimi, qui spatio 72 dierum mirabili consensione Divinas Litteras apud Pharum Ægypti ex Hebraico ser-

mone in Græcum transtulerunt, cujus rei historiam refert Aristæas, quæ a D. Calmet in *dissert. de vers. 70. Interpr.* ad trutinam vocatur. Bellarminus etiam discutit, an singuli hi viri sejunctim in diversis cellulis, uti fertur, an vero simul congregati & inter se conferentes interpretationem illam fecerint, & probabilius illi videtur, quod rejectis illis cellulis mutua collatione facta fuerit. S. Hieronymus in c. 6. Ezechiel. putat, septuaginta solum Pentateuchum vertisse, quem sequitur D. Calmet. S. Just. in dial. cum Tryph. omnes Libros sacros in canone repertos illos vertisse censet, quem sequitur Bellarminus. Versio 70. Interpretum olim apud Judæos, & primis etiam Ecclesiæ temporibus authentica fuit; nam Christus Dominus & Apostoli verba S. Scripturæ citant juxta hanc versionem, uti multis exemplis probat Pezronius c. 4. antiq. temp. Item hanc versionem veteres mirifice semper extulerunt, Græci illa semper usi sunt, & hodiedum utuntur, neque Ecclesia occidentalis unquam cum illis expostulavit, quod corruptam haberent. In ipso etiam occidente sex primis sæculis antiqua versio Latina auctoritatem habuit a conformitate cum septuaginta; Hieronymiana enim versio nonnisi post obitum S. Hieronymi maxime sæculo 6to auctoritatem obtinuit. Versio hæc septuaginta hodie adhuc genuina extat, uti probant Waltonus & Calmet; quippe in Vaticano asservatur exemplar ante tempora S. Hieronymi exaratum litteris uncialibus, a Sixto V. juris publici factum & Romæ impressum an. 1586. in quo quæcumque citant Philo, S. Justinus, S. Irenæus, Clemens Alexandrinus, qui ante Origenem vixerunt, imo etiam Patres post Origenis hexapla, inveniuntur incorrupta: & quoties in hexaplis editioni septuaginta aliquid additum legitur sub asterisco, toties non habetur: quoties vero aliquid obelo notatur, toties habetur, quod est signum antiquæ puritatis. Ex hoc concludunt Bonfrerius, & Joan. de la Haye *in Prol. ad Bibl. max.* versionem hanc adhuc hodie esse authenticam in doctrina fidei & morum, nam fuit talis ante tempora S. Hieronymi; ergo adhuc est, quia eadem mansit in eadem Ecclesia. Accedit approbatio summi Pontificis in diplomate editioni citati Codicis præfixo: & leviora menda ab Alex. Nat. in hist. Eccl. Sæc. II. diss. 11. notata authentiam in rebus fidei & morum illi non auferunt. Quando ergo S. Hieronymus &c. dicunt, versionem septuaginta esse corruptam, sicuti *Gen.* 5. adhuc inest error de ætate Patriarcharum, volunt non in omnibus, sed in aliquibus solum exemplaribus, & forte in rebus levioris momenti esse corruptam. Error de ætate Patriarcharum jam fuit tempore S. Augustini *l.* 15. *de civ. c.* 14.

nec tamen propter errorem historicum, qui non a septuaginta, sed ab exscriptoribus forte provenit, S. Augustinus negavit authentiam ejus in doctrina fidei & morum, imo illam acerrime defendit. Huetius in *l. de demonst. Evang.* auctoritate Clement. Alex. *l.* 1. *strom.* & Euseb. *l.* 5. *præp. Evang. c.* 12. &c. probat, ante versionem 70. Interpretum jam aliam versionem Græcam extitisse, quæ tamen vitiosa erat, nec omnes S. Scripturæ Libros complectebatur, Auctor ejus ignoratur, & ipsa succedente hac celeberrima versione septuaginta omnino extincta fuit. Vid. Nat. Alex. *tom.* 2. *Hist. Eccl.*

Aquilæ. *Schol.* 6. Aliæ Græcæ versiones post illam septuaginta Interpretum adornatæ fuerunt. *Prima* est *Aquilæ Pontici* anno 12mo Adriani Imperatoris, qui primo gentilis, deinde Christianus, denique ab Ecclesia pulsus, quod Astrologiæ judiciariæ studeret, ad Judæos se contulit, & S. Scripturam græce interpretatus est, sed ex odio Christianorum non satis bona fide. *Secunda* Græca versio *Theodotionis.* facta fuit A. C. 184. *a Theodotione Ephesino*, qui primo Tatiani, deinde Marcionis discipulus, denique Judæus vetus Testamentum in Græcum transtulit multa addens, *Symmachi.* & multa demens. *Tertia* facta fuit a *Symmacho*, qui ex Samaritano Judæus, deinde Christianus, ac tandem Ebionis discipulus factus fuit, & versionem suam A. C. 200. non satis bona fide adornavit. *Quarta* est Græca editio *Jerichuntina.* sine certi Auctoris nomine, quæ vocatur *Jerichuntina*, quia ab Origene inventa fuit in quibusdam doliis urbis Jericho sub Caracalla Imperatore, teste S. Epiphanio; hanc *Nicopolitana.* ab antiquis reprehensam non legimus. *Quinta* est item incerti Auctoris in doliis apud *Nicopolim* reperta, teste eodem S. Epiphanio, quæ etiam ab antiquis non repre- *Origenis.* henditur. *Sexta* est Origenis, qui quidem S. Scripturam ex Hebræo non transtulit, interpretationem tamen septuaginta ita emendavit, multis ex Theodotione admixtis & notatis signo asterisci, multis etiam obelo vel veru jugulatis, ut novam editionem fecisse videatur: hæc edi- *S. Luciani M.* tio magni olim habita fuit. *Septima* editio est *S. Luciani* Presbyteri & Martyris, qui cum in jam dictis editionibus multa vitia obrepsissent, novam molitus est, quæ sub Constantino Imperatore Nicomediæ reperta fuit, ipsius manu descripta, & in quodam pariete asservata. *Octava* *Hesychii.* est *Hesychii* Monachi, qui septuaginta versionem denuo emendavit, & Ecclesiis Ægypti tradidit. Hæ duæ Editiones laudantur a S. Hieronymo, & in multis Ecclesiis orientalibus in usu fuerunt.

Græcus textus N. T. *Schol.* 7. Græcus Textus Novi Testamenti in iis, ubi non est corruptus, summæ est auctoritatis: at corruptum esse in nonnullis locis, inter alia colligi videtur,

quod in multis codicibus non legatur historia adulteræ, addita videntur illa verba post orationem Dominicam Matth. 6. *quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula*, quæ nec a S. Hieronymo, S. Ambrosio, S. Cypriano, nec a S. Augustino in expositione orationis Dominicæ citantur.

Schol. 8. Latinæ versiones ante S. Hieronymum plurimæ fuerunt; una tamen erat communior, quæ Vulgata editio dicebatur, uti patet ex S. Hieronymo in *c.* 14. *Isa.* Et hæc videtur esse illa *Itala*, quam S. Augustinus *l.* 2. *Doct. Christ. c.* 15. omnibus aliis anteponit. Illam quoad quatuor Evangelia etsi in multis detritam, edidit Blanchinus, cujus tamen Auctor ignotus est. In hanc Editionem cum successu temporis librariorum errore multa menda obrepsissent, S. Hieronymus vetus Testamentum ex versione septuaginta in latinum transtulit: deinde ut cumulatius publicæ utilitati satisfaceret, alteram translationem ex Hebræo instituit, quod nonnulli, maxime vero S. Augustinus, improbarunt. Verum successu temporis celeberrima facta est hæc versio, & in Vulgata nostra moderna a Tridentino approbata continetur, quæ proinde fere tota est S. Hieronymi sive versoris, sive emendatoris. Et quidem Pentateuchum in nostra Vulgata esse ex versione S. Hieronymi, constat ex computatione annorum Hebræo textui conformi. Librum Josue & Judicum ab eodem interpretatum probant stylus & Prologi adjuncti. Libros Regum illi interpreti adscribit S. Augustinus *l.* 2. *de civ. c.* 29. Paralipomena & Esdras ejusdem sunt, sicut & Esther, nonnullis additionibus exceptis. Librum Tobiæ, Judith & Job eum vertisse, patet ex præfationibus illis præfixis. De Proverbiis & Ecclesiaste patet ex exposit. Eccl. ad Blessillam. De Prophetis majoribus & minoribus constat ex commentariis S. Hieronymi. Liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch cum Epistola Jeremiæ, libri Machabæorum, appendiculus libri Esther, Psalterium, prout in Vulgata habetur, duo ultima capita Danielis, & Canticum trium Puerorum non sunt ex versione S. Hieronymi, quia exceptis Psalmis, hæc in Hebræo non reperit; unde illa habemus ex veteri Vulgata seu Itala. Psalterium quidem ex Hebræo vertit S. Hieronymus; illud tamen Ecclesia non recepit, sed tantum ejus emendationem versionis septuaginta, quia cum Psalmi passim in Ecclesiis memoriter decantarentur, novam translationem inducere satis difficile fuisset. Novum Testamentum in nostra Vulgata habemus ex veteri versione Itala a S. Hieronymo emendata juxta fontes Græcos, ex quibus tamen illud non transtulit. Post inventam Typographiam prima Edi-

Versiones Latinæ.

S. Hieronymi.

Vulgata.

tio fuit Moguntina per Joannem Fust an. 1462. De reliquis vid. Biblioth. le Long, & Calmet Dict.

Vulgatæ Auctoritas. *Schol.* 9. De Vulgata nostra salvo Tridentini decreto dicunt Catholici, *1mo* non constare, an Interpres Vulgatæ nostræ afflatus fuerit spiritu Prophetico, sed sine ulla temeritate dicere licet, eum non fuisse Prophetam, dum S. Biblia vertit; neque enim hoc ad auctoritatem Vulgatæ nostræ est necessarium, quæ authentiam suam habet ab Ecclesia approbante, non vero ab Interprete, & sufficit in Ecclesia esse donum interpretationis, quo judicetur Vulgatam esse integram & fidelem. *2do* Ex Tridentino non constat, Interpretem Latinum ita Vulgatam vertisse, ut aliqua melius & distinctius verti non possint. *3tio* Cum in Hebræo vel Græco textu verba multiplicis sint significationis, ita ut varias interpretationes patiantur, si Interpres noster unam aliis relictis elegit, non ideo aliæ sunt pravæ & rejiciendæ: quia tamen interpretatio Vulgatæ est judicio Ecclesiæ approbata, illa certo creditur a Spiritu S. intenta, cum e contra aliæ interpretationes, si fidei non repugnent, tantum probabiliter ex defectu definitionis Ecclesiæ a Spiritu S. intentæ dici possint. *4to* Per vocem authentica non præponitur Vulgata nostra fontibus Hebraicis & puris, ex quibus derivata est. *5to* Non est contra decretum Tritini dicere, videri aliquid additum vel demptum, quod sensui aliquo modo clariori officiat, hæc enim ad menda leviora spectant, quæ notari Concilium non prohibet, imo tolli desiderat; & licet jam auctoritate summorum Pontificum aliqua Vulgatæ correctio facta fuerit, fatentur tamen ipsi Correctores in Præfatione, se aliqua menda corrigenda reliquisse ad populi scandalum vitandum: imo & hos tam oculatos correctores forte nonnulla fugere potuerunt, quæ bonum est ab Interpretibus notari, ut si quando auctoritate Ecclesiæ facienda esset nova correctio, attentius inspiciantur. *6to* Salva fide dici potest, nonnullos leves errores in Vulgata in rebus ad fidem & mores non spectantibus contineri. Ita dixisse Cardinalem S. Crucis, qui Sessioni 4tæ Tridentini præfuit, testantur Vegas, & Jacobus Lainez, qui omnibus actionibus Tridentini interfuit: prudenter tamen hi errores dissimulantur, ne correctionis novitate fideles offendantur: unde privata auctoritate sine licentia vel jussu Ecclesiæ hanc correctionem nemo facere debet. E contra vero juxta Tridentini decretum docent omnes Catholici, *1mo* Vulgatam nostram in rebus ad fidem & mores spectantibus pro vera & infallibili S. Scriptura, & ipsi originali vere consentiente habendam esse. *2do* Per vocem authentica anteponitur omnibus versionibus Latinis, quæ hactenus pro-

dierunt, utpote quæ fidelius & majori energia mentem Spiritus S. exprimat. *3tio* Vulgata non tantum est fidelior aliis versionibus latinis, sed etiam simpliciter fidelis, ita ut nil contineat subdole additum, demptum, immutatum, obscure vel ambigue versum ad fidei mysteria occultanda. *4to* Quando moderni Hebraici & Græci Codices in rebus fidei & morum forte ita differrent a Vulgata, ut in concordiam cum ea redigi non possent; si locus Vulgatæ transcribentis vitio non est corruptus, standum esset potius Vulgatæ, quam codici Hebræo vel Græco, in quo forte mendum quacumque demum ex causa contigit, quod ex Vulgata erit corrigendum. Vid. Poncium *de Vulgata*, & Calmet *Diss. in Vulgatam*.

Schol. 10. Versiones S. Scripturæ vulgares & vernaculæ non sunt authenticæ, nisi in quantum cum authentica conveniunt. Versionem Germanicam primam ab Ulphila Gothorum Episcopo factam esse dicunt an. 360. quæ tamen periit. Prima typis edita Biblia Germanica prodierunt Moguntiæ an. 1461. sed hæc incerta sunt. Illa sunt certissima, quæ an. 1477. typis mandata sunt. Vid. Diction. Bibl. Calmeti. Versiones heterodoxorum nullius sunt auctoritatis. Sic versio Germanica Lutheri an. 1522. cœpta & an. 1534. absoluta nil valet; omittit enim tamquam apocryphos multos Libros V. T. & hos vertit ex Hebræo, quod se nescire ultro fatetur in sermonibus mensalibus, Francofurti ad Mœnum 1593. p. 412. M. Lomer Præco Augustanus nuper publico typo fassus est, quod *Lutherus sua Biblia Germanica fecerit juxta exemplar Hebraicum corruptum*. Idem dic de Novo Testamento, in quo teste Joanne Cochlæo in vita & actis Lutheri apud Bellarm. *l.* 2. *de verbo Dei c.* 10. tantum in versione N. T. notantur ultra 1000. falsificationes textuum, innumerabiles in V. T. Calvinus Luthero totus est contrarius. Joannes Piscator cum sua versione Bibliæ, *Puniat me Deus*, sic dicta, quia ita vertit Marci 8. v. 12. illud *Amen dico vobis* &c. a Lutheranis reprehenditur. Et ne longiores simus an. 1736. Schmitt Werthemii novam Germanicam versionem fabricatus est, secundum principia hermeneutica Wolfii, quem Joachimus Langen refutavit an. 1736. *Versiones vulgares.*

§. 9. Cum S. Scriptura in linguam Vulgarem versa non sit authentica (§. 8. Sch. 10.) nisi in quantum convenit cum authentica, *Ejus lectionem in lingua Vulgari pro omnibus indiscriminatim merito Ecclesia prohibere potuit*. Nam *Primo* hæc lectio omnibus indiscriminatim non est necessaria, sed sufficit, ut laici a Legis Evangelicæ peritis fidem edoceantur: sane hoc in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum ad instructionem & *Lectio S. Scripturæ lingua vulgari merito prohibita fuit.*

salutem fidelium satis erat, quando S. Scriptura in linguas vernaculas tot diversarum nationum ad fidem conversarum necdum translata fuerat. *Secundo* Nullibi præceptum est laicis sacra Biblia legere, sicuti nec præceptum est, ut discant legere, quia *fides ex auditu* Rom. 10. v. 17. haberi potest. Illud Joan. 5. *Scrutamini scripturas*, dictum est Doctoribus, adeoque præceptum non est omnibus. *Tertio* Ex lectione indiscriminata S. Scripturæ in lingua vulgari gravissima incommoda oriri possunt: sæpe in rudium manus deveniunt editiones hæreticorum corruptæ; indocti SS. Litteras non rite intellectas in pravum sensum detorquent; exempla prava ibi ad fugam ostensa, & nonnulla specialiter a Deo Judæis duræ cervicis permissa in sequelam trahunt; sacra Mysteria pretiosas margaritas in popinis irreverenter ante porcos projiciunt. Hæc & alia merito induxerunt Tridentinum, ut indice Librorum prohibitorum statueret: *Cum experimento manifestum sit, si SS. Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri: hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi aut Confessarii Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.* Et Clemens XI. in Constitutione *Unigenitus* hanc propositionem damnavit: *Lectio Scripturæ est pro omnibus.* Vid. Serarium in *Proleg. Biblicis c. 20. q. 5.*

Schol. Lectio S. Scripturæ in lingua vulgari non est absolute prohibita ab Ecclesia, imo in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit: sic teste Layman l. 2. tr. 1. c. 15. *illi etiam laudandi, qui in Germania nostra, nulla diserte petita facultate Biblia vulgata & vernacula Echii, vel Dietenbergii &c. legunt.* Et quanquam regula Indicis velit, ut facultatem legendi Biblia in scripto habeant a Parochis vel Confessariis, illam tamen regulam in Germania non vigere docet la Croix l. 7. Theol. mor. dub. 4. a. 5. n. 374. ideo enim Biblia Germanica cum approbatione Ordinarii imprimuntur, utique pro Germanis.

S. Scriptura non est ubique clara. §. 10. Justitiam Legis Ecclesiasticæ prohibentis promiscuam S. Scripturæ in lingua vernacula lectionem vindicat *obscuritas* S. Scripturæ, *quam non secundum omnes partes suas per se claram, sed in multis satis difficilem, obscuram, & interpretatione indigentem esse asserimus.* Nam *Primo* S. David Ps. 118. orat: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Si

dicas cum D. Schubert, S. David non petere, ut Scripturæ novum lumen inseratur, sed ut sibi detur gratia lumen illud videndi: ergo infero lumen illud non lucet, & consequenter obscurum est, & quidem absolute, cum vix credibile sit, Davidi viro secundum cor Dei defuisse requisita ad intelligendam S. Scripturam necessaria. Ait præterea, *considerabo mirabilia* נפלאות a radice פלא *occultum esse*, id est *occulta de lege tua:* ergo non solum petit vivam & efficacem intelligentiam, sed absolutam, & quidem ut naturalis impotentia ejus per lumen Spiritus S. suppleatur. Rursus Christus ipse *Luc.* 24. duobus discipulis in Emmaus euntibus incipiens a Moyse & Prophetis interpretabatur in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et S. Petrus ep. 2. c. ult. ait, in Epistolis S. Pauli reperiri *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*. Dantur igitur in sacris Scripturis nonnulla difficilia, quæ indocti, græce *ἀμαθεῖς indociles*, discere ab Ecclesia nolentes, & *instabiles ἀστήρικτοι*, qui fidei firmitatem non habent, *depravant στρεβλοῦσιν*, torquent scilicet in pravos sensus: ergo S. Scriptura in nonnullis est obscura, non solum quoad res & Mysteria, quorum internam possibilitatem, rationes & nexus S. Scriptura nos non docet, sed fidem exigit quoad verba, quæ indocti depravant. *Secundo* Hanc obscuritatem S. Scripturæ agnovit primitiva Ecclesia, & Doctores antiqui ac perspicacissimi eam confessi sunt. S. Irenæus l. 2. cap. 28. & Clemens Alex. l. 6. strom. Origenes contra Celsum, S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. S. Hieronymus ep. 142. SS. Scripturas obscuras & profundas vocant. S. Basilius & S. Gregorius Naz. dicunt, eas sine Doctore intelligi non posse. S. Chrysostomus hom. 19. in Acta ait, esse abyssum quæstionum. Quis credat sæcula nostra supra hæc magna ingenia sapere, & signatum sacrum Librum & signacula ejus per se se aperuisse? *Tertio* Si consideremus res S. Scripturæ, sane obscuræ sunt, utpote altissima Mysteria & Vaticinia: si modum loquendi, videntur nonnulla sibi contrariari, sunt ibi orationes ambiguæ, imperfectæ, præposteræ, Metaphoricæ, Allegoricæ: certe si S. Scriptura usque adeo clara est; cur eumdem textum aliter exponunt Lutherani, aliter Calvinistæ, aliter Catholici? Respondent Protestantes, S. Scripturam saltem in iis, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, claram esse, & ab omnibus intelligi posse, si attente legatur, lingua originalis teneatur, & sine præjudiciis consideretur. Verum cum tot & tanta ad intellectum S. Scripturæ requirant Protestantes, nonne aperte fatentur, eam esse obscuram?

& quid si his omnibus observatis difficultas superari non possit? Si suppositis his rebus ad salutem necessariis v. g. de necessitate Baptismi aliter S. Scripturam Lutheranus, aliter Calvinista explicet? Quis hanc controversiam dirimet? Regulæ enim hermeneuticæ, quas tradunt, necdum post tot annos litem diremerunt.

Schol. Protestantes docent, S. Scripturam saltem quoad verba habere perspicuitatem absolutam, sed non relativam, ita ut ab omnibus intelligi quidem possit, licet non ab omnibus intelligatur, quibus nimirum desunt requisita ad ejus intellectum necessaria; in rebus tamen ad salutem scitu & creditu necessariis adeo claram esse dicunt, ut ab omnibus intelligi possit, quamvis ab uno facilius, ab altero difficilius. Nos dicimus, in rebus etiam ad salutem scitu necessariis S. Scripturam non esse ubique ita claram, ut adhibitis etiam regulis hermeneuticis intelligi rite possit, sed requiri explicationem Ecclesiæ a Spiritu S. directæ & gubernatæ. Quæ vero nobis objiciunt Protestantes, I. quod scilicet S. Scriptura sit Lux, Lucerna, &c. *Resp.* solum intelliguntur vel de S. Scriptura legitime explicata, vel de locis ejus claris & perspicuis. II. Eodem modo Patres S. Scripturam claram esse dicentes intelligendi sunt.

Varii sensus S. Scripturæ. §. 11. Obscuritas S. Scripturæ ex multiplici sensu, qui sub iisdem verbis reperitur, etiam nascitur: *Datur nimirum sub illis sensus litteralis & mysticus*, quod ipsi Protestantes concedunt, & patet ex ipsa S. Scriptura, quæ in nonnullis locis spiritualiter & mystice explicat alios locos litteraliter sumptos. Sic *Gen.* 16. dicitur Abraham duos filios habuisse, unum de ancilla, & unum de libera: quod litteraliter verum est; & tamen S. Paulus *ad Gal.* 4. ait, hæc esse *per allegoriam dicta*, sicuti etiam ibidem de duobus Testamentis explicat. Plura passim obvia omittimus, & ulterius dicimus, *in eadem littera plures latere sensus veros & proprios litterales ab ipso S. Scriptore cognitos & intentos*. Nam *Primo* hoc innuit S. Scriptura, quia illud *Exod.* 12. *v.* 46. *Os non comminuetis ex eo*, litteraliter de Agno Paschali, & simul de Christo dicitur; teste S. Joanne c. 19. v. 36. *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur*. *Secundo* Dei Majestatem decet tanta veritatis ubertas, ut paucis verbis plurima eaque diversa comprehendantur: decet S. Scripturæ altitudinem & auctoritatem, ut tot gentibus, tot ingeniis in tanta temporum differentia locutura, unicuique quod ille de rebus Divinis assequitur verum, hoc significet: decet Prophetarum & Apostolorum merita, ut plurimos sensus arcanos a Deo accipiant, & aliis fœcunditate mirabili communicent. Accedit, quod plures sen-

sus spirituales iisdem verbis sæpe Spiritus S. in Scripturis insinuet; ergo &. litterales, cum sapientis sit paucissimis verbis plurima complecti. Vid. Joseph. Acostam, *de verâ Scripturas interpret. rat.* Caute tamen dicendum, & nonnisi ex gravi ratione admittendum est, duos sensus litterales diversos sub eadem littera contineri, ne hæreticis ansa detorquendi Scripturam in pravum sensum præbeatur.

Schol. Sensus S. Scripturæ est verborum ejus immediata vel mediata significatio a Deo intenta. Duplex est in genere sensus S. Scripturæ, litteralis seu historicus, in quo voces res significant; & mysticus seu spiritualis, quo res per voces significatæ iterum alias res significant, qui proinde sensus litteralem supponit, & in eo fundatur. Sensus litteralis iterum duplex est, unus proprius & grammaticalis, quem verba ex sua primaria significatione significant, v. g. Leo, animal rugibile: alius est improprius & metaphoricus, dum verba ad impropriam significationem transferuntur ob aliquam similitudinem, v. g. *vicit Leo de Tribu Juda*, ubi Leo metaphorice Christum significat. Sensus spiritualis seu mysticus triplex est, scilicet Allegoricus, quo significatur per res significatas per verba aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem in terris: Moralis seu Tropologicus, quando res significatæ per verba significant aliquid pertinens ad mores: et Anagogicus, quando significant aliquid pertinens ad Ecclesiam triumphantem, seu æternam beatitudinem. Primus sensus fidei, Secundus charitati, Tertius spei respondet. *Sensus litteralis.*

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Sic vox *Jerusalem* litteraliter urbem Palæstinæ, allegorice Ecclesiam militantem, moraliter animam justi, anagogice Ecclesiam triumphantem significat. Sensus Parabolicus pertinet ad litteralem metaphoricum; nam Parabola nihil aliud est, quam integra sententia, quæ propter similitudinem transfertur ad significandum aliquid aliud a proferente intentum. Omnis textus S. Scripturæ habet sensum litteralem; alias enim omni sensu careret, cum spiritualis fundetur in litterali: unde siqui PP. videntur negare in nonnullis textibus sensum litteralem, intelligendi sunt de sensu litterali proprio, non vero metaphorico. Quatuor sensus assignati litteralis & triplex mysticus non in quolibet textu S. Scripturæ reperiuntur, sed subinde quatuor, subinde tres, subinde duo, subinde solus litteralis: unde multum hallucinantur, qui dum in singulis textibus S. Scripturæ sensus mysticos quærunt, nec inveniunt, S. Scripturam ridicule contorquent. Sensus litteralis & mysticus sunt inter se quoad præstantiam

ut excedentes & excessi. Litteralis prævalet, 1. quoad prioritatem, quia est fundamentum sensus mystici. 2. Quoad generalitatem, quia in omnibus reperitur. 3. Quoad certitudinem, quia certo constat de sensu litterali, non vero de mystico, nisi dum a S. Scriptore asseritur, aut per Ecclesiam declaratur; sensus enim mystici, quos proferunt SS. Patres, sunt tantum probabiles: unde ex solo sensu litterali, aut mystico per aliam Scripturam aut Ecclesiam asserto efficax argumentum deduci potest. Ex alia parte sensus mysticus prævalet 1. quatenus regulariter significat res præstantiores. 2. Quatenus principaliter intenditur a Spiritu S. Sic narratione factorum in veteri Testamento Christus principaliter intenditur: unde sensus litteralis comparatur corpori, mysticus animæ. Sensus accommodatitius S. Scripturæ est, quem verba habent nec ex intentione Dei vel S. Scriptoris sive litteraliter, sive mystice, sed ex hominis ea applicantis ad significandum aliquid simile illi, quod in S. Scriptura exprimitur. Sic Ecclesia illud de Noe dictum *Eccl. 44. Inventus est justus*, applicat SS. Confessoribus Pontificibus. Regulas pro discernendo sensu litterali, & eruendo mystico tradit Bonfrerius in Præloq. &c.; potiores hic sistimus.

Regulæ pro discernendo sensu litterali S. Scripturæ.

Regulæ pro sensu litterali S. Scripturæ.

Prima. Verba S. Scripturæ sumi debent ad litteram, quando ex littera proprie accepta nil fidei, vel bonis moribus repugnans sequitur.

Secunda. Conferatur S. Scriptura cum loco, tempore & scopo scribentis.

Tertia. Conferatur S. Scriptura cum S. Scriptura; unus liber cum alio; unus textus cum alio; antecedentia cum consequentibus; locus obscurus cum alio clariori.

Quarta. Textus originalis magnam lucem affundet; caveatur tamen, ne clarus textus Vulgatæ ob sensum Hebraicum dubium vel multiplicem rejiciatur; supponendum enim & credendum est, quod S. Hieronymus & Ecclesia melius intellexerint Hebraicum vel Græcum, quam aliquis modernus.

Quinta. Sensus litteralis est, quem Ecclesia, & unanimis Patrum consensus habent pro litterali.

Sexta. Bene attendatur ad interpunctiones, commata & puncta, ne eorum inversione sensus corrumpatur.

Septima. Nosse juvat varios Hebraismos, pondera, mensuras, Rempublicam, Scholas, supplicia &c. Hebræorum & veterum. Item Geographiam, Chronolo-

giam, Historiam, &c. eorum, de quibus eruditissime tractat Calmetus, in suis dissertationibus.

Regulæ pro sensu mystico S. Scripturæ eruendo.

Prima. Nihil ex S. Scriptura eruatur, quod veritati & pietati repugnet. *Regula pro sensu mystico.*

Secunda. Sensus spiritualis fundetur in litterali bene intellecto, non depravato, vel violenter detorto.

Tertia. Sensus spiritualis desumatur ex rebus significatis per verba, & inter ea, & figuram, quam quærimus, sit proportio.

Quarta. Non in quavis re sive gesta sive dicta Allegoria quærenda est, maxime in præceptis moralibus.

Quinta. Sensus accommodatitius S. Scripturæ ad vanos & turpes usus non trahatur, & rei dignitati omnino conveniat.

§. 12. S. Scriptura non continet omnia ad salutem scitu & creditu necessaria, unde præterea *admittendæ sunt Traditiones Divinæ, seu verbum Dei traditum, tamquam fidei & morum regula, in quo multa ad salutem necessaria continentur.* Ita docet *Primo* ipsa S. Scriptura, ubi 2. *ad Thessal.* 2. Apostolus hortatur Thessalonicenses, ut stent in fide, adhæreantque iis, quæ ab ipso acceperunt sive scripto sive verbo tenus: *Tenete*, ait, *Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Respondet Chemnitius, Apostolum primo quidem tradidisse sermone, quæ postea in aliis epistolis scripsit. Verum particula, *sive*, clare indicat, alia esse, quæ tradiderat, & quæ jam scripserat, nec probari potest ab adversariis, quod S. Paulus omnia, quæ oretenus tradidit, postea in aliis epistolis vel ab illo vel ab aliis Apostolis scripta fuerint, maxime cum absolute dicat, tenendas esse Traditiones, licet in scripta redactæ non sint. Easdem Traditiones commendat Apostolus 2. *ad Tim.* 2. *v.* 2. *Secundo* Traditiones non scriptas agnovit primitiva Ecclesia: consulantur de illis veteres. Irenæus l. 3. cont. hæres. c. 3. Tertul. l. de Cor. mil. c. 3. & de præscript. hæret. S. Basilius ad Amphilo. de Spir. S. c. 29. S. Epiphanius hær. 61. S. Augustinus ep. ad Janua. quorum & aliorum Patrum vestigiis insistens Synodus Tridentina Sess. 4. rite definit: *Siquis... Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Easdem traditiones jam antea laudavit Conc. Gangrense circa a. 325. Nicænum II. act. 7. an. 785. & Synod. VIII. an. 869. act. 10. can. 1. *Tertio* S. Scriptura scripta non est, ut sola esset sufficiens fidei nostræ regula: certe hoc ex nullo S. Scripturæ testimonio evincunt adversarii; quæ enim pro se allegant, vel prohi-

Traditio est regula fidei.

bent, ne Doctrina S. Scripturæ corrumpatur, vel ne quid illi contrarium temerario ausu addatur: vel dicunt illa, quæ ibi continentur, sufficere ad probandam Christi Divinitatem, absque eo, quod Traditiones Divinæ excludantur. Sane plura sunt fidei dogmata ab ipsis adversariis admissa, quæ ex S. Scriptura probare non possunt. Ex quo loco ostendunt, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos? ad valorem Baptismi verba ore prolata requiri? quatuor tantum esse Evangelia? &c. Hæc omnia habemus ex Traditione, sunt ad salutem creditu necessaria, adeoque juxta illos articuli fundamentales. Traditiones igitur ut fidei regula admittendæ sunt.

Traditio quotuplex. *Schol.* 1. Traditio in genere est verbum sine scripto traditum. Traditio spectata *penes suum Auctorem* alia est Divina a Deo immediate revelata scripto non tradita: alia est Apostolica, quæ ab Apostolis viva voce, non vero scripto eorum, ad nos derivatur; si ab Apostolis veniat ut immediatis Christi præconibus, dicitur Apostolico-Divina; si ab illis ut Pastoribus Ecclesiæ fluit, dicitur traditio pure Apostolica: alia est Ecclesiastica, quæ post Apostolos a Prælatis Ecclesiæ introducta, & consuetudine roborata fuit. *Ratione materiæ* alia Traditio est de fide, spectans ad fidem, alia morum, ad mores & disciplinam pertinens. *Ratione temporis* alia est perpetua, alia temporalis. *Ratione loci* alia est universalis, alia particularis. Denique alia est de præcepto, alia de consilio. Traditio Ecclesiastica a Divina dignoscitur, 1. siquid modo post Apostolorum tempora institutum fuerit. 2. Quando mos aliquis semper ab Ecclesia retentus est tamquam ad fidem pertinens, erit Traditio Divina. 3. Si dogma aliquod omnes Patres unanimiter tenuerunt, & contrarium ut hæreticum refutarunt, licet in S. Scriptura non sit expressum. 4. Siquid in universa Ecclesia communi fidelium consensu probatur, quod humana potestas efficere non potuit, est Traditio Divina. 5. Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis unquam institutum, sed semper retentum est, a Deo vel Apostolis descendit. 6. Si Traditio mutabilis fuerit, non Divina, sed Apostolica vel Ecclesiastica dici debet.

Traditiones Judæorum. *Schol.* 2. Judæi etiam suas habent Traditiones a Moyse ab ore ad os usque huc propagatas. Traditio hæc duplex est, altera est plenior & communior Legis explicatio, a diversis sapientibus diversis temporibus facta, quæ in *Mischna*, *Gemarra*, *Masora* & *Talmud* reperitur: altera est magis anagogica arcana & symbolica legis explicatio, quæ in *Cabala* continetur. Est autem

Mischna. *Mischna* lex oralis collecta, & scripto mandata a R.

Jehuda anno post Christum natum 400. uti probat Morinus ex silentio antiquiorum Patrum. *Gemarra* est quædam expositio, & complementum *Mischnæ*, Auctore R. Ase. *Talmud* est volumen ex *Mischna*, & *Gemarra* conflatum, sacras & profanas Judæorum leges complectens. Duplex est, Jerosolymitanum a R. Johanna, & Babylonicum a R. Jese conflatum, utrumque fabulis & horrendis in Christum blasphemiis infame. *Masora* est quasi Critica Legis circa voces, litteras & puncta, supplendo defectus, & distinguendo puncta & versus: Auctores ejus censentur Judæi Tyberiadis circa annum Christi 500. *Cabala* est Anagogica S. Scripturæ expositio. Triplex est, prima est Mystica explicatio Sapientioribus tradita. Secunda est Magica, ope vocum docens fugare dæmones. Tertia est occupata in litteris, vocibus, punctis, accentibus, litterarum permutationibus, combinationibus, figura, valore, notandis ad eruendum sensum mysticum. Hæc species *Cabalæ* subdividitur in *Gametriam*, quæ voces sola transpositione explicat: in *Notaricam*, quæ in singulis litteris alicujus vocis nova verba inquirit: & in *Themuram*, quæ litteras pro litteris substituit, ob certum litterarum concursum.

Gemarra. Talmud. *Masora.* *Cabala.*

Schol. 3. Protestantes negant Traditiones esse regulam fidei. Concedunt 1. fuisse aliquando tempus, quo Lex & Evangelium ex mandato & inspiratione Dei nondum scripta erant, sed modo post mortem virorum θεοπνεύστων scripta esse omnia contendunt. Verum undenam omnia scripta esse probant? 2. Docent, quidquid intuitu salutis credi, & peragi oportet, contineri in Scripturis, non quidem totidem verbis, & immediate, sed multa per facilem, certam, & evidentem consequentiam, adhibitis quandoque principiis rationis & experientiæ ex S. Scriptura demonstrari posse. Sed ubinam habetur hæc evidens demonstratio ex S. Scriptura petita, si quæstio sit, an ipsam S. Scripturam illibate ad nos propagatam modo adhuc habeamus? Dicis ex eo, quia conformis est textui originali. Quomodo vero probas, & quidem evidenter ex S. Scriptura, hunc textum, quem modo habemus, corruptum non esse? Urgent hæc ipsum Chemnitium, qui in Exam. Trid. pag. 306. tandem fatetur: *Hanc traditionem, qua nobis in manus dantur S. Scripturæ libri, reverenter suscipimus.* Grotius in animadversion. adv. Rivetum hic cum Catholicis consentit: & D. Schubert in Inst. Theol. Polem. p. 2. pag. 366. ait: *Ex Traditione non discimus, libros illos vere Divinos esse, sed tantum Ecclesiam eos pro Divinis semper habuisse: ipsam autem librorum Divinitatem, docet ipsius Scripturæ testimonium tam verbale, quam*

Protestantium sententia.

reale. Vid. Bellarm. *l.* 4. *de verbo Dei*, Stapleton. *in Princ. fid. Doctr. Controv.*

Solvuntur objectiones. *Schol.* 4. Contra Traditiones objiciunt Protestantes: I. *Deut.* 4. prohibetur aliquid addere ad verbum Dei: quod idem fit *Apocal. ult. v.* 8. *Resp.* in Deuteronomio solum præcipitur, ut integre sine falsa interpretatione, mutatione vel diminutione mandata divina serventur. Et S. Joannes tantum corruptionem Apocalypsis prohibet. II. S. Scriptura omnia creditu necessaria continet *Joan.* 20. & *utilis est, ut perfectus sit homo Dei* 2. *ad Tim.* 3. *v.* 16. Imo *doctrinæ hominum Is.* 29. & *Matth.* 15. *v.* 6. & *ad Coloss.* 2. *v.* 8. omnino damnantur. *Resp.* S. Joannes loquitur solum de miraculis ad probandam Christi Divinitatem. Et S. Paulus tantum dicit, Scripturam utilem, non vero sufficientem esse. Et S. Scriptura traditiones falsas & vanas ac verbo Dei contrarias rejicit. III. S. Irenæus *l.* 3. *adv. hær. c.* 1. solum Evangelium *fundamentum fidei nostræ* constituit. Et Tertullian. *cont. Hermog.* væ intentat *adjicientibus aliquid ad Scripturam*. Et S. Cyprianus *ep.* 74. ait, *ea solum facienda quæ scripta sunt*, quod etiam innuit S. Hierony. *in Ps.* 86. ac S. August. *tr.* 49. *in Joan.* ait: *electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere credebantur*. Et S. Chrysost. *in Ps.* 95. ait: *absque Scriptura auditorum cognitio claudicat*. *Resp.* S. Irenæus de falsis Marcionitarum traditionibus loquitur. Tertullianus mundum non ex præjacente materia conditum esse probat ex *Gen.* 1. quibus nil adjiciendum est. S. Cyprianus traditionem S. Stephani P. de non rebaptizandis hæreticis solum, licet erronee, ut commentitiam rejicit. Et S. Hieronymus falsas traditiones reprobat. S. Augustinus de miraculis ad credendum in Christum sufficientibus loquitur. Et S. Chrysostomus eos vellicat, qui conciones ex suo tantum cerebello procudunt. IV. Traditiones sine Scriptura vix ad nos illibatæ pervenire potuerunt: imo imperfectam esse S. Scripturam & non omnia complectentem arguunt. *Resp.* Traditionem illibatam monumenta Patrum, Concilia, & continuus usus Ecclesiæ nobis conservarunt: & ex S. Scriptura simul cum traditione opus & regula fidei completa & perfecta consurgit.

Auctoris princip. J. P. E. sententia. *Schol.* 5. Auctor *Princip. Jur. publ. Eccl.* censet, dari Traditiones mere orales, quæ tradunt id, quod nullo modo, ne quidem implicitis terminis in S. Scriptura scriptum est, esse quæstionem pure Scholasticam; imo vult controversiam inter Catholicos & Protestantes de Traditione esse potius facti, quam juris, nimirum an præter S. Scripturam traditio oralis tantum detur, non

vero an supposita ejus existentia sit reverenter suscipienda, quod nec ipsi Protestantes negant. Ex quo infert, anathema Tridentini in Protestantes traditionem negantes, esse nimis vagum, nec eos fulminare, cum traditionem Christi scienter non contemnant. Hanc sententiam tamquam periculosam refutat Cl. P. Zallwein in *princ. Jur. Eccl. q.* 2. *c.* 3. §. 6. Verum si hæc quæstio sit juris nemo dubitabit, eam ab Ecclesia definiri potuisse; si autem sit solius facti vel facti dogmatici, inferius videbimus, quid in his quæstionibus Ecclesia possit.

§. 13. Traditionis testes sunt Ecclesiæ Patres. *Communis ergo omnium Patrum Ecclesiæ consensus est infallibilis in materia fidei & morum*. Nam *Primo* Patres & Ecclesiæ Doctores sunt a Deo dati Ecclesiæ, ut illam ab omni errore præservent, juxta illud *ad Eph.* 4. *v.* 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Ergo in materia fidei & morum consensus Patrum est infallibilis. *Secundo* Ecclesia jam olim in Conciliis fidem Patrum se sectari professa fuit. Sic in Concilio Chalcedonensi conclamatum fuit: *Hæc est fides Patrum*. Concilium Constantinopolitanum VI. act. 12. ait: *SS. PP. dogmata tamquam legem, Sanctæ Dei suscipiunt Ecclesiæ*. Horum vestigia secuta sunt subsequentia Concilia, Lateranense sub Martino V. & Tridentinum Sess. 4. in decreto de edit. SS. Libror. *Tertio* Traditio ex dictis est Regula fidei: sed hanc habemus ex Patribus; ergo sicut illa, ita unanimis Patrum consensus erit infallibilis.

Patrum auctoritas.

Schol. 1. Discrimen est inter Doctores in Ecclesia, & Doctores Ecclesiæ. Ut quis sit Doctor in Ecclesia, sufficit, quod sit fidelis Catholicus, & ab Universitate Catholica gradu Doctoris insignitus: ut vero sit Doctor Ecclesiæ, requiritur eminens doctrina, insignis vitæ sanctitas, & definitio Ecclesiæ. Unde Bonifacius VIII. c. *Gloriosus, de Reliq. & Ven. SS.* tamquam notiores Ecclesiæ Doctores publico officio honorandos in Ecclesia Latina statuit S. Gregorium M. S. Augustinum, S. Ambrosium & S. Hieronymum. Quibus S. Pius V. S. Thomam Aquinatem, & Sixtus V. S. Bonaventuram adjecit. Patres vero Ecclesiæ proprie vocantur, quos ob eminentem Doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem ut tales agnovit, & tacite vel expresse declaravit Ecclesia. Methodum legendi

Doctor Ecclesiæ, & in Ecclesia quis?

Patres Ecclesiæ qui?

opera Patrum tradit Argonensis in libro *de opt. leg. PP. methodo*. Editiones operum PP. optimæ sunt, quæ a Benedictinis Congr. S. Mauri adornatæ fuerunt. Vid. Annatum.

Quomodo probent Patres? *Schol.* 2. Auctoritas PP. in rebus naturali lumine cognitis tantum probat, quantum eorum ratio. Unius etiam vel duorum PP. auctoritas in rebus fidei certum argumentum non facit, imo nonnulli Patres humano spiritu in eo aliquando errarunt, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, cum eorum tempore res necdum ab Ecclesia expresse definita fuerit. Quin & plurium Patrum auctoritas aliis licet numero minoribus reclamantibus non semper præstat firmum argumentum Theologicum. Denique omnium etiam Patrum consensus in quæstionibus ad fidem & mores non spectantibus probabilem solum fidem facit. Vid. Canum *de loc. Theol.*

Catalogus Patrum famosiorum. *Schol.* 3. Ut traditio ex Patribus hausta per singula sæcula clarius innotescat, accipe hic brevem priorum temporum famosiorum Patrum catalogum, ex P. Graveson *in hist. Eccl.*

Scriptores Sæculi 1mi sunt, S. Dionysius Areopagita circa a. c. 50. S. Clemens Papa circa a. c. 65. S. Hermas dictus Pastor circa a. c. 65. S. Ignatius M. Ep. Antioch. & Papias Ep. Hierapol. sub finem Sæculi 1mi.

Sæculi 2di. S. Justinus M. circa a. c. 140. S. Irenæus Ep. Lugdun. circa a. c. 167. Melito Asianus circa a. c. 170. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus circa a. 192.

Sæculi 3tii. Origenes circa a. c. 230. S. Cyprianus M. Ep. Carthag. circa a. 244. S. Gregorius Thaumaturgus circa a. 290.

Sæculi 4ti. Lactantius Firmianus circa a. c. 303. Eusebius Cæsareensis circa a. c. 315. S. Athanasius circa a. 326. S. Cyrillus Jerosol. circa a. 350. S. Hilarius Ep. Pictav. circa a. 354. S. Optatus Milevitanus, & S. Epiphanius circa a. 368. S. Ephrem circa a. 370. S. Basilius Ep. & S. Gregorius Nazian. eodem tempore. S. Ambrosius circa a. 374. S. Hieronymus circa a. 378. S. Augustinus circa a. 396. S. Joannes Chrysostomus circa a. 398.

Sæculi 5ti. S. Cyrillus Alexand. circa a. 412. Theodoretus circa a. 423. Cassianus circa a. 424. S. Petrus Chrysologus circa a. 433. Vincentius Lerinensis circa a. 434. S. Leo M. circa a. 440. S. Prosper circa a. 444.

Sæculi 6ti. S. Fulgentius Ep. Ruspensis circa a. 508. Boetius Rom. circa a. 510. Cassiodorus circa a. 514. S. Joannes Climacus circa a. 564. S. Gregorius M. circa a. 590. S. Isidorus Hispalensis circa a. 595.

Sæculi 7timi. Joannes Moschus circa a. 629. Andreas Cretensis circa a. 635. S. Ildephonsus circa a. 657.

Sæculi 8*vi*. Venerabilis Beda circa a. 701. S. Joannes Damascenus circa a. 751. Alcuinus circa a. 780.

Sæculi 9*ni*. Amalarius Fortunatus circa a. 810. Haymo circa a. 840. Walafridus Strabo circa a. 842. Paschasius Radbertus circa a. 844. Hincmarus Rhemensis circa a. 845. Rabanus Maurus circa a. 847. Anastasius Bibliothecarius circa a. 870. Aimoinus circa a. 872. Usuardus circa a. 876.

Sæculi 10*mi*. Simeon Metaphrastes circa a. 901. Œcumenius & Olympiodorus. Burchardus Episcopus Wormat. circa a. 996.

Sæculi 11*mi*. S. Petrus Damianus circa a. 1057. Anselmus Lucensis circa a. 1073. S. Ivo Ep. Carnot. circa a. 1092. S. Anselmus Cantuariensis circa a. 1093.

Sæculi 12*mi*. Rupertus Tuitiensis circa a. 1111. S. Bernardus Claravallensis circa a. 1115. Hugo de S. Victore circa a. 1120. Gratianus Auctor Decreti circa a. 1131. Petrus Lombardus Magister sententiarum circa a. 1141.

Sæculi 13*tii*. S. Raymundus de Pennafort circa a. 1228. Alexander de Hales circa a. 1230. S. Thomas Aquinas circa a. 1254. S. Bonaventura circa a. 1255. B. Albertus M. circa a. 1260. Vid. Bellarm. *de Script. Eccl.* Dupin *Bibl. PP.*

Schol. 4. Theologorum Scholasticorum etiam plurium auctoritas in Theologicis, si alii docti contradicant, non plus probat, quam eorum ratio: si vero in re gravi omnes Scholastici consentiant, temerarium foret illis refragari, quia sine speciali Dei ordinatione non tam facile tot ingenia tam diverse sentientia in unum convenirent. Concordi autem omnium Theologorum Scholasticorum sententiæ in rebus fidei & morum contradicere hæresi saltem proximum foret; hæc enim ex S. Scriptura & Traditione fluit, quam qui negat, fontem ipsum refugere censetur. *Auctoritas Theologorum.*

Schol. 5. Canonistarum auctoritate in rebus ad fidem spectantibus Theologus non utitur, imo in his Theologus Canonistæ succurrit: quando vero agitur de moribus Ecclesiæ & institutis per leges Pontificias determinandis, vel quando pœnæ in Jure statuuntur, communis Canonistarum consensus Theologo optimam fidem facere debet. Juris Civilis facultas præter magnam utilitatem, quam Theologo maxime in moralibus de contractibus, Testamentis &c. præstat, plura alia argumenta probabilissima suppeditat, quippe in Legibus etiam humanis Divinam voluntatem veneramur. *Canonistarum auctoritas.* *Juris civilis peritorum.*

Schol. 6. Philosophorum concors sententia in rebus naturali lumine in Theologia etiam cognitis certam fidem facit; unde gentes dicuntur ab Apostolo inexcusabiles *Philosophorum auctoritas.*

quoad cognitionem veri Dei, ex eo quod ex Philosophis suis eam sufficienter haurire potuerint. Regulas pro studio Philosophico ad Theologiam utiliter instituendo tradit Mabillon in suo opere *de studiis monasticis*. Historia denique Ecclesiastica & profana non solum probabile argumentum Theologo suppeditat, sed si omnes historici in idem consentianr, certum etiam præbet, quia tunc moralis habetur evidentia, dummodo censuram Criticam, cujus Regulas præter citatum Mabillonium tradit, & intemperantes corrigit Honoratus a S. Maria in *Animadv. ad regulas & usum Critices*, eorum historiæ sustineant.

Historicorum.

Ecclesia quid?

§. 14. In verbo Dei scripto & Tradito continentur quidem illa, quæ credenda nobis Deus revelavit. Verum cum S. Scriptura non ubique clara sit, sed Interprete, & in controversiis circa res fidei obortas Judice indigeat (§. 10.); cumque Traditiones Divinas a falsis discernere, cuilibet pro suo affectu non competat, nisi tot Religiones, quot capita admittere velimus, sapientissimo Divini Numinis consilio factum fuit, ut nobis de hoc Interprete & Judice provideret, qui & obscura S. Scripturæ explicando, & veras Traditiones a falsis secernendo, Divinas veritates revelatas nobis credendas proponeret. Hic Interpres, hic Judex a Deo constitutus est vera Christi Ecclesia; quæ est *Societas fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, & eodem cultu inter se adunatorum sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*. Veritas hujus definitionis patebit ex sequentibus, & ex ea sequitur divisio in Ecclesiam *docentem*, seu legitimos Pastores Romanum Pontificem & Episcopos: & Ecclesiam *discentem*, sive reliquos fideles illorum regimini & curæ pastorali subjectos.

Schol. 1. Pelagiani Ecclesiam definiunt, Congregationem hominum perfectorum nullum peccatum habentium. Donatistæ solis probis & ab omni saltem graviori crimine alienis Ecclesiam constare docuerunt, & cum pauci & invisibiles sint probi, valde angustam, & invisibilem esse Ecclesiam voluerunt. Wicleffus & Joannes Hus in Ecclesia solos prædestinatos agnoverunt: hos in decursu refutabimus.

Systema Protestantium de Ecclesia.

Schol. 2. Protestantes Ecclesiam definiunt, quod sit multitudo vere credentium. Ex quo infert D. Schubert in *Comp. Theol. dogm.* hoc Systema. 1. Ecclesia nonnisi verbi Divini tractatione & legitimo Sacramentorum usu conservari potest, quia his mediis vera fides hominibus existere pergit. 2. Hic utriusque medii usus vel est publicus, vel privatus: hinc duplex Ecclesia distinguitur,

scilicet *visibilis*, quæ est societas hominum, quatenus ad externum communem & publicum verbi Dei & Sacramentorum usum uniuntur: et *invisibilis*, quatenus sola eorum fides respicitur. 3. Ecclesiæ visibilis membra sunt omnes, qui verbum Dei exterius profitentur, ac Sacramentis a Christo institutis utuntur, ac proinde ex fidelibus & infidelibus, & hypocritis constare potest. 4. Quia vero fieri potest, ut nonnulla hujus Ecclesiæ membra a puritate verbi Divini, & legitimo Sacramentorum usu recedant, & hæc corruptio fiat universalis, ita ut pauci fideles veram Doctrinam retinentes nec audiantur, nec observentur: hinc nata est distinctio in veram & falsam Ecclesiam. Vera, est cœtus hominum externe Deum colentium juxta puram Christi doctrinam, & legitimum usum Sacramentorum: Falsa, est cœtus eorum, qui hæc corrumpunt. 5. Criteria ergo veræ Ecclesiæ sunt, pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio. 6. Quod si proinde hæc corrumpantur, pauca vero Ecclesiæ membra veritatem in corde suo retinentia in hanc corruptionem non consentiant, in falsa Ecclesia aliqua veræ Ecclesiæ pars latere, & si nullibi existat cœtus, cujus doctrina, & usus Sacramentorum purior sit, tota Christi Ecclesia invisibilis esse potest. 7. Ecclesia visibilis ministris eget, qui verbum Dei publice doceant, & Sacramenta administrent, in quibus proinde, quia non omnes ad hæc sunt idonei, requiritur ex Divina institutione legitima vocatio, & hi vocari possunt Vicarii Christi, quia ejus officio funguntur. 8. Horum ministrorum doctrinam si suo silentio approbet cœtus fidelium, censentur hi ministri esse Ecclesia repræsentativa; & ideo 9. Ecclesia visibilis non eget uno capite supremo visibili. 10. Et quia nihilominus hi ministri veram doctrinam & Sacramenta tacente etiam & approbante reliqua Ecclesia mutare possent; hinc veræ Ecclesiæ defectio non est impossibilis, quæ proinde per reformationem, cui omnes ministri operam suam afferre debent, tolli debet. Hoc systema per decursum evertetur.

§. 15. Vera Christi Ecclesia suas notas habet, per quas a falsa Ecclesia distinguatur. Hæ autem in Symbolo Constantinopolitano assignantur, scilicet vera Ecclesia debet esse, 1. *Una*, 2. *Sancta*, 3. *Catholica*, 4. *Apostolica*. *Notæ veræ Ecclesiæ.*

Schol. 1. Ad hoc, ut notæ veræ Ecclesiæ sint genuinæ, requiritur 1. Ut non sint alteri cuidam rei communes, saltem si collective sumantur, licet forte singillatim sumptæ aliis rebus conveniant. 2. Ut sint notiores illa re, quam significant, & ab ea distinctæ. 3. Ut sint

quodammodo sensibiles, obviæ & cognitu faciles non solum domesticis, sed etiam fidei extraneis.

Notæ Ecclesiæ juxta Protestantes. *Schol.* 2. Protestantes & D. Schubert (§. 14. Sch. 2.) duas duntaxat Ecclesiæ notas assignant, nempe, puram verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem. Verum his notis Ecclesia vera a quacumque alia falsi nominis Ecclesia discerni non potest, cum non habeat conditiones ad veram Ecclesiæ notam requisitas. Nam *Primo* hæ notæ sunt omnibus hæreticorum sectis communes, omnes dicunt, se habere veram Christi doctrinam, & legitimum Sacramentorum usum. Deinde pura Ecclesia vel excludit omnes etiam minimos errores; & sic Lutherani non habebunt veram Ecclesiam, utpote quæ certe minores nævos patitur: vel tantum excludit errores fundamentales; & sic Lutherani & Calvinistæ, qui conveniunt in articulis fundamentalibus de Trinitate & Incarnatione, habebunt notam communem utrique Ecclesiæ. Respondet Schubert, alias sectas tantum putare se habere veram doctrinam, licet re ipsa non habeant. Sed hæc responsio clare innuit, veram doctrinam non esse notam veræ Ecclesiæ, sed alias notas requiri, veram doctrinam, in aliqua Ecclesia reperiri. *Secundo* vera Christi doctrina, & legitimus Sacramentorum usus non sunt notæ clariores re significata seu Ecclesia, quia magis obscurum est dignoscere, quænam sit pura Christi doctrina, & legitimus Sacramentorum usus, quam quænam sit vera Ecclesia; nam ad hoc cognoscendum constare debet, verbum Dei, illa continens, esse re vera verbum Dei; Versiones S. Scripturæ esse fideles; quisnam sit ejus sensus & interpretatio; quæ omnia non a rudibus solum, sed etiam a doctis difficulter cognoscuntur. *Tertio* vera Christi doctrina non est nota obvia, nec omnibus accommoda; rudes eam discernere non possunt, & lumine naturali cognosci nequit: ergo notæ ab Adversariis assignatæ non sunt notæ genuinæ veræ Ecclesiæ.

Prima nota veræ Ecclesiæ, Unitas. §. 16. Prima igitur nota veræ Ecclesiæ est *Unitas*. Hæc consistit *Primo* in universali fidei & doctrinæ consensione, ita ut excludatur alia quæcumque sectariorum societas, cujus fides est diversa & erronea in articulis etiam, ut vocant, non fundamentalibus. Hanc unitatem requirit Apostolus *ad Eph. 4. v. 5. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium*. Idem multis probat S. Cyprianus *contra Novatian.* & S. Augustinus in libris *contr. Donatistas*, & reliqui Patres omnes hæreticos a vera Ecclesia excludunt, nec faciunt distinctionem inter articulos fundamentales, sed in omnibus doctrinam fidei unam esse debere volunt. Idem

docent Concilia, Constantinopolitanum I. Generale V. can. 71. quæ omnes illos hæreticos vocant, qui a doctrina sana recedunt, absque eo quod articulorum fundamentalium meminerint. Denique si Ecclesia ita sit una, ut non excludat hæreticorum sectas, quæ non errant in articulis fundamentalibus, errasset certe tota antiquitas, quæ ita semper Ecclesiæ unitatem intellexit, ut omnes sectas sine discrimine excluserit. Et quinam ergo sunt hi articuli fundamentales, quos nec ipsi Protestantes, nec S. Scriptura, nec Ecclesia assignat? *Secundo* Unitas Ecclesiæ consistit in communione cum uno capite visibili Romano Pontifice, uti ex infra dicendis patebit.

Schol. Protestantes docent, Ecclesiam veram unam quidem esse debere in fide; sed volunt, eam unitatem sufficere, quæ easdem veritates fidei fundamentales profiteatur, licet alios errores ab Ecclesia proscriptos, qui non sunt articuli fundamentales, tueatur, vel, uti Schubert ait, licet sit diversitas in opinionibus accidentalibus. Quantum ad unitatem Sacramentorum putant sufficere, si legitimus eorum usus habeatur in aliqua ex illis societatibus, quæ veritates fundamentales profitentur. Quantum ad unitatem Pastoris & Capitis docent sufficere, si fideles pastoribus alicujus societatis adhæreant, quæ in articulis fundamentalibus non erret. Ex hoc inferunt, omnes diversas etiam Christianorum sectas ad universalem Ecclesiam spectare, dummodo illæ sectæ in articulis fundamentalibus non errent. Verum hanc unitatem nullam esse ex dictis patet, maxime cum articuli etiam non fundamentales, utpote vel in verbo Dei scripto, vel tradito contenti ob auctoritatem Dei loquentis non sint ad credendum liberi, sed absolutam fidem sibi deposcant. *Unitas Ecclesiæ juxta Protestantes.*

§. 17. Secunda nota veræ Ecclesiæ est *Sanctitas*. Hæc consistit *Primo* in sanctitate doctrinæ, ut nihil nisi sanctum doceat, nihil de fide credendum proponat, nisi quod vel ex verbo Dei scripto vel tradito habetur. Unum Deum in spiritu & veritate colat, verum Mediatorem inter Deum & hominem Jesum Christum agnoscat, cæremonias sanctas in cultu Dei usurpet, ut hominum mentes ad cœlestia erigantur. *Secundo* in sanctitate doctrinæ moralis a Christo, Apostolis & SS. PP. traditæ. *Tertio* in sanctitate suorum Fundatorum. *Quarto* in gloria miraculorum, quibus sanctitatem & veritatem Ecclesiæ Deus confirmavit. Quippe cum vera Ecclesia sit veræ Religionis Mater, quæ Religio est modus colendi Deum eo modo, quo vult a nobis coli, omnis ejus tum fidei tum morum doctrina, utpote a Deo pro- *Secunda nota, Sanctitas.*

fecta & voluntati Divinæ, regulæ omnis sanctitatis, conformis, sancta esse debet. Unde Scriptura ait *Ps.* 18. *Lex Domini immaculata*. Et *Ps.* 92. *Domum tuam decet sanctitudo*...

Tertia nota ut sit Catholica. §. 18. Tertia nota veræ Ecclesiæ est, ut sit *Catholica*, hoc est diffusa per omnia loca, tempora, & hominum genera. Hanc notam assignat *Primo* Evangelium *Luc.* 24. *v.* 46. *Oportebat ... prædicari in nomine ejus (Christi) pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes*. Et *Act.* 1. *v.* 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Vide etiam *Marc.* 16. & *Matthæi* 24. *Secundo*: Assignant hanc notam antiqui Patres, & per eam veram Ecclesiam ab hæreticorum sectis distinguebant: ita S. Athanasius cum aliis Episcopis Ægypti in *ep. ad Jovinianum*, S. Optatus *l.* 2. *contr. Parmen.* S. Augustinus *contr. ep. fundamenti*, & *Serm.* 131. ubi dicit, Ecclesiam in Symbolo ideo dici Catholicam, quia toto orbe diffusa est. *Tertio*: Ad veram Christi Ecclesiam vocati sunt omnes homines, eamque sub amissione æternæ salutis ingredi tenentur: ergo diffundi debet per totum mundum, ut omnes ad illam pervenire possint.

Quando Symbolo Apostolorum addita vox Catholica? *Schol.* 1. Vossius putat, vocem *Catholica* modo Sæculo 3tio Symbolo Apostolorum esse adjectam contra Novatianos, qui tunc Ecclesiæ pacem turbabant. Verum diu ante Ecclesiam Catholicam dictam fuisse, patet ex epistola Smyrnæorum de Martyrio S. Polycarpi apud Eusebium *l.* 5. *c.* 15. Et S. Ignatius in ep. ad Smyrnenses ait: *Ubi fuerit Jesus Christus, ibi est Catholica Ecclesia*. Quare Valesio videtur, hoc nomen Ecclesiæ inditum fuisse circa primam Apostolorum successionem, cum hæreses multis in locis exortæ veram Christi fidem & Apostolorum traditionem subvertere conarentur; tunc enim ut vera Christi Ecclesia ab adulterinis hæreticorum cœtibus distingueretur, nomen *Catholica* soli Orthodoxorum Ecclesiæ attributum fuit.

Catholicum quid juxta Protestantes? *Schol.* 2. Protestantes volunt, Ecclesiam dici Catholicam primario respectu electorum & sanctorum, quatenus ambitu suo complectitur omnes vere in Christum credentes, uti docet Gerhard. *de loc. Theol. tom.* 5. §. 151. vel dicitur Catholica ob doctrinam ab universa Ecclesia, aut majori ejus parte approbatam, ita ut Catholicum idem sit ac orthodoxum; uti vult Schubert in *Comp. Theol. dogm.* Sed contra eos pugnant argumenta allata; nec aliquid probant contra nos, si dicant, etiam Turcismum &c. per orbem late diffundi, nec tamen dici Catholicum. Nam licet hæc nota Catholicitatis forte aliis sectis conveniret solitarie spectata, non tamen illis

competit, si cum aliis notis simul sumatur: unde non est nota positiva, nec indicat, ibi semper veram Ecclesiam reperiri, ubi hæc nota invenitur: sed est nota negativa, quæ indicat ibi non esse veram Ecclesiam, ubi hæc nota cum aliis notis non reperitur.

§. 19. Quarta nota veræ Ecclesiæ est, ut sit *Apostolica:* id est, ut ab Apostolis ducat originem, eamdem cum ipsis doctrinam profiteatur, & Pastores ejus legitimam missionem, & non interruptam successionem habeant ab Apostolis. Hanc notam assignat S. Apostolus *ad Eph.* 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ergo vera Ecclesia ab Apostolis originem ducere debet. Deinde veteres semper falsitatis hæreticos arguebant ex eo, quod eorum doctrina Apostolorum doctrinæ repugnet. S. Irenæus *l.* 3. *c.* 3. Tertullianus *de præscript. c.* 32. Ergo eamdem cum Apostolis doctrinam vera Ecclesia profiteri debet. Rursus *ad Hebr.* 5. *v.* 4. dicitur: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Ergo Pastores Ecclesiæ legitimam missionem habere debent. Denique Tertullianus *de præscript. c.* 32. S. Irenæus *l.* 3. *c.* 3. S. Optatus *l.* 2. *contra Parmen.* ad legitimam & non interruptam successionem Ecclesiæ Pastorum ab Apostolis provocant: ergo hæc ad veram Ecclesiam requiritur. *Quarta nota, ut sit Apostolica.*

Schol. Protestantes volunt, non interruptam ab Apostolis Pastorum Ecclesiæ successionem non esse notam veræ Ecclesiæ, quia Ecclesia visibilis potest omnino corrumpi & deficere, & sola invisibilis manere, ex qua proinde viri Zelosi vocatione saltem extraordinaria ex debito sui officii prodire debuerunt, ut eam reformarent; inter quos vel maxime fuit Lutherus, qui saltem vocationem mediatam habuit, dum in Ecclesia Romana Presbyter ordinatus, ad Doctoratus gradum promotus docendi munus accepit. Sed unde probant Adversarii necessitatem hujus reformationis & corruptionem Ecclesiæ? unde probant, Lutherum postquam legitime excommunicatus fuit, munus docendi retinuisse? falsitatem horum omnium ostendent sequentia. *Apostolica successio an requiratur?*

§. 20. Hæ notæ conveniunt soli Romano-Catholicæ Ecclesiæ. *Primo* enim est *una* in universali fidei & doctrinæ consensione; omnes namque Catholici, omni tempore & loco per totum orbem semper conspirarunt in omnibus fidei articulis sufficienter propositis; omnesque Ecclesiæ Romanæ Doctores, licet in diversissimis temporibus, locis, & linguis scripserint, miro tamen semper consensu eadem dogmata docuerunt, utut alias genio, natione & studiis fuerint dissimillimi. *Deinde* etiam habet communionem cum uno capite visibili Romano Pontifice: *Notæ veræ Ecclesiæ conveniunt soli Romano-Catholicæ.*

ergo una est. *Nec obstat*, quod Catholici doctores in pluribus inter se dissentiant; illa enim non sunt dogmata fidei; sed opiniones liberæ, de quibus Ecclesia nihil definivit.

2. Ecclesia Romano-Catholica *sancta* est *sanctitate doctrinæ*, quæ nonnisi quod in Scripturis & Traditione continetur credendum proponit, nonnisi virtutem præcipit, nonnisi vitia prohibet. Est sancta *in primis suis Fundatoribus*, Christo omnis sanctitatis fonte, & capite, Apostolis, & eorum successoribus, SS. PP. qui eam contra hæreticos defenderunt, & Martyribus, qui eam sanguine suo sigillarunt. Est sancta *in gloria miraculorum*, quibus sanctitatem & veritatem Ecclesiæ Deus confirmavit. Sunt pro Sæculo 1mo miracula Christi & Apostolorum: Pro 2do miracula militum Christianorum in exercitu Marci Antonini Imp. teste Tertulliano *l. ad Scapulam c.* 4. Pro 3tio miracula S. Gregorii Thaumaturgi apud S. Basilium *l. de Spir. S. c.* 29. Sæculo 4to miracula S. Antonii, Hilarii, Martini apud S. Athanasium, S. Hieronymum, & Sulpitium. Sæculo 5to miracula a S. Augustino *l.* 22. *de Civ. c.* 8. relata. Sæculo 6to miracula a S. Gregorio M. in suis Dialogis descripta, & sic de reliquis Sæculis, in quibus plura miracula patrata legimus & adhuc in nonnullis locis coram intuemur, in confirmationem specialem fidei veritatum, quæ omnia ad præstigias cum Magdeburgensibus amandare, vel falsitatis arguere, humani certe ingenii non est.

3. Ecclesia Romana *Catholica* est, & diffusa *per omnia loca*, id est in plures & præcipuas orbis partes, ita ut magis diffusa, quam quælibet alia secta & successive in alias etiam partes diffundenda. Certe hodie Ecclesiam Romanam florere novimus in Europa & America, imo & in Asia & Africa fideles plurimi licet a Barbaris oppressi cum Romana Ecclesia participant, & Evangelium apud omnes fere nationes a Missionariis Apostolicis annuntiatur, ut & illæ successive Ecclesiæ aggregentur. Est diffusa *per omnia tempora;* omni enim tempore extitit, postquam a Christo fundata fuit, omni tempore universaliter eadem fidei dogmata docuit, quæ nos profitemur. Denique Ecclesia Romana habet doctrinæ universalitatem, & tum veterum, tum recentiorum hæreticorum errores semper reprobavit; merito igitur Catholica & universalis etiam jam olim a S. Augustino *contr. ep. fundam. c.* 4. dicta fuit, ubi ait: *Me in Ecclesia Romana, tenet ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit &c.*

4. Ecclesia Romana est *Apostolica*. *Primo* ratione *originis*, quia est eadem cum illa primorum sæculorum, quæ semper Romanam Cathedram ut centrum communionis agnovit, fidei controversias ad eam veluti supremum judicem definiendas detulit, ut illam de rebaptizandis hæreticis, de Consubstantialitate Filii Dei &c. Deinde nec auctor defectionis hujus Ecclesiæ, nec novum dogma introductum, nec tempus vel locus, ubi incepit, nec Scriptor aliquis Ecclesiasticus, qui illud oppugnarit, ostendi poterit. Ergo incorruptam servat suam ab Apostolis originem. *Secundo* Doctrina Catholica cum Apostolica conspirat, uti ex decursu hujus operis patebit. *Tertio* Pastores nostri legitimam habent missionem, tum ob sacram ordinationem, tum ob auctoritatem in suo capite, de quo alibi. Denique *Quarto* habetur legitima Episcoporum successio, uti patet ex Catalogo Romanorum Pontificum.

An notæ veræ Ecclesiæ aliis sectis conveniant?

Schol. 1. Videamus jam nunc, an hæ notæ veræ Ecclesiæ sectis Protestantium conveniant. *Primo* Protestantes nostri non habent unitatem in doctrina & articulis fidei fundamentalibus: sic Confessio Augustana, Saxonica, Wittembergensis, & articuli Smalcaldici in multis differunt; consulatur præter Bossuetus, vel ipse Schubert in *inst. Theol. Polem. parte 4ta*, ubi plurimæ in fidei dogmatibus inter ipsos Lutheranos dissensiones occurrent. Regimen Ecclesiasticum apud eos est dissimile, nullum supremum caput visibile agnoscunt, & quomodo sine illo unitatem conservabunt? *Secundo* Doctrina Protestantium adversatur sanctæ morum disciplinæ, dum docent cum Luthero, præcepta Divina esse observatu impossibilia: leges humanas non obligare in conscientia, cum Witaker: hominem quoad opera salutis non esse liberum &c. Qua sanctitate floruerint eorum reformatores Lutherus, Calvinus & Zwinglius, ex eorum vita & libris subodorari licet: sane hunc sanctitatis odorem non videtur D. Schubert percepisse, cum de sanctitate Lutheri nihil fere memoret. Miracula pro confirmatione suæ Doctrinæ nulla ostendunt. *Tertio* Societas Protestantium in præcipuis orbis partibus diffusa non est, paucas Occidentis Provincias occupat, in Oriente pro hæretica habetur, & invalescente hodie Deismo in suis etiam natalitiis sedibus deficit. Non est diffusa per omnia tempora; ante Lutherum enim & Calvinum non extitit: quod enim dicat D. Schubert, Ecclesiam invisibilem ante Lutherum Papatus errores rejecisse, imo ipsos Græcos contradixisse, nil probat: nam de contradictione Ecclesiæ invisibilis nihil ostendi potest, contradictores vero semper pro hæreticis declarati fue-

runt. Item doctrina Protestantium non est universalis, utpote in antiquis hæreticis, quorum errores resuscitat, jamdudum damnata. *Quarto* Societas Protestantium non habet originem ab Apostolis; nam eorum reformatores Lutherus & Calvinus, qui ante defectionem suam erant Catholici, legitimam missionem non habuerunt: non ordinariam, tum quia vel hanc missionem acceperunt ab Ecclesia Romana, in qua tunc vivebant, vel ab alia, in quam admissi sunt. Non autem acceperunt hanc missionem ab Ecclesia Romana, quando ab ea recesserunt, quia tunc Ecclesia Romana vel fuit hæretica, & sic non fuit vera Ecclesia habens potestatem mittendi: vel non fuit hæretica, & sic Protestantes ab ea recedentes sunt Schismatici, hæretici & excommunicati, & consequenter ab omni auctoritate regendi Ecclesiam & constituendi legitimos ministros exciderunt; aliam vero Ecclesiam, a qua habuerint missionem ordinariam, assignare non possunt. Item non habuerunt missionem extraordinariam: hæc enim vel in Scripturis exprimi, vel miraculis probari debet, uti in Moyse, Prophetis, Apostolis, & ipso Christo patet. Quis enim credet homini dicenti, se a Deo cum summa auctoritate missum, se accepisse potestatem ministros instituendi, institutos deponendi, doctrinam novam annuntiandi, antiquam reformandi, Conciliorum definitiones expendendi & rejiciendi, antiquos Ecclesiæ usus improbandi, & novos inducendi, nisi hanc missionem extraordinariam miraculis comprobet? Quæ tamen nec Lutherus, nec Calvinus, nec eorum successores ediderunt. *Respondet* Schubert *1mo*, Lutheri vocationem extraordinariam probari ex felicissimo eventu reformationis suæ, non obstantibus gravissimis difficultatibus. Sed nonne meliorem successum habuit superstitio Mahumetis? nonne armis, avaritiæ, & bonorum Ecclesiasticorum direptioni, ac liberiori vitæ licentiæ hunc fatalem effectum debemus? *Respondet 2do*, Lutherum ordinaria vocatione mediata vocatum fuisse, dum Presbyter ordinatus, & munus docendi cum Doctoratus Laurea Wittembergæ adeptus fuit, ubi ad tollendas Papales superstitiones pro obligatione juramenti a se præstiti fidem integram conservandi astrictus fuit. Sed hoc modo concedit Schubert, Lutherum ab Ecclesia Romana vocationem suam habuisse; ergo erat vera Ecclesia: negat quidem hoc Schubert, quia etiam ab usurpatoribus vere aliquis vocari potest, Deo ita pro bono Ecclesiæ suæ disponente. Verum unde probat, Romanam Ecclesiam jus vocandi ministros sibi usurpasse? Unde probat, quod Romana Ecclesia Luthero munus docendi per excommunicationem adimere

non potuerit? Unde probat, veram Ecclesiam tempore Lutheri fuisse invisibilem? quod mox refutabitur. Certe veritati vim infert Schubert, dum in *Th. Pol. p.* 3. *c.* 1. ait, Catholicos, eo quod veritatem doctrinæ Lutheranæ impugnare non potuerint, ad labefactandam Lutheri vocationem confugisse; cum passim doctrinam Lutheranam Theologi nostri impugnent. Denique successionem Pastorum suorum ab Apostolis Protestantes nostri nunquam ostendent, nisi forte Lutherum & Calvinum pro Apostolis, sed recentioribus, & ab Ecclesia expulsis, ac nulla potestate præditis, venditare velint.

Vera Ecclesia merito Romana dicitur.

Schol. 2. Ex his patet, veram & Catholicam Christi Ecclesiam vere esse & dici Romanam. Romana quippe Ecclesia a SS. Apostolis Petro & Paulo fundata & eorum sanguine consecrata est. Ita Tertull. *l. de præscript. c.* 36. S. Irenæus *l.* 3. *c.* 3. S. Cyprianus *ep.* 52. S. Ambrosius *l.* 3. *de Sacr. c.* 1. S. Augustinus *l.* 2. *contr. litt. Petilian. Romana Ecclesia fidem a SS. Petro & Paulo annuntiatam constanter retinuit, & cæteris per orbem Ecclesiis communicavit;* ita præter mox citatos Patres docet S. Cyprianus *ep.* 45. S. Augustinus *ep.* 43. S. Prosp. *l.* 2. *de vocat. gent.* Theodoretus *ep.* 116. Quod autem Ecclesia Romana a recta fide non defecerit, patebit ex sequentibus.

Ecclesia Christi est visibilis.

§. 21. Cum vera Christi Ecclesia suas notas habeat, per quas a falsa distingui semper possit, hinc *Ecclesia Christi ita ex natura sua est visibilis, ut semper omnium oculis conspicua fuerit.* Ita *Primo* de Ecclesia Christi vaticinatus est Propheta Isaias c. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Ubi LXX. legunt ἐμφανὴς τὸ ὄρος *manifestus mons*. Et Christus *Matth.* 5. *v.* 15. ait: *Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita.* Quod Pfaffius in *Theol. dogmat.* ita explicat, ut Apostoli deberent esse visibiles, licet non requiratur, ut actu videantur. Sed respondetur: verbum δύναται negat potentiam ad actum & significat, *nunquam abscondetur. Secundo* Ita tradiderunt nobis antiqui Patres. Origenes *hom.* 30. *in Matth. n.* 54. S. Cyprianus *de unit. Eccl.* & S. Augustinus *tr.* 1. *in Joan.* contra Donatistas expresse ostendit, Ecclesiam non in sola Africa, sed in toto orbe conspicuam esse debere. *Respondet* Schubert, ex his solum probari, multos quidem doctrinam Christi professuros esse, sed Christum non promittere Ecclesiam & hos fideles semper visibiles futuros; imo dum multas afflictiones, & majorem numerum extra Ecclesiam fore prædixit, contrarium innuere. Sed nonne Chri-

stus promisit, portas inferi persecutionibus suis adversus Ecclesiam a se visibiliter fundatam, & suo tempore visibilem non prævalituras? Certe major numerus extra Ecclesiam non facit, ut minor numerus intra illam non sit visibilis. *Tertio* Ratio hoc probat: omnes quippe tenentur accedere ad Ecclesiam, extra quam non est salus. Ecclesia est Societas hominum, in ea fit professio fidei externa, administrantur Sacramenta, prædicatur verbum Dei, quæ omnia fieri non possunt, nisi Ecclesia sit visibilis. Dicere autem cum Schubert, accessum ad Ecclesiam etiam invisibilem patere per lectionem & meditationem verbi Dei, vim rationum nostrarum non elidit: nam qua parte ergo rudibus, qui S. Scripturam legere non possunt, aditus ad Ecclesiam patebit, nisi illis verbum Dei prædicetur? Quis illis verum sensum inter litigantes Lutheranos & Calvinistas exponet? Quibus notis veram Ecclesiam invisibilem a falsa discernent, dum utraque & invisibilis & visibilis Ecclesia dicit, se juxta principia Protestantica habere puram verbi prædicationem, & legitimum usum Sacramentorum?

Schol. Lutherani & Calvinistæ primitus agnoverunt visibilitatem Ecclesiæ; cum vero Catholici ab illis peterent, ut ostenderent hanc Ecclesiam visibilem ante suam reformationem, assignare non poterant Ecclesiam Romanam, a qua velut corrupta recesserant, nec tamen aliam invenire poterant, in qua visibiliter omnia falsa eorum dogmata docerentur; hinc duplicem finxerunt Ecclesiam, unam visibilem, quæ tempore suæ reformationis defecerat, alteram invisibilem ex vere credentibus coalescentem. Nimirum, uti Schubert explicat in *Th. Pol. p. 2. c. 2.* vere credentes cum a mundo non semper dignoscantur, invisibilem societatem constituunt, qui tamen si eodem tempore, & simul vivant, in externam societatem & visibilem Ecclesiam coalescere possunt; cui societati cum subinde hypocritæ exterius solummodo eamdem fidem profitentes admisceri valeant, in ipso hoc visibili cœtu & Ecclesia, vera Ecclesia invisibilis esse potest, licet totus cœtus per Synecdochen, sumendo partem pro toto, eousque vera Ecclesia dicatur, quousque verbum Dei pure docetur. Cum vero fieri possit, ut publica verbi doctrina, & Sacramentorum usus corrumpatur, pauca autem societatis membra corruptioni non consentiant; hinc in falsa Ecclesia, vera latere, & si nullibi sit cœtus, cujus doctrina pura sit, tota Christi Ecclesia invisibilis esse potest, qualis fuit tempore reformationis. Supponit hic D. Schubert, veram Christi Ecclesiam visibilem deficere omnino posse, imo aliquando defecisse, ad quod refutandum sit

§. 22. *Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec unquam est defectura.* Hanc perpetuam Ecclesiæ indefectionem prædixit in V. T. *Primo* Isaias c. 61. quod caput Christus ipse *Luc.* 4. de Ecclesia N. T. explicat. Vaticinatur autem ita Isaias: *Fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum.* Idem prædicitur *Dan.* 2. *v.* 44. *Ps.* 88. *v.* 29. Eamdem perpetuitatem Ecclesiæ suæ visibili promisit Christus *Matth. ult. v.* 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* & *Matth.* 16. *v.* 16. *Luc.* 21. *v.* 32. Denique *ad Eph.* 4. *v.* 11. dicitur: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii ...... donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei.* Ubi ministerium Ecclesiasticum & Ecclesia usque ad consummationem Sæculi perseveratura dicitur, quod utique est visibile in prædicatione verbi, & administratione Sacramentorum consistens. *Secundo* Ita docuerunt antiqui Patres. Tertullianus *in apol.* S. Hilarius *l.* 7. *de Trin.* S. Ambrosius *l. de Salomone*, S. Hieronymus *in c.* 4. *Isaiæ.* Et S. Augustinus *in Ps.* 101. *Conc.* 2. disputat expresse contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse, & in solis quibusdam justis in Africa remansisse dicebant, & ait: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem!* *Tertio* Si Ecclesia visibilis aliquando defecisset, ostendant adversarii, quo tempore omnino defecerit; ostendant, ubinam Ecclesia vera invisibilis permanserit; quonam ergo quis salutem consecuturus conferre se debuisset? an credibile sit, Ecclesiam jandudum ante Lutherum deficientem per tot Sæcula invisibilem permansisse? verba oggerunt nobis Protestantes, fucum faciunt, veritatis lucem non extinguunt.

Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec est defectura.

Schol. Protestantes affirmant quidem, Ecclesiam absolute deficere, & omnino perire non posse; volunt tamen, Ecclesiam visibilem posse deficere, quod ita explicat Schubert in *Comp. Th. dogm.* Ecclesia corrumpi potest tum impietate doctorum & auditorum, tum vanitate cæremoniarum, tum neglectu disciplinæ Ecclesiasticæ & scandalis impune toleratis, tum levitate in peragendo cultu publico, tum novarum opinionum studio. Sed hæc corruptio necdum est defectio Ecclesiæ, quamdiu fundamentalis doctrina integra retinetur, & Sacramenta rite administrantur. Neque tunc tota Ecclesia defecisse dicitur, quando aliqua ejus pars quoad doctri-

nam & Sacramenta corrumpitur, altera vero protestatur: sed tunc tota Ecclesia visibilis deficit, quando ejus ministri a norma doctrinæ & Sacramentorum recedunt, & Ecclesia hanc corruptionem tacendo factis approbat, ita ut cœtus recte credentium & contradicentium non audiatur, unde Ecclesia visibilis deficit. Sed quandonam ita defecit Ecclesia visibilis? dicunt Protestantes; jam in Adamo peccante. Sed ille non peccavit peccato infidelitatis, & communius Theologi docent, in Abele incepisse Ecclesiam: tempore Noe non defecit, nec tempore Judicum, nec Regum, nec subsequentibus temporibus, cum S. Scriptura satis innuat, a nonnullis semper licet paucioribus veram fidem annuntiatam, & publice cultam fuisse. Vid. Bellarm.

Concilium quid? §. 23. Ecclesia docens spectari potest vel in toto orbe *dispersa*, vel *coadunata*. Per Ecclesiam docentem dispersam intelliguntur omnes Ecclesiæ Episcopi in suis Episcopatibus separatim degentes: per Ecclesiam docentem coadunatam intelliguntur iidem Episcopi in Concilio simul congregati. Unde Concilium *est conventus Ecclesiæ Præsulum ad negotia Religionis tractanda legitime convocatus.*

Protestantium definitio. *Schol.* 1. Protestantes ut Concilia distinguant ab aliis conventibus Principum docent, quod ad Concilium plures communitates sejunctæ, simul tamen confœderatæ, aut potius earum Superiores potestate decidendi instructi vel per se, vel per suos delegatos & respective repræsentantes, convenire debeant. Hanc definitionem gratis sibi fingunt, ut Ecclesiam esse societatem æqualem defendant. Quam sententiam refutavimus *in Inst. Jur. Eccl. tom.* 1. §. 7.

Concilia sunt Divinæ institutionis. *Schol.* 2. Probabile admodum est, Concilia esse Divinæ institutionis. Constat ex Actibus Apostolorum, jam ab ipsis Ecclesiæ crepundiis Concilia ab Apostolis celebrata fuisse, ut *Act.* 1. pro electione S. Matthiæ, *Act.* 6. pro electione septem Diaconorum, *Act.* 15. in causa Legalium. Certe verosimillimum est, Apostolos vel ex præcepto Christi, vel ex speciali Spiritus S. motione sua Concilia celebrasse.

Concilium quotuplex? *Schol.* 3. Concilia alia sunt *Provincialia*, ad quæ unius Provinciæ Episcopi a suo Archiepiscopo convocati conveniunt. Alia sunt *Nationalia*, ad quæ unius regni seu nationis Archiepiscopi & Episcopi a suo Primate convocati congregantur. Alia sunt *Diœcesana*, ad quæ Presbyteri a suo Episcopo convocantur. Alia sunt *Generalia* & *Œcumenica*, ad quæ totius orbis Episcopi a Papa convocati conveniunt. Concilia Generalia hæc numerari possunt. 1. Nicænum I a. 325. sub S. Silvestro Pa-

pa, ubi Arius damnatus fuit. 2. Sardicense a. 347. sub Julio P. ubi Nicæna fides confirmata, & S. Athanasius absolutus fuit. 3. Constantinopolitanum I. a. 381. sub Damaso P. ubi Macedonius damnatus est. 4. Ephesinum a. 431. sub Cœlestino P. contra Nestorium. 5. Chalcedonense a. 451. sub Leone I. contra Eutychen. 6. Constantinopolitanum II. an. 553. sub Vigilio P. in causa trium Capitulorum. 7. Constantinopolitanum III. a. 680. sub Agathone P. contra Monothelitas. 8. Nicænum II. a. 787. sub Adriano I. P. contra Iconoclastas. 9. Constantinopolitanum IV. a. 869. sub Adriano II. P. contra Photium, & pro restitutione cultus SS. Imaginum. 10. Lateranense I. a. 1123. sub Callisto II. P. pro extinguendo Schismate inter Sacerdotium & Imperium, & pro Sacra expeditione. 11. Lateranense II. sub Innocentio II. P. a. 1139. pro extinguendo Schismate Petri Leonis, & contra Petrobussianos, 12. Lateranense III. sub Alexandro III. a. 1179. contra Waldenses &c. 13. Lateranense IV. sub Innocentio III. a. 1215. pro Sacra expeditione. 14. Lugdunense I. sub Innocentio IV. a. 1245. pro eadem causa. 15. Lugdunense II. sub Gregorio X. a. 1274. pro unione Græcorum. 16. Viennense sub Clemente V. a. 1311. contra varias hæreses. 17. Pisanum an. 1409. pro extinguendo Schismate Papali. 18. Constantiense a. 1414. contra Hussitas &c. 19. Basileense a. 1431. pro reformatione. 20. Florentinum sub Eugenio IV. a. 1438. 21. Lateranense V. sub Julio II. & Leone X. a. 1512. 22. Tridentinum inchoatum a. 1545. finitum a. 1563. sub Paulo III. Julio III. Pio IV. Vide collection. Conc. Coleti. Bail. & Annati apparat. & Thomass. ac Cabassutium; et Summam Carranzæ a me auctam & in quatuor tomis editam.

Convocatio Concilii generalis ad Papam spectat.

§. 24. *Summi Pontificis est convocare Concilia œcumenica.* Nam *Primo* Christus curam universalis Ecclesiæ soli summo Pontifici in persona S. Petri commisit, *Luc.* 22. *v.* 32. *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et *Joan. ult. Pasce oves meas. Secundo* Ex Traditione constat, quod jam ante tempora Constantini M. sola potestas Ecclesiastica celebraverit Concilia absque auctoritate Imperii Civilis, uti hæc Concilia trium primorum sæculorum enumerat P. Daude S. J. in *reflex. Hist. Eccl. c.* 2. *l.* 3. Neque movet responsio Pfeffingeri ad Vitria. l. 3. tit. 2. qui ait: *In quæstione, cui competat jus congregandi Concilia, sermonem esse de republica Christiana, nec de statu Religionis Christianorum sub Ethnicis Imperatoribus, sub quibus fideles ex mutuo consensu, vel ut verbis Bohmeri utar, in not. ad Fleury Inst. Jur. Eccl. p.* 1. *c.* 1. §. 5. *ex quadam confœderatione privata, non imperio aut præcepto superioris cujusdam vo-*

cati, *potuerint convenire*. Nam huis asserto obstat 1. Ecclesiam ex sua institutione esse societatem inæqualem & rectoriam, quæ perfectissima est, adeoque Ecclesiæ conveniens, unde in S. Scriptura vocatur, Domus, Civitas, Regnum, quæ omnes sunt societates inæquales. 2. Diversa conditio Ecclesiæ sub imperante sæculari Hoste & Christiano est non quoad statum internum & Hierarchicum, sed quoad statum externum Protectionis publicæ. Rursus Annatus in *appar. Th. Pol. l.* 5. *a.* 3. observat, nullum esse œcumenicum Concilium, quod fuerit a solo Imperatore, & non a summo Pontifice, sive de illius consensu tacito vel expresso, aut saltem illo minime inconsulto, convocatum. De Nicæno I. testatur Synodus VI. act. 18. illud Constantinum & Silvestrum convocasse. De Constantinopolitano I. refert Theodoretus *l.* 5. *hist. c.* 9. Theodosium Imp. litteras Damasi P. quibus Concilium indicebatur, ad Episcopos misisse. De Ephesino testatur Prosper *in Chron.* celebratum esse Cyrilli industria, & Cœlestini auctoritate. De Chalcedonensi patet ex epistola Marciani Imperatoris ad Leonem, quem rogat, ut adveniat, & Concilium faciat. Concilium Constantinopolitanum II. consentiente Vigilio, IIItium ab Agathone convocatum fuit. Œcumenicum VII. Adriauns I. VIIIvum Adrianus II. indixit. Idem statuerunt Concilia: Chalcedonense act. 1. Dioscorum prohibet sedere intet Episcopos, quod sine auctoritate Papæ Synodum celebrasset, quod nunquam licuit. Synodus VIII. act. 6. irritum declarat quoddam Concilium Constantinopolitanum, quia sine consensu Papæ coactum fuit. *Tertio* Ex his constat, Clericis & laicis consentientibus omnia œcumenica Concilia auctoritate summorum Pontificum celebrata fuisse; sed his certe se nonnulli maxime Principes opposuissent, nisi de eorum jure persuasi fuissent: ergo illis hoc jus competit.

Non vero ad Principes hices, quorum tamen potestas aliquo modo concurrit.

Schol. Protestantes docent, convocationem Concilii generalis non Papæ, sed Imperatori & Regibus competere: & Carolus Molinæus ideo Concilium Tridentinum non esse recipiendum clamat, quia non ab Imperatore, sed a Papa convocatum est. Probant hoc ab exemplo octo Conciliorum primorum sæculorum, quæ a solo Imperatore congregata sunt. Verum licet concedamus, apud imperantem sæcularem residere jus supremæ Advocatiæ & Protectionis circa Ecclesiam, & jus præcavendi, ne securitas Civitatis per Religionis dissidia turbetur, adeoque in convocatione & celebratione Conciliorum simul concurrere potestatem civilem, quatenus illius auctoritate 1. providetur, ut controversiæ Religionis obortæ pro pace Ecclesiæ & Imperii mature sopiantur. 2. Libertati

suffragiorum in Conciliis consulatur. 3. Ordo legitimus conservetur, & seditiosi tumultus compescantur. 4. Condemnati in Conciliis auctoritate etiam Civili comprimantur. 5. Ecclesiæ temporali urbis alicujus vel Provinciæ imperio destitutæ locus aliquis ex potestate Imperatorum ad celebrationem Concilii assignetur. 6. Episcopi in Conciliis generalibus congregati litteris, ut vocant, tractoriis, & publicis expensis deducantur & alantur. 7. Et ne auctoritas Conciliorum quasi vilescat, si Concilia congregentur sine consensu Cæsareo contra expressas sanctiones Legum Civilium, quibus constitutum est, ne ulli conventus absque licentia & præscitu Imperatoris coeant. Quia tamen jus Advocatiæ & Protectionis, & jus providendi paci Imperii Majestaticum, exerceri debet salva libertate & independentia Ecclesiæ, cum Regimen sacrum in Ecclesia non sit penes populum & Magistratum Politicum, sed proprium sit speciali & separatæ potestati Ecclesiasticæ, quam Servator instituit, & Apostolis, eorumque successoribus concredidit, quibus solis dixit *Matth.* 18. *v.* 18. *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo &c.* Et *Act.* 20. *v.* 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*: cumque hæc potestas sacra Præsulum Ecclesiæ non deroget Imperio Civili Principum sæcularium, nec per eam nascatur status in statu, utpote quæ spectat beatitudinem supernaturalem fidelium, cum e contra potestas Politica pro fine intendat salutem temporalem Civitatis, cui imperium sacrum non est essentiale, quia, uti notat Wolffius in *Jur. Nat. part. VIII. c.* 4. §. 955. *in Republica Hebræorum jus circa sacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem, uterque jus suum habebat pleno jure ac independenter ab alio; ecquis vero dixerit, hoc institutum fuisse absurdum, etiamsi seponas, quod fuerit Divinum?* hinc a jure Majestatico externo convocationis Concilii, nulla est argumentatio, quod soli Principi jus convocandi Concilia competat, imo contrarium sequitur; cum enim in Conciliis tractetur de rebus spiritualibus & supernaturalibus, quarum curam solis Apostolis & eorum successoribus Christus commisit, supremo capiti, cui omnes obedire tenentur, jus convocandi Concilia generalia asserendum est, ita ut nullum sit vere œcumenicum Concilium, quod fuerit a solo Imperatore, & non a summo Pontifice, vel de illius consensu tacito vel expresso aut saltem illo inconsulto convocatum; id quod in octo Conciliis primorum sæculorum exacte observatum fuisse patet ex §. præc. Hoc modo solius summi Pontificis est

convocare Concilia generalia, Archiepiscopi Provincialia, Primatis Nationalia, quin negetur, ex jure Advocatiæ supremæ potestatem civilem ad eorum convocationem concurrere posse. Vide Cl. D. Josephum Riegger *Inst. Jur. Eccl. Sect.* 2. *cap.* 4. ubi jus convocandi Concilia Rom. Pontifici vindicat contra Justin. Febronium *de Stat. Eccl. c.* 6.

Papæ etiam est vel per se, vel per suos legatos Concilio generali præsidere.

§. 25. *Summi Pontificis est, sive per se, sive per suos legatos Conciliis œcumenicis præsidere.* Sic *Primo Act.* 1. in Concilio pro electione S. Matthiæ habito S. Petrus tamquam Præses Concilii loquitur, & *Act.* 15. in Concilio de observatione Legalium celebrato surgens S. Petrus dixit ad eos &c. Idem *Secundo* docet Traditio & continua praxis Ecclesiæ. Concilio Nicæno I. nomine Silvestri P. præfuit Osius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, uti patet ex subscriptione. Ephesino I. nomine Cœlestini P. præfuit S. Cyrillus Alex. teste Evagrio *l.* 1. *c.* 4. Chalcedonensi præfuit S. Leo per Paschasium & Lucentium Episcopos, Bonifacium & Basilium Presbyteros, uti liquet ex ejus epistola ad hoc Concilium. Constantinopolitano I. Damasus quidem nec per se, nec per suos legatos præsedit, utpote qui convocaverat quidem Episcopos Constantinopolim, sed postea Romam ad plenissimum Concilium eos venire volebat, quibus ex justis causis se excusantibus ultro permisit, ut emanerent, quia sententiam suam in Concilio Romano prolatam jam amplexi fuerant. Quare Synodus Aquilejensis, Romana & Constantinopolitana continua serie Damasi auctoritate celebratæ in unum Concilium, œcumenicum II. dictum, coaluerunt. Synodo generali V. in causa trium capitulorum Vigilius P. instanter a Concilio rogatus præsidere noluit; unde Concilium jus præsidendi in eo agnovit, licet illo uti noluerit. De reliquis Conciliis patet ex eorum Actis.

Non vero Principis sæcularis.

Schol. 1. Protestantes volunt, Principes sæculares & doctum Theologum Concilio generali præsidere debere, I. tum quia in primis orientalibus Conciliis semper præfuerunt Imperatores, vel eorum Legati. Sed quomodo? scilicet quoad ordinem exteriorem, ut Protectores, non ut Judices, unde honoris causa solum primus locus illis concessus fuit: II. tum quia Theodosius Imperator facultatem dedit Dioscoro, ut Concilio Ephesino II. præesset. Verum notat Evagrius *l.* 1. *c.* 10. Theodosium in hoc facto errore deceptum fuisse a Chrysaphio Palatii Præfecto: III. tum quia Carolus M. præfuit Concilio Francofurdiensi, uti ipse testatur in *ep. ad Elipand.* Sed præfuit tantum quoad ordinem formandum, & conciliandum, non vero quoad jus suffragii.

Schol. 2. De jure confirmandi Concilia non est una Theologorum sententia, quod ex dissensione eorum de superioritate Concilii supra Papam provenit. Quia tamen varia est *Confirmationis* significatio, dum interdum *auctoritatem impertiri*, interdum *rem ratam habere*, subinde idem ac *agnoscere*, *requisitas solemnitates observatas fuisse* significat; saltem harum aliquam Papæ confirmationem esse necessariam ordinarie, tum ex natura Primatus, tum ex indole Concilii generalis, quod unam repræsentat Ecclesiam, satis perspicitur. Vid. Illust. Bossuet *defens. Cleri Gallic. p.* 3. *l.* 8. *c.* 5. Thomassin *diss.* 6. *in Conc. Constant.* De Marca *l.* 7. *c.* 14. *Quis Concilia confirmet?*

§. 26. *Jus ferendi suffragium decisivum in Conciliis jure Divino habent soli Episcopi*. Nam hi *Primo* jure Divino sunt Pastores, *Act.* 20. *v.* 28. *Attendite vobis*, & *universo gregi*, *in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos*, *regere Ecclesiam Dei*. Et *ad Eph.* 4. *v.* 11. *Alios dedit Deus Pastores & Doctores*. Ergo eorum est, credenda & agenda definire. *Secundo* veteres, quando de Conciliis agunt, solos Episcopos ad ea convenisse memorant: uti S. Cyprianus *ep. ad Jubajan.* S. Hilarius *de Synodis*, S. Ambrosius *ep.* 32. S. Augustinus *ep.* 119. & ipse Theodosius in *ep. ad Syn. Chalced.* ubi ait: *Illicitum est eum*, *qui non sit in ordine SS. Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus*. Et in Concilio Chalcedonensi, cum monachi & laici ingressi essent, clamarunt Episcopi: *Mitte foras superfluos*, *Concilium Episcoporum est*. *Tertio* in omnibus Conciliis per 16. Sæcula celebratis soli Episcopi interfuerunt, soli definierunt, soli subscripserunt, uti ex Actis eorum patet. *Quarto* soli Episcopi habent jurisdictionem in foro externo & repræsentant Ecclesiam tamquam Principes. Ergo soli jus suffragii definitivi jure Divino habent. *Jus suffragii decisivi in Conciliis habent soli Episcopi.*

Schol. 1. Ex privilegio & jure Ecclesiastico aliquibus abhinc Sæculis Abbates, & Generales Ordinum Præpositi jus suffragii in Conciliis obtinent, quia fideles suos subditos repræsentant, in quos jurisdictionem quasi Episcopalem exercent. Item ad Concilium generale non requiritur omnium Episcoporum congregatio, sed solum ut evocatio sit generalis, & ut ex diversis Provinciis adsit Episcoporum sufficiens multitudo ad universam Ecclesiam repræsentandam. Rursus Concilium potest esse generale tum convocatione, tum congregatione, tum exitu, vel tantum quoad evocationem, & congregationem, non autem quoad exitum. Denique ad Concilium generale non requiritur, ut in unum & eumdem locum Episcopi congregentur: sed fieri potest, ut orientales in unam orientis civitatem, occidentales in alteram occiden- *Et ex privilegio Abbates & Generales Ordinum.*

tis conveniant, & utriusque Synodi simul habitæ consensus pro Concilio generali habeatur, quo modo Concilium Constantinopolitanum I. generale fuit.

Non vero Laici. *Schol.* 2. Schubert in *Theol. Pol.* vult, Conciliis non tantum Clericos, sed & laicos interesse posse: quia tamen in Conciliis de dogmatibus fidei, & cæremoniis Ecclesiasticis agitur, & quandoque cum dissidentibus disputandum est, quæ omnia Theologus melius nosse præsumitur, quam laicus, plerumque soli Theologi interesse solent. Sed licet Theologi in Conciliis ut consultores bene admittantur, judicium tamen definitivum solis Episcopis cum capite Ecclesiæ reservatur, & Imperatores subinde solum ut Protectores admissi fuerunt; quæ vero ex Panormitano & Gersone testimonia pro se citant Protestantes, nullius ponderis sunt, & citatus ab ipsis S. Hieronymi locus, nullibi in ejus scriptis reperitur.

Concilium generale est infallibilis fidei controversiarum Judex. §. 27. *Ecclesia igitur coadunata in legitimo Concilio œcumenico est infallibilis Fidei & morum Controversiarum Judex.* Ita *Primo* docet S. Scriptura, *Matth.* 18, *v.* 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed Ecclesia repræsentatur per Concilium œcumenicum, Episcopi congregantur in nomine Christi: ergo Concilium hoc est infallibile; nam Christus juxta promissionem suam Ecclesiam suam non deserit, ut sinistra intentione vel conveniat, vel in rebus Fidei fallatur, *Matth.* 16. *v.* 18. *Matth. ult. v.* 20. *Joan.* 16. *v.* 13. Sic in Concilio Apostolico *Act.* 15. *v.* 28. directio specialis Spiritus S. clare indicatur illis verbis: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Putat quidem D. Schubert, ab hoc particulari Concilio non valere argumentum ad reliqua: sed cur non valet? nunquid semper in Ecclesia pro hæreticis habiti sunt, qui Conciliorum generalium definitionibus acquiescere noluerunt? nunquid viri piissimi & doctissimi pro defendendis fidei definitionibus in Conciliis editis ipsam vitam obtulerunt? uti de Concilio Ephesino & Chalcedonensi ex historia patet. Accedit *Secundo* pro confirmatione Dogmatis nostri continua Traditio ab antiquis Patribus asserta: pauca eorum testimonia hic sufficiant. S. Athanasius *ep. ad Epictet.* ait: *Verbum Domini per œcumenicam Nicææ Synodum manet in æternum.* S. Ambrosius *ep.* 32. *Sequor tractatum Nicæni Concilii, a quo me nec mors nec gladius poterit separare.* S. Augustinus *in ep. fundamenti c.* 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Suffragatur *Tertio* ratio. Nam mysteria fidei sunt res a Deo revelatæ in obscuro & abscondito positæ (§. 11.), adeoque admit-

tenda est regula quædam viva, quæ supremo & infallibili judicio natas de rebus Divinis controversias dirimat; alias nil in Religionem fixum & constans erit, si pro libitu suo quilibet obscura interpretari velit: sed hæc regula viva non est S. Scriptura, tum quia ipsa est obscura (§. cit.), tum quia præter illam admittenda est Traditio (§. 12.), tum quia quidem est Lex, sed nequit esse judex, quia a lege distingui, & inter litigantes sententiam clare pronuntiare debet, quod tamen S. Scriptura non præstat; litigant enim Lutherani & Calvinistæ inter se, & cum Catholicis in articulis etiam & de articulis fundamentalibus, nec tamen ex sola S. Scriptura lis hucusque finiri potuit. Deinde hæc regula non est spiritus privatus, qui non est judex publicus partibus litigantibus notus, nequit ab illis audiri, nec habet auctoritatem eos ad judicium compellendi; est incertus & sibi ipsi contrarius, dictans Lutherano hoc, Calvinistæ contrarium, v. g. de præsentia Christi in Eucharistia, & Sociniano rursus aliud in mysterio SS. Trinitatis & Incarnationis. Dicet forte Lutheranus, Calvinistam & Socinianum non duci bono spiritu privato. Sed hoc regeret in Lutheranum Calvinista, & sic nunquam erit finis litium. Denique hæc regula non est Princeps sæcularis, uti patet ex §. 24. 25. 26. Ergo Ecclesia in Concilio generali congregata.

Est etiam Ecclesia infallibilis in Canonizatione Sanctorum.

Schol. 1. Ecclesia etiam est infallibilis in Canonizatione Sanctorum; si enim in hoc gravi negotio falleretur, id cederet in gravem ejus despectum, quod Deus non permittit. Interim hæc doctrina non est de fide, nec quod ab Ecclesia Beatificatus & Canonizatus sit Beatus vel Sanctus; nam necdum convenit inter omnes Theologos, an Canonizatio ad communem morum doctrinam pertineat, in quo judicio Ecclesia est omnino infallibilis. Unde nulla extat Ecclesiæ definitio de sua infallibilitate in Canonizatione SS. ut fide Divina credenda, nec hoc ex ejus praxi colligi potest. Credimus itaque infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione SS. & hunc, quem beatificat, vel canonizat, esse Beatum vel Sanctum, non fide Divina, nec pure humana fallibili, sed fide Ecclesiastica infallibili fundata in assistentia Spiritus S. Ecclesiæ promissa. Unde qui negaret, aliquem Canonizatum ab Ecclesia esse Sanctum, non esset quidem hæreticus; foret tamen temerarius, contradicendo communi Ecclesiæ sensui in re fundatissima: foret scandalosus, retrahendo fideles a cultu Sanctorum: foret impius, injuriando Ecclesiam & Sanctos: saperet hæresim sectariorum irridentium Canonizationes, cultum & invocationem Sanctorum.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 2. Protestantes docent, nullum Concilium habere auctoritatem infallibilem prout repræsentat Ecclesiam visibilem, quæ juxta illos deficere & errare potest, recedendo a verbo Dei. Putant hoc probari 1mo ex *Jer.* 6. *v.* 13. ubi omnes Sacerdotes veteris Legis dicuntur errasse: *a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum:* quod Lutherus male ita vertit: Prophetæ & Sacerdotes docent omnes cultum Dei falsum. *Resp.* Hebræus ita legit: כלו עשה שקר *omnis faciens mendacium;* unde non agitur ibi de articulis fidei, sed de dolo avaritiæ seu mendacio in factis consistente, uti ex antecedentibus patet, ubi dicitur: *omnes avaritiæ student.* Item agitur ibi de authentia Prophetiæ, quam non tam cito implendam sperabant; & de Sacerdotibus privatim sumptis, non vero in Concilio congregatis; neque ibi sermo est de Episcopis novæ Legis. Quando vero nonnulli Patres durius de Conciliis loquuntur, vel intelliguntur de Conciliis illegitimis, vel Provincialibus &c. a Papa non confirmatis. 2do proferunt varia exempla, in quibus Concilia generalia errasse deprehenduntur. Sic vox, *Consubstantialis*, a Concilio Antiocheno a. 272. rejecta, a Nicæno a. 325. approbata, & ab Antiocheno a. 341. Sirmiensi, Ariminensi, & Constantinopolitano an. 360. iterum rejecta fuit. Sed notandum, quod Concilium Antiochenum vocem *Consubstantialis* in sensu Pauli Samosateni, qui per divisionem Filium Patri consubstantialem fecit, rejecerit; Nicænum vero illam vocem approbavit, ad asserendam consubstantialitatem Filii contra Arium. Concilium alterum Antiochenum, Sirmiense, & Constantinopolitanum fuerunt Concilia particularia ab Arianis prævalentibus celebrata, quæ male vocem illam rejecerunt: Ariminense vero quamdiu liberum & œcumenicum fuit, vocem *Consubstantialis* retinuit, nec nisi dolis, fraudibus & minis decepti Episcopi ab Arianis ejus suppressioni consenserunt, rati nullum periculum subesse. Eodem modo Concilium Ephesinum a. 449. Eutychetis doctrinam approbans passim latrocinium appellatur: sicuti etiam duo Concilia Constantinopolitana a. 730. & 755. contra cultum SS. Imaginum celebrata spuria fuerunt, & nonnullos solum Canones Concilii Trullani Romana Ecclesia approbavit. Denique definitio Concilii generalis V. a Vigilio P. approbati a pluribus quidem occidentalibus Ecclesiis statim recepta non fuit, sed dubitabatur tunc adhuc de legitima auctoritate hujus Concilii, utpote cui Vigilius non præsedit; cum vero postea ab eo approbatum fuerit, rei veritate comperta, omnes se illi submiserunt.

§. 28. Porro dogmata, definitiones, & Censuræ Conciliorum generalium non sunt in uno fidei cumulo ponendæ. Pro discerniculo sint *Regulæ* sequentes. *Regulæ de auctoritate decretorum Concil.*

I. Alia in Conciliis definiuntur ut *dogmata fidei divinæ*, quæ sine nota hæresis rejici non possunt, & ad credendum omnes obligant. Alia ut *Conclusiones Theologicæ*, quibus obluctari ad minimum erroneum vel hæresi proximum est. Alia laudantur ut *piæ & laudabiles consuetudines*, quæ cum reverentia recipienda sunt, & sine temeritate rejici nequeunt.

II. Nonnulla Conciliis placent, ut *probabiliora:* multa indecisa relinquuntur, uti controversiæ Scholasticæ.

III. Rationes decidendi, a Conciliis allegatæ, omnes non sunt ejusdem ponderis, quia subinde demonstrationibus immiscentur argumenta probabilia, & in Philosophia ab omnibus non recepta.

IV. Mysteria fidei a Concilio generali definita firmiter amplectenda sunt; modus tamen illa *defendendi* & explicandi non semper definitur.

V. Quæ obiter a Concilio aliud deliberante occasione sermonis immiscentur, non sunt definitiones, nisi alibi conciliariter decidantur.

VI. Decreta Synodalia, quæ reformant *disciplinam Ecclesiæ*, ab omnibus orbis Catholici nationibus recipi debent, nisi aliquæ ob specialia privilegia eximantur.

VII. Concilium Tridentinum omnes nationes Catholicæ, quoad *Canones & dogmata fidei*, non vero quoad *regulas disciplinæ*, acceptarunt.

Schol. 1. Decreta Concilii Tridentini primi omnium receperunt Veneti. Hispaniarum Rex Philippus II. præmissa matura deliberatione sine jurium suorum præjudicio illa assumpsit. Sebastianus Lusitaniæ Rex illa pure & simpliciter haud ægre suscepit. Idem præstitit Sigismundus III. Rex Poloniæ. Germaniæ Principes Protestantes Concilium hoc recipere noluerunt; illud tamen ab Imperatore Maximiliano II. quoad peculiares suas ditiones, ac deinde ab universa Germania Catholica in Conventu Augustano a. 1566. receptum fuit. Gallia Concilium Tridentinum pro œcumenico quidem veneratur, & dogmata, quæ credenda proponit, libenter recipit, multasque ejus constitutiones ad disciplinam spectantes, tamquam apprime utiles & veterum Canonum menti consentaneas adoptavit. Verum adduci non potuit, ut illud quoad omnia sua decreta reciperet, & summis Pontificibus ac Clero iterum iterumque sollicitantibus, Reges Galliæ nunquam permittere voluerunt, ut ejus decreta in regno suo promulgarent, aut vim legis obtinerent; cujus ratio est, tum quia per illa impetita est Princi- *Tridentinum a quibus receptum?*

pum & Magistratuum jurisdictio: tum quia per ea libertates Ecclesiæ Gallicanæ, & consuetudines regni læsæ fuerunt, uti pluribus exemplis adductis probat Cl. P. Richard *in Analy. Conc. Tom.* 2. Historiam Concilii Tridentini plures, sed parum sincere scripserunt, uti Paulus Sarpi, Sleidanus &c. imo nec ipsa historia Pallavicini inter cæteras melior, numeris omnibus absoluta ab eruditis censetur.

Solvuntur objectiones contra Trid. *Schol.* 2. Protestantes Concilium Tridentinum pro œcumenico agnoscere nolunt I. quia in Imperio Germaniæ celebratum non fuit. *Resp.* Protestantes ipsi in conventu Spirensi a. 1542. in urbem Tridentinam Germaniæ conterminam consenserunt. II. Illud Romanus Pontifex in propria causa nec convocare, nec ei præesse potuit. *Resp.* Hic non Romani Pontificis, sed fidei & Religionis Catholicæ causa agebatur, quæ illi primatum & jus convocandi Concilia œcumenica eisque præsidendi tribuit. III. Protestantes ab hoc Concilio exclusi, & non auditi damnati sunt. *Resp.* Protestantes cum salvo etiam conductu invitatos fuisse patet ex Sessione 13. 15. 18. & ostendit Didacus Payna *l.* 1. *defens. Trid. fid.* IV. Tridentina Synodus non fuit libera, sed ex solo Papæ placito peracta juxta illud populare scomma, Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri. *Resp.* Licet Papæ Legati definienda proposuerint, eos tamen Patrum libertatem, sua etiam proponendi restrinxisse, nunquam probabitur. Vid. Graveson *in Hist. Eccles.*

Ecclesia dispersa est infallibilis. §. 29. Ecclesia docens etiam per orbem dispersa, (sive omnes Episcopi Catholici in suis diœcesibus separatim degentes) in rebus fidei & morum communi consensu proponendis & tenendis errare nequit. Nam Privilegium infallibilitatis Ecclesiæ non minus collectæ quam dispersæ a Christo promissum fuit, *Matth. ult. Vobiscum sum omnibus diebus.* Ille Pastores in Ecclesia sua instituit, ut regant gregem sibi subjectum, *Act.* 20. *v.* 28. Jussit ut omnes gentes docerent, *Matth. ult.* Dedit eos in ædificationem Corporis Christi, *ad Eph.* 4. *Secundo.* Ante Concilium Nicenum I. multæ hæreses sine Conciliis generalibus damnatæ fuerunt, uti ex historia Ecclesiastica patet, & Pelagianis Concilium generale postulantibus hoc exprobrat S. Augustinus *l.* 4. *ad Bonif. cap. ult.* Unde Facultas Parisiensis a. 1663. declaravit absolute, non esse necessarium Concilium generale ad extirpanda Schismata & hæreses. Et a. 1664. doctrinam libri: *Le pacifique véritable* D. Melletiere, infallibilitatem Ecclesiæ in nullo alio statu quam in Concilio œcumenico tribuentem, tamquam hæreticam damnavit. *Tertio.* Si Concilium generale solum est infallibile, non

semper haberetur viva regula fidei, quia non semper Ecclesia in Concilio generali est congregata, ac nullus proinde foret dissensionum finis, & rebelles in officio contineri non possent.

An Ecclesia in factis dogmaticis sit infallibilis?

Schol. 1. Cum Innocentius X. a. 1653. quinque famosas propositiones Jansenii damnasset; ejus fautores hanc damnationem quidem acceptarunt, sed dixerunt, eas non reperiri in ejus libro, vel in ejus sensu non esse damnatas. Verum Alexander VII. in Bulla *Ad Sacram* &c. a. 1656. declaravit, has propositiones ex libro Jansenii esse excerptas, & sensu ab auctore intento damnatas. Ut igitur hanc constitutionem Jansenii Patroni eluderent, confugerunt ad distinctionem *facti* & *Juris*, & dixerunt, Ecclesiam esse infallibilem in quæstionibus *Juris* definiendis, non vero in quæstionibus *facti*. Unde doctrina illarum propositionum damnata est quidem hæretica, quia hoc est juris, sed falso tribuitur libro Jansenii, *Augustinus* dicto, quod est factum. Aliud effugium excogitavit quidam Theologus Belga in opusculo: *Via pacis*. Hic distinguit inter sensum *quis*, seu grammaticalem, & obviam significationem propositionis, in quo definiendo juxta illum Ecclesia non est infallibilis, & de facto erravit definiendo sensum *quis* propositionum Jansenii: & inter sensum *qualis*, scilicet, an sit orthodoxus vel hæreticus, in quo definiendo Ecclesia est infallibilis. Ex hoc nata est quæstio non ita pridem magno æstu agitata, & necdum composita, an Ecclesia in factis dogmaticis sit infallibilis, quale factum dogmaticum est illud, quod cum dogmate est conjunctum, uti an liber Jansenii *Augustinus* dictus quinque propositiones ab Innocentio X. damnatas contineat, quod ab omnibus tenendum Alexander VII. in Bulla citata mandavit, & in nova constitutione *Regiminis Apostolici* a. 1665. fidei formulæ a se præscriptæ ab omnibus subscribi præcepit, quod idem jussit Innocentius XII. a. 1694. & damnari propositiones Jansenii in sensu obvio, quem propositionum verba præseferunt.

Rationes contra infallibilitatem Eccl. in factis dogmaticis.

Schol. 2. Verum his omnibus non obstantibus multi adhucdum contendunt, Ecclesiam in omnibus factis etiam dogmaticis non esse infallibilem & errare posse. Unde Jansenii Patroni concedunt quidem infallibilitatem Ecclesiæ in definiendo dogmate, non vero in facto. Quare dogmati definito plenam fidem adhibendam esse censent, facto vero definito reverentiam in solo religioso silentio positam deberi contendunt. Hinc formulæ ab Alexandro VII. in facto Jansenii sancitæ sine limitatione aut explicatione subscribere recusant, quia putant, Ecclesiam non satis assecutam esse sensum libri Jansenii, &

errore facti in eo assignando laborasse. Alii autem putant, se formulæ sine exceptione subscribere posse, quia hæc subscriptio est signum interni assensus ratione dogmatis, & signum reverentiæ externæ ratione facti. Argumenta pro sua sententia contra infallibilitatem Ecclesiæ in factis dogmaticis hæc sunt. I. Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiæ nisi in rebus fidei; qualia non sunt facta dogmatica, quæ non sunt a Deo revelata. II. Origenes in Synodo V. damnatus multos adhuc postea defensores habuit. Item Marcellus Ancyranus a Concilio Sardicensi, & Julius P. orthodoxus habitus, postea a S. Basilio & Athanasio ut hæreticus reprobatus fuit &c. III. Concilium Chalcedonense tria capitula, scilicet librum Theodori Mopsuestensis, Theodoreti anathematismos in S. Cyrillum, & Ibæ epistolam una cum auctoribus suis approbavit, quæ deinde in Synodo V. reprobata sunt; & Pelagius II. P. in *ep. ad Episc. Istriæ* ait: epistolam Ibæ etsi ab omnibus Patribus Concilii Chalcedonensis approbatam adhuc reprehendere licet. IV. Definitio Ecclesiæ de facto dogmatico eadem est cum illa de facto personali, quia definitio de sensu libri ab Auctore intento ipsum Auctorem respicit, quæ sane fallibilis est. V. Clemens IX. ad pacem Ecclesiæ admisit quatuor Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamensem, & Aletensem, qui in suis mandatis docuerant, sufficere pro facto Jansenii obsequiosum silentium, & tantum ab eis exegit, ut subscriberent formulæ Alexandri VII. quod illi etiam fecerunt, inserta tamen in secretis actis verbalibus distinctione Juris & facti, quod etiam Episcopus Catalaunensis Clementi IX. a. 1668. indicavit. Imo Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii a. 1694. dicit sufficere, si damnentur quinque propositiones in sensu obvio verborum, nulla facta mentione sensus Jansenii. VI. Theologi cum S. Thoma docent, Ecclesiam esse fallibilem in quæstionibus facti, maxime si sit obscurum, unde Ecclesia non solet damnare textum librorum, sed solas propositiones, nec unquam Ecclesiæ infallibilitas in factis dogmaticis tamquam fide divina credenda definita est.

Rationes pro hac infallibilitate. *Schol.* 3. Alii e contra strenue defendunt, quod judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu de factis dogmaticis sit infallibile, ac proinde fideles teneantur definitioni illius acquiescere interna mentis & judicii adhæsione, & non solo, ut vocant, religioso silentio. Interim tamen hi Theologi inter se non consentiunt, qua fide factum dogmaticum credendum sit, an scilicet divina an Ecclesiastica tantum. Supponunt autem in facto personali vel particulari v. g. an Titius sit legitime ordina-

tus, si nitatur testimoniis humanis fallibilibus, nec ad regimen totius Ecclesiæ, & omnium fidelium salutem spectet, Ecclesiæ judicium errare posse. Dicunt etiam, Ecclesiam nec definire, nec infallibiliter definire posse, quod v. g. liber Jansenii, *Augustinus* dictus, sit genuinus fœtus Jansenii, nec quod quinque famosæ propositiones totidem verbis in libro Jansenii contineantur, nec quod Jansenius re vera in mente habuerit sensum, quem verba præseferunt, licet hoc merito præsumatur, nisi velis illum malignum vel ignarum esse, qui receptam verborum significationem vel ignoraverit, vel alio detorserit; quæ omnia si nitantur sensibus vel testimonio hominum incerto & fallaci, non vero revelatione Divina, ab Ecclesia infallibiliter definiri non possunt. Ecclesia igitur juxta hos Theologos tantum infallibili judicio statuere potest, quis & qualis ex tota propositionum & librorum serie & textura elici possit sensus, quæ & qualis doctrina, quod est factum; & quod talis doctrina sit Catholica vel hæretica, quod est dogma. Probant hoc *Primo* ex testimoniis Scripturæ (§. 27.) allatis. Certe si Ecclesia falleretur judicando, librum Catholicum v. g. S. Augustini continere sensum & doctrinam hæreticam; vel librum hæreticum v. g. Calvini continere sensum & doctrinam Catholicam, fideles hoc crederent, & sic tota Ecclesia in errorem induceretur, quod repugnat promissioni Christi. *Secundo* probant ex constanti Traditione. Nam Concilium Nicænum I. in epist. Syn. ad Alexandrinos apud Socratem *l.* 1. *c.* 9. anathema denuntiat Ario & nefariæ ejus propositioni, & verbis, sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemandum. Chalcedonense *act.* 4. Theodoretum tamdiu pro hæretico Nestoriano habuit, donec Nestorium & scripta ejus damnasset. Concilium V. generale damnavit tria capitula seu scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ, & libros Origenis, & illos, qui hæc defenderent, & non condemnarent, in quo Chalcedonensi nullatenus contradixit, quod tantum Auctores horum scriptorum, vel pœnitentes, vel se vindicantes ad communionem admisit, uti *in tr. de Incarn.* dicetur. Similia facta fuerunt in Concilio Lateranensi IV. circa libellum de Trinitate Joachimi Abbatis; & in Concilio Constantiensi Sess. ult. circa personas & scripta Wicleffi, Joannis Huss, & Hieronymi de Praga. Nec juvat dicere, hæc facta dogmatica clara fuisse, cum satis constet ex historia, quam obscura fuerint scripta Nestorii, & tria capitula, ita ut ob hanc obscuritatem etiam orthodoxi Episcopi pro eorum parte steterint. *Tertio*. Dogma fidei fidelibus proponendum est inseparabile a fa-

cto, quia illis proponi nequit sine facto, seu sine textu propositionis aut libri: ergo sicut Ecclesia est infallibilis in proponendo dogmate, ita & in facto dogmatico. Sane Christus in hoc Ecclesiæ suæ non deest: potest illa definire, quis sit sensus S. Scripturæ & Traditionis, eccur non sit infallibilis, quis sit sensus libri vel propositionis Theologice sumptus? rueret sine hac infallibilitate authentia S. Scripturæ & Traditionis, quæ ex scriptis Conciliorum & Patrum habetur. *Quarto* ex hoc inferunt hujus sententiæ patroni, teneri fideles huic judicio infallibili Ecclesiæ de factis dogmaticis sincera mentis adhæsione, non solummodo externe, non solo religioso silentio se submittere; nam subscriptio externa sine interno mentis consensu est mendacium, & si fiat cum juramento, perjurium: Religiosum vero silentium est injuriosum Ecclesiæ, cujus auctoritatem spernit, & intus irridet ac improbat: est superbiæ, & temeritatis nota, dum credit, se sensum alicujus libri melius penetrare, quam Ecclesiam: est inobedientiæ & rebellionis incentivum, quia eodem jure liceret filiis, servis, & subditis superiorum mandatis se se opponere. Vid. *Conc. Ebred. a.* 1727. *c.* 2.

An ab Ecclesia dispersa ad Conc. gen. appellare liceat?

Schol. 4. Quia Ecclesia etiam per orbem dispersa in rebus fidei & morum definiendis est infallibilis, hinc non licet ab ejus definitione ad Concilium generale appellare; non enim licet appellare a judicio Ecclesiæ infallibili, quale est judicium Ecclesiæ etiam per orbem dispersæ, nam Deus nunquam permittit, ut Episcopi per orbem dispersi circa falsum dogma propositum sileant, cum Ecclesia juxta Christi promissionem deficere nequeat. Et ideo quia Bulla *Unigenitus*, in qua 101. propositiones ex Quesnellii reflexionibus super novum Testamentum exceptæ a Clemente XI. a. 1713. damnatæ sunt, a Conventu Cardinalium, Archi & Episcoporum a. 1713. & 1714. a Facultate Parisiensi, Duacensi an. 1714. Coloniensi & Lovaniensi a. 1715. Salmanticensi a. 1716. a tota Italia, Germania, Lusitania & Hispania recepta fuit, uti patet ex Litteris Clementis XI. *Pastoralis:* cum itidem in Gallia 110. Episcopi eam acceptaverint, 10. solum recusaverint, & 4. tantum ad futurum Concilium generale appellaverint, & ex 24. Academiis Galliæ tantum tres, scilicet Parisiensis, Rhemensis, & Nannetensis acceptationem factam revocaverint, uti videri potest apud Card. Bissy *tom.* 3. *Inst.* 2.: cum insuper eamdem Bullam Episcopi in Conc. Prov. Ruthenorum an. 1720. Sess. 2. receperint, Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis illi sub Benedicto XIII. P. subscripserit: cum in Concilio Romano anno 1725. sub eodem Benedicto celebrato

Bulla *Unigenitus* uti *fidei regula* agnoscatur, & observanda proponatur *tit.* 1. §. 2. quod idem Concilium Ebredunense an 1727. cap. 2. decrevit, & ait, illi suffragari *universalem Ecclesiam*, esse *dogmaticum*, *definitivum & irretractabile Ecclesiæ judicium*, & ab ea ad futurum generale Concilium provocare esse illicitum, & *hanc provocationem esse ipso jure irritam*, *scandalosam*, *schismaticam*, *jam damnatis erroribus faventem*, *Sedi Apostolicæ & Ecclesiæ injuriosam*: hinc illi qui ab hac Bulla ad Concilium generale appellant viderint, qua ratione vel conscientia hanc suam appellationem justificare valeant. Nobis hæc historice retulisse & indicasse sufficiat.

§. 50. Caput Ecclesiæ principale Christus est, quod post suum etiam in cœlum ascensum remanet, ita ut in hoc munere non habeat in terris successorem; successor enim ita succedit in locum alterius, ut hic alter non habeat amplius potestatem, quam antea habuit: Christus vero dum corporalem suam præsentiam Ecclesiæ subtraxit, eamdem suam potestatem retinet: manet ergo adhuc caput Ecclesiæ primarium. Et quidem dum in hac adhuc vita existeret, caput etiam ejus visibile fuit, cum eam visibiliter gubernaverit. Nunc autem in cœlis existens est caput invisibile, cum jam non amplius per se gubernet Ecclesiam modo visibili, sed tantum invisibili per internum gratiæ influxum. Interim tamen illam adhuc gubernat modo visibili per suum in terris Vicarium, qui loco sui jam absentis præest Ecclesiæ visibili. *Hoc caput a Christo constitutum fuit S. Petrus, qui proinde a Christo accepit Primatum honoris & Jurisdictionis, tum supra Apostolos, tum cæteros fideles*. Patet hoc *Primo* ex S. Scriptura, ubi *Matth.* 16. *v.* 18. & 19. Christus S. Petrum sic alloquitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris &c.*: hic Christus super S. Petrum Ecclesiam suam ædificandam, illique claves regni cœlorum se daturum promittit: ergo caput visibile Ecclesiæ esse voluit. Certe ridicula hic est Protestantium observatio, scilicet Evangelistam non sine causa variasse orationem, cumque dixisset: *Tu es Petrus*, postea non dixisse, *super hunc Petrum*, sed *super hanc Petram* Ecclesiam esse ædificandam, ut aliam Petram quam Petrum significaret. Nam S. Matthæus Hebraice vel Syriace scripsit, ubi non est differentia generis inter Petrum & Petram; sed Christus dixit: *Tu es Cephas*, id est Petra, *& super hanc Petram &c.* Latinus vero interpres codicem græcum secutus, ubi πέτρος & πέτρα lapidem significat, vertit *Petrus*. Quod

S. Petrus caput Ecclesiæ a Christo constitutus fuit.

si aliqui, uti S. Augustinus *tract.* 124. *in Joan.* Origenes *Tom.* 12. *in Matth.* nomine petræ Christum intelligunt, de principali fundamento loquuntur. Alii Patres Petram omnes Apostolos vocant, sed post Petrum. Alii uti S. Hilarius confessionem seu fidem Petri, sed non excludendo personam Petri. Sane omnes Patres licet citatum textum subinde allegorice interpretentur, semper tamen aliquam specialem prærogativam & primatum S. Petro concessum fatentur, quem in aliis suis scriptis manifeste asserunt. Deinde *Joan.* 21. *v.* 15. Christus S. Petro ter oves suas commendavit: *Pasce oves meas*, & sic totam Ecclesiam illi commisit, quod non fecit aliis Apostolis. Denique Christus S. Petro speciales prærogativas Primatum ejus declarantes contulit: rogavit pro illo specialiter, & vult, ut confirmet fratres suos, *Luc.* 22. *v.* 32. mutavit nomen ejus in Cephas, quod Petram significat, super quam fundaret Ecclesiam. Primus ordinarie inter Apostolos in S. Scriptura numeratur, non ratione vocationis & ætatis, nam S. Andreas prius vocatus, & juxta S. Epiphanium *hær.* 51. natu major erat; ergo ratione primatus. Item S. Scriptura eum tamquam caput nobis exhibet *Marci* 1. *Simon, & qui cum illo erant*, *Act.* 2. *Petrus & undecim*. Unde *Act.* 1. primum Concilium convocasse, & in altero de observatione legalium primus sententiam dixisse legitur. *Secundo* patet ex continua Traditione. Sic Sæculo 2. Tertullianus *de præsc. hær.* Petrum *petram ædificandæ Ecclesiæ* vocat: Et *l. de pudic.* ait: *in Petro Ecclesia extructa est*. Origenes *hom.* 2. *in Exod.* vocat S. Petrum *summum Apostolorum verticem*. Sæc. 3. S. Cyprianus *ep.* 71. ait, Petrum *primatum* tenuisse super Apostolos. Sæc. 4. S. Ambrosius in 12. *ep.* 2. *ad Cor. Primatum non accepit Andreas, sed Petrus*. Sæc. 5. S. Cyrillus Alex. *l.* 12. *in Joan.* vocat *cæterorum Principem & caput*. Vide plura apud Bellarm. & Mamachium p. 71. &c.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Protestantes negant S. Petro a Christo primatum super reliquos Apostolos & totam Ecclesiam collatum fuisse, & licet plures admittant, a Christo constitutum fuisse aliquod caput vel supremam potestatem in Ecclesia, negant tamen residere in uno, sed contendunt, vel esse in universo populo Christiano, vel saltem in pluribus principalioribus. Probant hoc I. quia cæteri Apostoli sunt Petro æquales, & *ad Eph.* 2. dicuntur fundamentum Ecclesiæ. Verum licet sint illi æquales quoad potestatem Apostolicam prædicandi, non tamen quoad potestatem gubernativam supremam, & hinc dicuntur fundamenta Ecclesiæ, cum subordinatione tamen ad S. Petrum. II. Apostoli miserunt S. Petrum Sa-

mariam *Act.* 3. sed non imperio, bene vero solo consilio, sicuti consiliarii mittunt regem ad bellum. III. S. Clemens *l.* 1. *dispos.* dicit, S. Petrum primatus gloriam sibi non vindicasse, & S. Jacobum Apostolorum Episcopum statuisse. Verum in Codice Coloniensi abest ly *Primatus*, & loco Apostolorum, legitur Jerosolymorum. Item Hesychius S. Jacobum Apostolorum caput vocat; sed utitur exaggeratione oratoria. Item S. Ambrosius *l. de Incarn. c.* 4. ait, S. Petrum primatum egisse confessionis, non honoris, fidei, non ordinis. Verum tunc temporis, quando S. Petrus Christo interroganti respondit, juxta S. Ambrosium necdum gessit primatum honoris & ordinis, quem modo post confessionem accepit per illa verba: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Error duo capita Ecclesia statuens.

Schol. 2. Anno 1645. prodierunt duo libelli coæquantes S. Paulum S. Petro in regimine Ecclesiæ, & constituentes duo capita, quæ in unum coalescerent. Favere illis videtur 1. illud *ad Gal.* 2. *v.* 5. ubi S. Paulus dicit, se neque ad horam cessisse subjectione. Verum loquitur ibi de falsis fratribus discipulos suos ad observationem legalium cogentibus: & *v.* 7. se comparat cum S. Petro quoad prædicationem, non vero quoad primatum: et *v.* 11. opponit se S. Petro, cum scandalo aliorum erranti non in doctrina, sed minus cauta conversatione, quod etiam licet inferiori erga superiorem. 2. Objiciunt varios Patres, qui S. Petrum & Paulum æquales faciunt: sed illi loquuntur de æqualitate quoad munus prædicandi, non quoad auctoritatem & Primatum. 3. Dicunt: Ipsi summi Pontifices vocant se successores SS. Petri & Pauli, & ambo in precibus Ecclesiæ vocantur Judices terræ. Sed intelligitur successio realis quoad jura omnibus concessa, non vero personalis, quo modo soli S. Petro succedunt; S. Paulus enim nullam specialem Cathedram tenebat: omnes etiam Apostoli sunt Judices terræ, cum subordinatione tamen ad primatum S. Petri. Vid. Mamachium *in orig. Christ. p.* 89.

Romanus Pontifex succedit S. Petro in primatu, & est caput Ecclesiæ.

§. 31. S. Petrus in Primatu & summo Pontificatu necessario successores habere debuit. Christus enim instituit Ecclesiam suam non pro illo solum tempore, quo S. Petrus vixit, sed pro omni usque ad finem mundi. Igitur pro omni etiam futuro tempore illi de supremo capite providit. *Hunc successorem S. Petri in primatu honoris & jurisdictionis & supremo Ecclesiæ regimine dicimus esse Romanum Pontificem, qui proinde est caput totius Ecclesiæ.* Hoc dogma evidenter probat continua Traditio, quæ constat *Primo* ex Conciliis. Nicænum I. can. 6. relato act. 16. Concilii Chalcedonensis

ait: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum, non solum ob urbis dignitatem, sed honoris & Jurisdictionis super cæteros Episcopos.* Constantinopolitanum I. ait: can. 5. *Constantinopolitanus Episcopus habeat Primatus honorem post Romanum Pontificem*, ubi antiquum privilegium Romani Pontificis confirmat. Concilium Ephesiuum act. 2. vocat Petrum & ejus successorem Romanum Pontificem *caput fideique columnam*. Unde in Actione 4. hujus Concilii loco, *Apostolicæ Dei Ecclesiæ Jerosolymorum*, legendum est, *Romanorum*, uti fuse probat Cardinalis Perronius. In Concilio Chalcedonensi Romana Ecclesia dicitur *caput omnium Ecclesiarum*, act. 16. His consonant Concilia recentiora. *Secundo* patet ex PP. Sæcul. 2. S. Irenæus *l. 3. adv. hær.* ait: *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*. Sæc. 3. S. Cyprianus *ep.* 42. & 45. Ecclesiam Romanam vocat cæterarum omnium *Radicem & Matricem*. Sæc. 4. S. Athanasius *ep. ad Felicem*, S. Ambrosius *ep.* 78. S. Optatus *l.* 2. S. Hieronymus *ep. ad Damas*, S. Augustinus *ep.* 43. Primatum Romano Pontifici astruunt. Idem facit Sæculo 5. Theodoretus *ep.* 116. Et sane nonnisi tempore Photii privilegia Romanæ sedis a Græcis oppugnari cœperunt. *Tertio* Romani Pontifices semper hucusque Primatus jura non improbante Ecclesia exercuerunt; S. Victor P. Quartadecimanos, S. Stephanus P. rebaptizantes judicavit. Julius P. S. Athanasium, Liberius Eusthatium Sebastenum sedibus suis restituerunt. Cœlestinus I. Nestorii, Innocentius I. Pelagii errores damnavit. S. Leo M. in Græcos, Asiaticos, Ægyptum & Africam suam jurisdictionem exercuit, uti patet ex ep. ejus 12. 60. 92. Omitto reliquos; nec enim dici potest, Romanos Pontifices jus Primatus sibi violenter arrogasse: nam cum hic agatur de causa publica Fidei, de institutione Christi, cum tota suffragetur Ecclesia, cum nullus nisi hæreticus hanc potestatem impugnaverit, cum ipsi Imperatores, Theodosius, Valentinianus, & Justinianus Nov. 131. illam agnoverint, & ab omnibus agnoscendam decreverint, arrogatio & falsitas subesse nequit.

Solvuntur objectiones Protestantium. *Schol.* Protestantes negat Primatum Romani Pontificis, & eum Antichristum appellant. Nam I. S. Paulus *ad Eph.* 4. *v.* 11. & 1. *ad Cor.* 12. *v.* 28. capitis Ecclesiæ non meminit. Sed quando dicit: *Unum corpus*, nonne caput sufficienter designat? non enim explicite omnes gradus Hierarchiæ Ecclesiasticæ enumerat, imo dum Prophetarum, Virtutum &c. meminit, de Charismatibus tractat. II. Citant pro se S. Cyprianum *l. de unit. Eccl.* ubi Episcopum Episcoporum, & præter Deum alium ju-

dicem negat, & parem sibi cum S. Stephano judicandi potestatem esse dicit. Verum durius subinde in causa rebaptizantium S. Cyprianum locutum fuisse notum est. Sane Primatum Rom. Pont. agnovit cit. ep. 42. & solum intelligendus est, quod in Concilio Carthaginensi III. nullus se Episcopum Episcoporum vocaverit; item res a Deo nondum revelatas ad Dei judicium retulit, & quoad ordinem Episcopalem se tantum S. Stephano coæquavit, non quoad Primatum & supremam Jurisdictionem. Eodem modo S. Gregorius M. nomen universalis Episcopi damnavit in Joanne Constantinopolitano, qui contendebat, omnes orientales Episcopos suos tantum esse Vicarios; & quia tunc quærebatur, an hoc nomen Episcopo Constantinopolitano concedi posset, ad Joannis superbiam retundendam illud supprimendum esse S. Gregorius censuit, licet in sensu Catholico Rom. Pontifici competat; unde etiam Bonifacius II. a Phoca Imperatore obtinuit, ut Episcopi Constantinopolitani hoc nomen deponerent, illudque soli Rom. Pontifici tribueretur, teste Anastasio Biblioth. III. Dicunt, citatum canonem 6tum Concilii Nicæni juxta interpretationem Isidori intra limites occidentis; vel juxta interpretationem Ruffini intra Ecclesias suburbicarias 10000 passibus Roma distantes, vel intra 10 Provincias urbis Vicario subjectas potestatem Papæ restringere. Sed notandum, hos interpretes considerasse Papam vel ut Patriarcham occidentis, quo modo ad Ecclesias occidentis; vel ut Metropolitanum, quo modo ad Ecclesias suburbicarias; vel ut Episcopum Romanum, quo modo ad diœcesim Romanam potestas ejus restringitur; non verò ut caput Ecclesiæ & Vicarium Christi, quo modo ad totam Ecclesiam ejus potestas se extendit, & hoc modo de illo locutum esse Nicænum canonem patet ex eo, quia nullam limitationem apposuit. IV. Probant, non licere ex toto orbe ad Romanum Pontificem appellare; nam Concilium Milevitanum can. 22. prohibuit appellationes transmarinas. Sed quibus? Presbyteris scilicet, Diaconis & inferioribus Clericis, & quidem ex usu recepto & consensu Rom. Pontificis, ne auctoritas Episcoporum vilesceret, & Clericis evagandi temere via præcluderetur. Similiter Ecclesia Africana in Concilio Carthaginensi IV. appellationem ad Zosimum P. noluit recipere, ubi non jus, sed usum appellationum impugnavit, & errore detecto statim sententiam mutavit. Synodus Trullana can. 56. sedi Constantinopolitanæ eadem privilegia, quæ Romanæ tribuens, nullius in hac re est auctoritatis, nec a Papa approbata; sicuti etiam irritum est quidquid Synodus Chalcedonensis absentibus & reclamantibus Legatis

Papæ pro primatu Episcopi Costantinopolitani statuit. Justinianus Imperator Nov. 123. appellationes a sententia Patriarchæ prohibens, loquitur de causis civilibus; vide Nat. Alex. Sæc. 4. dissert. 28. V. Oggerunt, Primatum Rom. Pontifici a canonibus concessum fuisse tantum ob urbis Romanæ excellentiam, teste Concilio Chalcedonensi can. 28. Verum a Deo hunc primatum descendere ex dictis patet, quod proinde canones declararunt. Canon vero Chalcedonensis loquitur de jure Patriarchico in certas Ecclesias Romanæ sedi concesso; imo illum canonem S. Leo rejecit, uti probat Bellarminus l. 2. de R. P. c. 17. Denique VI. dicunt: non conveniunt Catholici, in quibus prærogativis Primatus Papæ reponi debeat. Ad argumentum hoc solvendum videndum nunc est, quænam prærogativæ ex jure Divino Primatui summi Pontificis juxta omnes Catholicos conveniant, quænam vero sint inter illos adhuc controversæ & de quibus dubitent, unde sit

Prærogativæ Primatus Papæ ex jure Divino. §. 52. Prærogativæ Primatus Papæ primigeniæ ex jure Divino juxta omnes Catholicos sunt, *Primo:* Papæ tamquam capiti sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbit, executioni & observantiæ canonum per totum orbem invigilat, & rebelles ac contumaces pœnis canonicis coercet. *Secundo:* Leges & decreta Papæ in causis Fidei & morum ad omnes & singulas Ecclesias pertinent, & Christiani omnes in conscientia tenentur ipsis obtemperare, etsi etiam Papa infallibilis non supponatur; nam saltem provisorie ejus decretis, quæ apud bonos maximi momenti essent, obsequendum est, ad non dogmatizandum contrarium, quamdiu Ecclesia non reclamat, quod secus est in privatis Episcoporum decretis, quibus eorum subditi tantum subjiciuntur. *Tertio:* In controversiis fidei & Religionis præcipuæ sunt summi Pontificis partes, nec quidquam in Ecclesia magni momenti definiri debet, quod ad ipsum non referatur tamquam Judicem dignitate & auctoritate primum. *Quarto:* Papa dispensare potest a legibus etiam a Conciliis generalibus latis, prout utilitas & necessitas Ecclesiæ requirit. *Quinto:* Papa habet jus convocandi Concilia generalia, iisque vel per se, vel per suos Legatos præsidendi (§. 24. & 25.). *Sexto:* Controversias inter Episcopos ortas decidere, silentium imponere, injuste oppressos defendere potest & debet. *Septimo:* Habet plenissimam fori Pœnitentialis potestatem quoad absolutionem & reservationem peccatorum in tota Ecclesia. Hæc jura Primatus primigenia fusius deducta vide in meis *Instit. J. E. tom.* 1. §. 122. *& seqq.*

Privilegia Pa- 2. Præter hæc Primatus privilegia, quæ Papæ jure Di-

vino competunt, sunt etiam alia accessoria & secundaria, quæ sibi summi Pontifices reservarunt, adeoque in Primatu jure Divino juxta multos Catholicos non fundantur: uti Canonizatio Sanctorum; Approbatio & Confirmatio novorum Ordinum Religiosorum; Sacramentorum rite administrandorum ritus accidentales, tempora; Confirmatio & translatio Episcoporum; fundatio Ecclesiarum Cathedralium; nonnullæ dispensationes etiam in votis. Vid. cit. *Instit. J. E. tom.* 1. §. 142. *& seqq.*

Pæ secundaria, & a summis Pontificibus sibi reservata.

3. Privilegia Primatus summi Pontificis inter Catholicos adhuc controversa, de quibus salva fide Scholæ in utramque adhuc partem disputant, sunt *Primo:* An soli Papæ jurisdictio in totam Ecclesiam ita immediate a Christo concessa fuerit, ut Episcopis a Papa communicetur, nec Episcopi jurisdictionem suam immediate a Christo habeant, de quo inferius. *Secundo:* An judicium Romani Pontificis loquentis ex Cathedra, hoc est, ex plenitudine potestatis, & aliquid sub pœna hæreseos fide Divina credendum proponentis in rebus fidei & morum sit infallibile independenter a consensu Ecclesiæ vel in Concilio congregatæ, vel per orbem diffusæ. *Tertio:* An Papa a nemine judicari possit, ne quidem a Concilio generali, & an hoc sit superior. *Quarto:* An Papa auctoritatem aliquam directam vel indirectam in res temporales Principum a Christo acceperit, ita ut Imperatores, Reges & Principes deponere, eorumque subditos a Sacramento fidelitatis solvere possit. Litigant in his salva fide Catholica nostri Theologi, nec nostri instituti modo est hanc litem dirimere. Vid. cit. *Inst. J. E. tom.* 1. §. 125. *Schol.* 1. *S.* 152.

Privilegia apud Catholicos controversa.

Schol. 1. Edmundus Richerius in libello *de Eccl. & Polit. pot.* a. 1611. edito docuit, Claves seu Jurisdictionis potestatem uni & soli Ecclesiæ a Christo immediate, Petro autem cæterisque Apostolis & eorum successoribus Episcopis mediate per Ecclesiam datam esse. Unde fatetur quidem, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, sed tantum symbolicum, figurativum, ministeriale, accidentarium, & non necessarium. Librum Richerii damnavit Concilium Senonense a. 1612. tamquam continentem propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, & ut sonant hæreticas & Schismaticas. Richerius vero ad palinodiam compulsus librum suum subjecit judicio Romanæ Ecclesiæ an. 1629. Summum Pontificem esse verum & proprium Ecclesiæ caput visibile & externum ex §. 31. patet, non tantum symbolicum & figurativum. An vero dici possit caput ministeriale, accidentarium, & non necessarium, quæstio æquivoca est. Certum est, quod non sit caput mi-

Error Richerii.

nisteriale in sensu Richerii, quasi omnem auctoritatem ab Ecclesia acceperit, sitque illius tantum minister quoad executionem potestatis. Nam S. Petrus claves a Christo immediate accepit; potest tamen dici caput ministeriale tum respectu Christi, tum respectu Ecclesiæ hoc sensu, quod ejus decreta primus ipse observare teneatur, & invigilare, ut ab omnibus observentur. Potest etiam dici caput accidentarium & non necessarium, quatenus vel per mortem, vel per voluntariam resignationem deficere potest: sed cum hoc stat, quod summus Pontifex sit caput essentiale & necessarium, quia sicut deficere nequit publicum & visibile Ecclesiæ ministerium, ita nec summus Pontifex totius administrationis caput, quo etiam mortuo, tam firma subsistit Ecclesia, sicuti Regnum Rege mortuo, quia vivus apprehendit mortuum. Vid. *Biblioth. Juris Gall.* in quo turbæ ratione dicti libri exortæ referuntur.

S. Petrus Romam venit, ibique sedem fixit.

Schol. 2. Primatus Romani Pontificis pendet ab illa quæstione historica, an S. Petrus Romam venerit, ibique sedem suam fixerit. Certum est ex historia, quod S. Petrus quatuor ferme annis a passione Christi in Judæa manserit. Anno quarto, Tiberii ultimo, Antiochiam venit, ibique sedem suam erexit juxta Chronicon Eusebii. Septem annis Antiochiæ Episcopus mansit ex S. Gregor. *l.* 6. *ep.* 37. Hinc profectus anno a passione Christi undecimo rediit Jerusalem, ubi ab Herode in vincula conjectus est diebus azymorum. Inde ab Angelo paullo post liberatus eodem anno, Claudii Imp. secundo, Romam perrexit, ibique sedem in æternum mansuram constituit. Septimo Romanæ sessionis anno, Claudii nono, a passione Christi decimo octavo, Roma discedere coactus est edicto Imperatoris exilium contra Judæos decernentis, ubi Jerosolymam venit, & congregato ibi Concilio interfuit. Claudio mortuo Romam rediit, ubi passus est anno 14to & ultimo Neronis Imp. sessionis Romanæ vigesimo quinto. S. Petrum Romam venisse omnes Catholici fatentur, 1. quia hoc testatur ipse S. Petrus in prima sua Epistola c. 5. ubi ait; *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Per Babyloniam nequit intelligi illa Assyriorum, ex qua teste Josepho *l.* 18. *ant. c.* 12. tempore Caji omnes Judæi expulsi vel occisi fuerunt. Nec Babylon Ægyptiorum, quæ erat locus obscurus, teste Strabone l. 17. Ergo Roma, quam etiam S. Joannes in Apocalypsi Babylon vocat ob confusionem & omnium gentium errores, quam ideo nomine proprio S. Petrus designare noluit, ne locus commorationis suæ post recentem fugam e carcere persecutoribus suis innotesceret, & ne Christianis Romæ

degentibus, a gentilibus, si in eorum forte manus hæc Epistola deveniret, nova persecutio excitaretur. 2. Ex *Act. ult.* & *ad Rom.* 1. patet, multosfuisse Romæ Christianos antequam S. Paulus eo veniret: sed illi fidem à S. Petro audierunt, teste Eusebio *l.* 3. *hist. c.* 15. Orosio *l.* 7. *c.* 4. 3. Idem Eusebius in Chron. testatur cum S. Hieronymo *de Script. Eccl.* S. Petrum 25. annis Romanam Cathedram possedisse, nec ullibi legitur, quod unquam hanc sedem mutaverit, & omnes Patres sedem Romanam vocant Cathedram Petri, & Romanum Pontificem S. Petri successorem. Hanc veritatem negant nonnulli Protestantes. Alii Romam venisse S. Petrum concedunt, sed negant fuisse Romanum Pontificem. Alii concedunt, fuisse Romanum Episcopum, sed volunt, quod hanc Ecclesiam usque ad obitum non rexerit. Rationes eorum contra communem Traditionem parum probant; nam S. Paulus in Epistola sua ad Romanos ideo S. Petri non meminit, nec eum salutat, quia illa Epistola scripta fuit, quando S. Petrus Roma edicto Claudii exulabat. Similiter Epistola ad Galatas, ante illam ad Romanos scripta fuit. Epocha S. Petri Romam advenientis non officit veritati facti. Josephus Martyrium S. Petri tacuit, quia scelera Neronis tacere voluit, ne historia sua Imperatoribus displiceret, uti ipse notat l. 2. c. 11. S. Clementis silentium nil probat, qui de re notissima scribere noluit, & de invidia Corinthiorum solum disseruit; & libri recognitionum sunt apocryphi. Denique edictum Tiberii Christianos Roma expellentis eos solum spectabat, qui aliunde negotiorum causa eo venerant; nullos enim ibi eo tempore habitasse Orosius ipse l. 7. c. 4. testatur. Vid. Mamachium *t.* 5. *Orig. p.* 542.

Schol. 3. Nonnulli Theologi Catholici salva fide putant, supremum Pontificatum non esse annexum Episcopatui Romano ex immediata Christi institutione, sed ex voluntario S. Petri facto Romæ usque ad mortem sedentis, adeoque ex jure non Divino, sed Ecclesiastico: unde ex Ecclesiæ dispositione fieri posset, ut Romanus Pontifex sedem Romanam desereret vacuam, & aliam eligeret, vel nulli sedi se manciparet, & tamen, ubicumque maneret, haberetur Caput Ecclesiæ, & moriens non haberet determinatum alicujus loci Episcopum, sed quem Ecclesia eligeret; uti contigisset in S. Petrum, si primis quatuor annis obiisset. Verum probabilius est, quod summus Pontificatus sit annexus Episcopatui Romano ex institutione immediata Christi, adeoque jure Divino. Nam 1. S. Petrus ex institutione & mandato Christi Romæ sedem fixit, quia teste S. Ambrosio *ep.* 52. *cont. Auxent.* Hegesippo *l.* 3. *de excid. Jeros. c.* 5. & S. Gre-

Supremus Episcopatus Romano jure Divino est annexus.

gorio *in Ps.* 5. Christus S. Petrum ad crucem Romæ damnatum rogatu Christianorum fugere volentem retinuit, ut morte Petri Primatus in Romana sede firmaretur, ait Gelasius in decreto *de libr. apocr.* 2. Si summus Pontificatus non esset jure Divino Episcopatui Romano annexus, fuisset verosimilius tempore persecutionum alio translatus, & Constantinus M. qui nihil non tentavit, ut Constantinopolim ceu novam Romam omni ornatu condecoraret, summum Pontificatum illi adscribi curasset, si in potestate Episcoporum hoc fuisset. Unde privilegium Primatus fuit quidem primo personale S. Petro concessum, & in ejus successores transmittendum; postea vero factum est locale pro Roma vel ex mandato Christi ante ejus ascensionem, vel post illam, quando S. Petro occurrit dicens: *Venio Romam, iterum crucifigi*. Quare Roma etiam eversa, quod tamen Deus vix permittet, maneret saltem Romanus Episcopus, sicuti modo dantur Episcopi in partibus infidelium. Ex quibus colligitur, esse quidem de fide, Romanum Episcopum esse jure Divino successorem Petri, & caput Ecclesiæ: non tamen est de fide, Romanum Episcopum esse jure Divino successorem Petri & caput Ecclesiæ, quia est Episcopus Romanus. Falsum autem omnino est, quod ex gratia Principum Primatus sit annexus Romanæ sedi; nam Canon Constantinus d. 96. quem citant pro se hæretici, est spurius, & Primatum illi Divinitus collatum solum declarat, quod etiam fecit Phocas, & Valentinianus.

An sit de fide modernum Papam esse legitimum S. Petri successorem?

Schol. 4. Nullus Catholicus est, qui non certo teneat, modernum nostrum Pontificem esse summum Pontificem, sed diverso certitudinis gradu, quidam tantum certitudinem morali, alii certitudine Theologica, alii certitudine fidei, de qua controversia disputent Scholastici.

Regimen Ecclesiæ est Monarchicum Aristocratia temperatum.

§. 33. Ex his colligimus, *Regimen Ecclesiæ esse Monarchicum*. Illud quippe Regimen est Monarchicum, in quo est aliquis Superior, cui omnes parere tenentur in illis, quæ ad Ecclesiæ Gubernationem pertinent: sed Romano Pontifici omnes obtemperare tenentur (§. præc.): ergo Regimen Ecclesiæ est vere Monarchicum. Nihilominus *hoc Regimen est Aristocratia temperatum*. Nam in Ecclesia est summus Princeps, seu Papa, cui omnes etiam Episcopi obediunt: sunt etiam Episcopi, qui in suis Episcopatibus imperantes veri Ecclesiæ Principes, & non Papæ Vicarii existunt, qui in Conciliis sunt Judices Fidei, imo etiam ante Papam, sed judicio subordinato, cum Papa in Conciliis, & post Papam extra Concilia, sed judicio adhæsionis, de causis Fidei judica-

re possunt. Ergo habentur omnia ad Regimen Monarchicum Aristocratia temperatum requisita.

Schol. 1. Schubert *Theol. Pol. p.* 2. *c.* 25. docet, Ecclesiam visibilem spectatam secundum sua interiora, hoc est, doctrinam & usum Sacramentorum, unam quidem esse Ecclesiam, ad quam omnes cœtus pertinent, in quibus verbum Dei pure docetur, & Sacramenta legitime administrantur, & eatenus posse dici Monarchiam, quam tamen unus & solus Christus per specialem Providentiam regit. Si vero spectetur secundum exteriora, quatenus externam societatis formam habet, & legibus regi debet; non est Monarchia, sed tot sunt separatæ societates, quot externi cœtus, qui præter unitatem Doctrinæ & Sacramentorum nullum inter se vinculum habent. Hi ergo nec Monarchiam constituunt, nec Monarchico imperio regi possunt, sed quilibet cœtus seipsum pro ratione circumstantiarum regit, vel a Magistratu politico, qui ejus curam gerit, regitur. Unde videtur admittere in Ecclesia regimen vel Democraticum, vel cum pluribus Protestantibus mere Aristocraticum. Videtur illi suffragari auctoritas Christi, qui *Luc.* 22. *v.* 24. discipulis suis de Primatu contendentibus respondet: *Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Sed hic Christus solum ambitionem prohibuit, & Præsulibus humilitatem & lenitatem commendavit.

Solvuntur objectiones Protestantium.

Schol. 2. Disputatur adhuc in Scholis, an Episcopi suam jurisdictionem immediate a Christo habeant, an vero mediante summo Pontifice. Cardinalis de Turrecremata *l.* 2. *de Eccl. c.* 54. docet, Apostolos non a Christo immediate, sed a S. Petro jurisdictionem accepisse, ac consequenter Episcopos, qui Apostolis succedunt. Sed hæc sententia defendi non potest, hancque refellit Bellarminus *l.* 4. *de Rom. Pont. c.* 23. quia S. Paulus *ad Gal.* testatur, se Apostolatum accepisse nullo mediante Apostolo per Jesum Christum, & Deum Patrem. *Luc.* 6. vocavit Christus discipulos suos, & *elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.* Et *Joan.* 20. Christus ad omnes Apostolos ait: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Probabilior sententia est, quod Episcopi jurisdictionem suam non a summo Pontifice, sed a Christo immediate accipiant. Nam 1. Episcopi Apostolis, quos Christus constituit Ecclesiæ Principes, succedunt, uti docet S. Cyprianus *ep.* 69. Nicolaus *ep.* 47. Eugenius IV. in Decreto, & Tridentinum Sess. 23. cap. 4. ait: *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in*

Episcopi jurisdictionem suam habent immediate a Christo.

Apostolorum locum succedunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait (*Act.* 20. *v.* 28.), *a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei*. Ergo immediate a Christo accipiunt suam jurisdictionem. Unde merito præter alias propositiones, sequentem, *Episcopi a Papa accipiunt Jurisdictionem Episcopalem, quam exercent in populos sibi subditos*, Facultas Parisiensis ut falsam, verboque Dei contrariam rejecit. Hæc sententia non officit Primatui summi Pontificis, quia Episcopi Papæ sunt subordinati, eorumque limitatur potestas prout expedire videtur, ne destruatur ordo hierarchicus, & in Ecclesia fiat perturbatio, si quivis Episcopus omnia ubique posset. Unde licet potestas ordinis Episcopalis, quæ est quid absolutum præcise sumpta, nec subditos connotat, non possit ita restringi, quin Episcopi illa valide utantur, etsi illicite; potestas tamen jurisdictionis, quæ est relativa ad subditos, quia principatum necessario includit, qui sine subditis esse nequit, ita restringi potest, ut illa ne quidem valide Episcopi uti possint, cum penes Ecclesiam sit eis subditos assignare, aut justis de causis subtrahere; unde Episcopus potestate jurisdictionis erga eos uti non poterit, quos Ecclesia illi non subdidit. Illa formula, qua Episcopi se scribunt, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus*, recentior est, & hac primum usus est a. 1251. Nicosiensis in Cypro Episcopus, ac deinde Sæculo 14to magis invaluit, quando reservationes sunt introductæ, nec hodie in Germania ubique obtinet. Denique per confirmationem summi Pontificis, quæ olim per duodecim Sæcula ad Archiepiscopum spectabat, non accipit Episcopus internam & radicalem potestatem regiminis, sed tantum administrationem, unde Papa dicit: *Committimus tibi administrationem*.

Parochi sunt institutionis Divinæ.

Schol. 3. Probabilius etiam nobis est, Parochos esse institutionis Divinæ. Colligimus hoc ex S. Scriptura, ubi *Luc.* 10. *v.* 1. & 2. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam*. Hic Christus Apostolis jam in primo ordine collocatis *Luc.* 6. instituit secundum ordinem Presbyterorum seu Parochorum, quorum jam meminit Apostolus 1. *ad Tim.* 5. *v.* 17. *Qui bene præsunt Presbyteri* (scilicet sub Episcopo) *duplici honore digni habentur*. Et *v.* 19. ait ad Timotheum Episcopum: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Deinde Patres docent, Presbyteros & Parochos succedere 72. discipulis. Ven. Beda *in Luc.* 10. Theodulphus Aurelianensis *in Capitularibus*. S. Thomas 3. *p. q.* 67. *a.* 2. Unde Facultas Parisiensis a. 1408. cum

Joannes de Gorello Minorita in suis Thesibus propugnasset, Curatos non esse de institutione Christi, sed per Dionysium Papam fuisse ordinatos, eum sententiam suam retractare coegit. Denique juxta Tridentinum Sess. 23. can. 6. est in Ecclesia Catholica Hierarchia Divina ordinatione instituta, quæ constat Episcopis, Presbyteris & Ministris. Sed nulli alii Presbyteri intelligi possunt, nisi Parochi; reliqui enim vel jurisdictionem tantum delegatam habent, vel nullam, quæ ad hierarchiam saltem perfectam & completam non sufficit, uti in tractatu de Ordine probant Theologi. Ex hoc fluit ulterius, quod potestas jurisdictionis Parochorum sit immediate a Christo, salva tamen immediata jurisdictione Episcoporum in ipsos Parochos, & plebem subditam. Succedunt enim eodem modo Parochi 72. discipulis, quo modo Papa Petro, & Episcopi Apostolis: ergo eodem modo sicut Papa in tota Ecclesia, & Episcopi in suis diœcesibus suam jurisdictionem a Christo habent, salva tamen Episcoporum immediata jurisdictione, quia Episcopi semper erectis etiam Parochiis plebis sibi subditæ curam gesserunt; unde Apostolus monet Timotheum & Titum Episcopos, ut sollicite curent, non solum quæ spectant ad Presbyteros, & Diaconos, sed etiam plebem, viduas, senes &c. quippe Parochia non est communitas, quæ sibi sufficiat, propriis regatur legibus, Magistratus & ministros sibi constituat, in inobedientes pœnas decernat, sed habet se ad Diœcesim, ut pars ad totum, membrum ad corpus, cui unum caput præest Episcopus influens in singulas corporis partes, quas per necessaria organa nempe Parochos movet ac dirigit. Non obest huic sententiæ, quod multi ex 72. discipulis non fuerint Presbyteri, utpote quorum nonnulli *Act.* 6. modo ordinati sunt Diaconi; nam potestas jurisdictionis excepta Confessione Sacramentali, non necessario supponit potestatem Ordinis. Nec dici potest modo Sæculo 2do erectas fuisse Parochiales Ecclesias; nam *ad Rom.* 16. *v.* 1. Apostolus commendat Phœben, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris: Cenchris vero juxta Theodoretum non erat sedes Episcopalis, sed pagus Corinthiorum. Denique non licebat Presbyteris pastorale munus exercere sine mandato Episcopi, quia potestas Jurisdictionis tota pendebat ab Episcopo quoad exercitium, non vero quoad primariam institutionem.

Jurisdictio Parochorum est immediata a Christo.

Schol. 4. Abbates & Generales Ordinum Religiosorum habent jurisdictionem suam ex Privilegio gravibus de causis ab Ecclesia illis concesso. Nam officium Abbatis, Generalis aut Provincialis non est immediatæ institutionis Divinæ, sed Ecclesiasticæ: Ecclesia enim Ordi-

Jurisdictio Abbatum & Generalium.

nam Religiosorum Regulas approbando potestatem in Regulis Superioribus concessam confirmavit, & contulit. Scilicet, cum Abbas cum suis Religiosis juxta præscriptum S. Regulæ melius agere possit, & cum Ordines Religiosi per varias Provincias sint diffusi, vix unitas & membrorum cum capite conjunctio in iis servari posset, si ab Ordinariis locorum regerentur: ideoque magis expedire visum est, ut Episcopi in Superiores hujusmodi Congregationum omnem curam cum jurisdictione refunderent.

Membra Ecclesiæ quænam? §. 34. Quia Ecclesia est corpus mysticum vivum, cujus anima sunt dona Spiritus S. Fides, Spes, & Charitas: corpus vero externa Fidei Christianæ Professio, & eorumdem Sacramentorum Communio sub legitimis Ecclesiæ Pastoribus, præcipue vero sub uno supremo capite Romano Pontifice; restat ut membra hujus corporis adhuc consideremus. Et 1. quidem *non omnes, nec soli prædestinati sunt in Ecclesia Christi*. Non omnes, tum quia nulli infideles ad Ecclesiæ animam & corpus pertinent, inter quos tamen multi sunt prædestinati, qui ad fidem convertuntur, & in gratia perseverant: tum quia Prædestinatio non est ratio formalis, a qua Ecclesia suam accipit denominationem, cum Ecclesia sit visibilis (§. 21.), Prædestinatio vero invisibilis. Non soli Prædestinati sunt in Ecclesia; nam S. Scriptura Ecclesiam comparat *Agro*, *Matth.* 13. ubi inter fruges dantur & spinæ: *Areæ*, in qua paleæ frumentum operiunt, *Matth.* 3. *Sagenæ* missæ in mare, in qua boni & mali pisces concluduntur, *Matth.* 13. Deinde Paulus persequens Ecclesiam erat prædestinatus, nec tamen erat in Ecclesia, & Judas licet reprobus in ea fuit. Denique si Ecclesia ex solis prædestinatis constaret, esset omnino invisibilis, & rueret omnis subjectio Superioribus Ecclesiasticis debita, quæ falsa esse ex §. 21. & 30. patet.

2. *Non soli justi, sed etiam homines imperfecti & peccatores manifesti sunt in Ecclesia*. Ita docet *Primo* S. Scriptura n. præc. & *Matth.* 18. v. 15. ubi Christus jubet, peccatorem ad Ecclesiam deferri, & si eam non audierit, ab ea removeri: ergo supponit, peccatores esse in Ecclesia. Et 1. *ad Cor.* 5. in Ecclesia Corinthiorum erat incestuosus, quem S. Paulus gravi pœnitentiæ subjecit. *Secundo* accedit Traditio, quam Pelagianis & Donatistis opposuit S. Augustinus, in tribus libris contra epistolam Petiliani, & contra epistolam Parmeniani. *Tertio* suffragatur ratio; nam membrum corporis humani mortuum vere dicitur illius membrum; ergo etiam peccatores pertinent ad corpus Ecclesiæ, suntque ejus membra vi professionis externæ ejusdem fidei, & com-

munionis Sacramentorum, licet mortua & imperfecta, quia illius animam non participant ob defectum Charitatis.

3. *Hæretici publici & manifesti proprie non sunt in Ecclesia*. Ita patet *Primo* ex S. Scriptura *ad Tit.* 3. *v.* 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & deliquit, cum sit proprio judicio condemnatus*. Hoc est, interprete S. Hieronymo, seipsum ab Ecclesia ejecit. Et 1. *Joan.* 2. *v.* 9. dicitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. *Secundo* Hæretici manifesti non participant corpus Ecclesiæ Christi, quia non habent eamdem externam Fidei professionem, nec eorumdem Sacramentorum communionem, nec legitimis Pastoribus adhærent, quæ constituunt corpus Ecclesiæ: non animam, quia non habent veram Fidem, nec Charitatem: ergo non sunt proprie in Ecclesia.

4. *Schismatici non sunt in Ecclesia*. Nam *Primo* hæc est una, unum ovile, unum corpus; unitati autem Schisma opponitur, & ita docent PP. S. Cyprianus *ep.* 69. S. Chrysostomus *hom.* 11. *in ep. ad Eph.* S. Hieronymus *in c.* 3. *ep. ad Tit. Secundo* ratio est, quia Schismaticus non spectat ad animam Ecclesiæ, cum violet pacem & Charitatem: nec ad corpus, quod scindit, & a quo recedit, vel non obediendo legitimis Pastoribus, vel privatos conventus instituendo.

5. *Excommunicati vere non sunt in Ecclesia*. Nam *Primo Matth.* 18. *v.* 17. jubet Christus rebelles & contumaces Christianos, Ecclesiam non audientes, haberi sicut Ethnicos & Publicanos, qui non sunt in Ecclesia. Idem docet S. Cyprianus *ep.* 62. S. Augustinus *l. de unit. Eccl. c. ult.* &c. *Secundo* Excommunicati non spectant ad animam Ecclesiæ, quia in peccatis supponuntur contumaces, nec ad corpus, a cujus exteriori communione sunt præcisi.

6. Ex his colligitur, infideles publicos non baptizatos nullatenus spectare ad Ecclesiam. Catechumeni vero non sunt actu & perfecte vera Ecelesiæ membra, quia non sunt inserti Christo per Baptismum, & ex defectu hujus non habent jus ad Sacramenta Ecclesiæ, & alia fidelibus communia.

Schol. 1. Wicleffus, & alii nonnulli solos Prædestinatos esse vera membra Ecclesiæ volunt: quæ vero in confirmationem sui erroris loca ex S. Scriptura citant, plerumque de Ecclesia in cœlis triumphante intelliguntur. Similiter Novatiani & Donatistæ, qui Ecclesiam solis justis & sanctis constare docebant, & Pelagiani,

qui etiam homines imperfectos & levibus peccatis obnoxios excludebant, loca S. Scripturæ de Ecclesia triumphante, ad militantem male detorquent.

Schol. 2. Jurius Calvinista docet, Ecclesiam universalem sinu suo complecti omnes hæreticorum sectas, qui non errant in articulis fidei fundamentalibus; unde omnes salutem consequi possunt. Nam I. Ecclesia habet jus in hæreticos, quia ad illam titulo Baptismi pertinent; sed notandum est, quod illos e sinu suo ob hæresim ejiciat. II. Deinde hæretici habent vera Sacramenta: sed non omnes, qui illa habent, sunt in Ecclesia, quia hæc ad veram Ecclesiam pertinent, quæ discedentes ab ea hæretici secum asportarunt; unde nonnisi valde improprie ad Ecclesiam pertinere dicendi sunt, scilicet ratione Baptismi & aliorum Sacramentorum. Hæretici vero occulti imperfecte ad Ecclesiam spectant, scilicet quantum ad corpus ejus seu partem externam & visibilem; nam Ecclesiæ fidem saltem exterius profitentur, ejus Sacramenta participant, ejus Pastoribus subjiciuntur, quia tamen fidem & Charitatem non habent, sunt membra Ecclesiæ imperfecta interius præcisa, sed non omnino exterius.

Schol. 3. Schismatici sunt, qui separant se ab unitate Ecclesiæ Catholicæ & universalis, vel ejus auctoritatem in aliquo disciplinæ universalis capite contemnendo, vel ab ejus capite unitatis & communionis Ecclesiasticæ centro recedendo, vel cum aliis Pastoribus Ecclesiarum & fidelibus non communicando, vel novas societates cum novis Ministris instituendo. Unde Ecclesiæ orientales Romano Pontifici non adhærentes vere sunt Schismaticæ. Orto Sæculo 14to inter Urbanum VI. legitimum Papam, & Clementem VII. Antipapam Schismate, huic quidem tota Gallia & Hispania adhærebat, quin essent Schismaticæ; sed quia dubium erat, quisnam esset legitimus Papa, bona fide illi adhærebant, judicium universalis Ecclesiæ expectantes, unde erat error facti, non vero dogmatis.

Propositio hæretica quæ? §. 35. Cum in verbo Dei scripto & tradito per Ecclesiam nobis proposito contineantur dogmata Fidei, sequitur, quod *propositio hæretica illa sit, quæ directe & immediate adversatur doctrinæ a Deo revelatæ, & per Ecclesiam ad credendum propositæ*. Quare ad propositionem hæreticam requiritur 1. ut adversetur immediate veritati revelatæ, & non solummodo per consequentiam. 2. Veritas, cui adversatur, debet esse immediate revelata. 3. Veritas illa debet ab Ecclesia tamquam fide Divina credenda, esse proposita.

Judicium Ec- *Schol.* 1. Judicium Ecclesiæ dogmaticum est quod ve-

ritates credendas, & errores proscribendos proponit. Ejus characteres essentiales sunt, quod sit regula assensus interni, veritates in animo credendas proponens & errores proscribendos: quod sit irreformabile & immutabile: quod sit universale: quod habeat pro objecto non meras voces, sed ipsam substantiam: quod propugnari aut impugnari non possit, nisi ad S. Scripturam, Traditionem & cum illis connexa recurratur. Lex disciplinæ est decretum, quod fertur de rebus agendis, nec intrinsece bonis nec malis, quæ pro diversitate circumstantiarum mutari possunt. Disciplina alia est Apostolica, ab Apostolis: alia Ecclesiastica, a successoribus Apostolorum derivata: alia est universalis: alia particularis. Rursus Disciplina spectari potest vel stricte, quæ est de rebus agendis, & dicitur mera disciplina: vel late, quæ respicit agenda dogmati alicui connexa: vel latissime, quæ licet in se ad dogma pertineat, nondum tamen ab Ecclesia expresse definita est. Lex disciplinæ meræ per se exteriores tantum actus præcipit vel prohibet, & meras voces disputationi locum præbentes removet, silentium v. g. imperando, dogma vero non perstringit, mutari potest, nec semper omnes universaliter obligat, pœnam transgressoribus infligit, quin doctrinam eorum infamet, & ex S. Scriptura & Traditione non impugnatur. Unde prohibitio non utendi est lex meræ disciplinæ. *clesiæ dogmaticum.*

Schol. 2. Præter propositionem hæreticam, alia est *erronea*, quæ opponitur veritati certæ certitudine Theologica, id est, veritati, quæ licet non sit in se immediate revelata, ex una tamen præmissa de fide, & altera naturaliter certa eruitur. *Propositio erronea.* Alia est *Propositio hæresi proxima*, quam major & sanior Theologorum pars ex S. Scriptura & Traditione judicat esse hæreticam, licet non audeat absolute hæreticam pronuntiare, quia alii graves Theologi censent, hanc censuram illi inuri non debere. *Hæresi proxima.* *Propositio sapiens hæresim* est, quæ utriusquæ sensus Catholici & hæretici capax est, sed sensum hæreticum vel ratione sui, vel ratione circumstantiarum, loci, temporis & personarum prævalentem involvit, ita ut sufficiens præbeat fundamentum probabiliter judicandi de hæresi, quam ejus Auctor sustinet. *Hæresim sapiens.* *Propositio suspecta de hæresi* est, quæ sufficiens præbet fundamentum non quidem ad probabile judicium, quod Auctor sit hæreticus, sed solum ad suspicionem & timorem concipiendum. *De hæresi suspecta.* Eodem modo *Propositio sapiens errorem* vel *suspecta de errore* est, quæ præbet fundamentum majus vel minus judicandi vel suspicandi, quod Auctor in corde foveat errorem, seu dogma contrarium conclusioni Theologicæ. *Sapiens errorem.* *Proxima* vero *errori* est, quando negatur propositio, *Errori proxima.*

Male sonans. quæ plerisque videtur esse conclusio Theologica. *Propositio male sonans* dicitur, quæ sensum habet fidei congruum, verba autem incongrua, ita ut sæpe ab audientibus secundum sensum incongruum sumatur. *Propositio piarum aurium offensiva* est, quæ aliquod indecorum de Deo & Sanctis, licet non falsum, profert. *Propositio temeraria* est, quæ sine gravi fundamento in re gravi impugnat communem Theologorum sententiam. *Propositio scandalosa* est, quæ dat ansam ruinæ spirituali, inclinando ad peccata, & avertendo a virtutum exercitio. *Seditiosa* est, quæ ab obedientia Principibus civilibus debita subditos retrahit, & ad tumultus in republica conducit. *Schismatica* est, quæ viam pandit ad Schismata. *Blasphema* est, quæ est injuriosa Deo, Deiparæ, & Sanctis. Aliæ ejusmodi propositionum species ex sola terminorum notione innotescunt.

Piarum aurium offensiva. *Temeraria.* *Scandalosa.* *Seditiosa.* *Schismatica.* *Blasphema.*

Ad quem censura propositionum spectet? *Schol.* 3. Si quæstio sit, an hæc vel illa propositio sit hæretica, erronea, vel alia nota digna, potest quidem Theologus secundum probabiliorem hanc vel illam propositionem hæresis, erroris vel alterius notæ arguere, ita tamen, ut ex tali probabili assertione censura nullo modo extendatur ad opinionem, quæ probabiliter sustinet, propositionem illam non esse hæreticam. Unde bene observetur decretum Innocentii XI. qui in virtute S. obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus omnes caveant ab omni censura & nota, necnon a quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ fuerint, & super eisdem judicium proferatur.

Modi damnandi propositiones dogmaticas. *Schol.* 4. Dogmaticæ propositiones tribus modis damnari possunt. 1. Propositiones sigillatim referendo, & singulis debitam censuram apponendo. 2. Nullis specialibus propositionibus relatis integrum librum damnando. 3. Propositiones sigillatim referendo, at notas singulis non applicando, sed asserendo, notas in unum congestas propositionibus respective convenire, quod dicitur *in globo* damnare. Hic modus & facilior & utilior est, ad fidem damnationis, scilicet, ut fideles eas declinent. Particula vero *respective* denotat, nullam esse notam ex assignatis, quæ saltem alicui propositioni non conveniat, & nullam esse, quæ saltem aliquam notam non mereatur: quæ autem nota singulis propositionibus competat, obscurum relinquit: neque enim plus requiritur, ut sana doctrina servetur, & perversa evitetur.

Methodus do- §. 36. Methodus, qua veritates Fidei doceri debent, requirit 1. *Ut, quæ aliqua obscuritate aut ambiguitate*

laborant, vel in sinistrum sensum facile trahi possunt, rite explicentur. Hoc præcipue in terminis observandum est, quorum significatio recta definitione determinari debet. Et quia voces in S. Scriptura adhibitæ vel e vita communi desumptæ, vel Sacris litteris propriæ sunt, definitio vel ex communi usu haurienda, vel per demonstrationem ex S. Scriptura formanda est; quod idem observandum in veritatibus fidei ex verbo Dei tradito nobis cognitis, in quibus termini secundum usum Ecclesiæ explicari debent. Et quia porro verba S. Scripturæ, & nonnulli termini ab antiquis Patribus adhibiti ab adversariis sinistre intelliguntur, necesse est, ut termini technici adhibeantur, qui in sacris litteris & forte apud veteres non extant, determinatos tamen & minime ambiguos significatus habent, eamque ipsam veritatem luculentius exprimunt, quam verbis S. Scripturæ enuntiatam, vel in Traditione contentam adversarii corrumpunt. 2. *Singula asserta ex Sacris litteris, Traditione, & aliis locis Theologicis demonstranda sunt.* Et quia nonnulla illorum ex aliis concipi possunt, nec parum utile est, nexum & relationem veritatum Theologicarum ad se invicem cognoscere; 3. *Illæ ita disponi debent, ut quantum fieri potest, posteriores ex prioribus eruantur, & demonstrentur.*

condi veritates Fidei.

Schol. 1. Usus recentiorum vocum in Theologia non semper est improbandus. Subinde enim rebus clarius explicandis, subinde methodo docendi, subinde adversariis coercendis inservit. Et licet modus loquendi a Deo adhibitus sit perfectissimus, temporum tamen & populorum Deus, quibus revelatio immediate fiebat, rationem habuit, & Divina Mysteria aliis etiam loquendi formulis nostro captui, & Sæculi genio convenientibus enuntiari possunt. Cavendum tamen, ne peregrina vocabula contra usum Ecclesiæ introducantur.

Usus recentiorum vocum in Theologia.

Schol. 2. In rebus Theologicis admitti etiam debet usus humanæ rationis. Pessime ergo illum Anabaptistæ excludunt, cum Christus ipse & Apostoli ex ratione humana asserta sua subinde probaverint. Ratio tamen fidei subjici debet, non dominari; nec ad rationis normam fidei Mysteria sunt definienda: in quo cum Manichæis errant Sociniani; contra illud 2. *ad Cor.* 10. *v.* 4. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Si ea*, ait S. Irenæus *l.* 2. *adv. hær. c.* 28. *quæ in manibus sunt, & ante pedes, & in oculis & terrenis, & præcipue dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ii, qui sunt perfecti, quemadmodnm eis de spiritualibus & supercœlestibus, & his quæ super Deum vana persuasione confirmant, credemus?* Ratio ta-

Usus rationis humanæ in Theologia.

men & fides non pugnant inter se: nec fides est contra, sed supra rationem. Unde contra Pomponatium recte statuit Concilium Later. V. Sess. 8. *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus.*

Systema totius Theologiæ. §. 37. Methodus docendi Theologiam rectum dicendorum ordinem requirit, & maxime ut posteriora e prioribus, quantum fieri potest eruantur & demonstrentur (§. 36.). Unde hoc systema adornare placuit. Quidquid in Theologia revelata dicitur, eo tendit, ut viam salutis homini ostendat, id quod nobis ex S. Scriptura & Traditione per Ecclesiam nobis proposita innotescit. Præcognita igitur Theologiæ præmittenda sunt, in quibus Theologiæ revelatæ natura, revelationis criteria & fontes deteguntur, id quod in hac dissertatione præsenti præstatur. Totum porro opusculum, in sequentia capita hoc ordine distribuimus. Quæ in Theologia revelata docentur, necessario supponunt cognitionem Dei veram & genuinam, hinc *primum Caput* erit de Deo, Divinisque ejus Attributis. Deus hic unus in essentia, Trinus est in Personis, adeoque sequitur *Caput secundum* de Deo Trino. Absolutis illis quæ spectant Processiones Divinarum Personarum, dicendum est de processionibus creaturarum a Deo, quæ transeuntes & ad extra vocantur, & sunt Creatio & Conservatio; cumque creaturæ sint vel spirituales vel corporales, hinc prodit *Caput tertium* de Angelis; & *quartum* de Mundo visibili seu opere sex dierum, Creatione hominis & ejus lapsu. Quia vero homo lapsus suis se viribus non erigere, & nonnisi per satisfactionem Christi reparari poterat, *Caput quintum* agit de Incarnatione. Fructus Incarnationis sunt dona gratiarum ex illo Mysterio emanantium, unde *Caput sextum* est de Gratia Christi. Gratia nobis necessaria est ut salutem consequi possimus, & ad finem nostrum ultimum & Beatitudinem supernaturalem tendamus; exponit proinde *Caput septimum*, quænam sit hæc hominis Beatitudo & finis supernaturalis ultimus. Ad eum homo tendit per actus humanos. En *Caput octavum* de Actibus humanis. Regulæ humanorum actuum sunt Lex & Conscientia; igitur *Caput nonum* est de Conscientia & Legibus. Actus humani regulis morum difformes sunt peccata; unde *Caput decimum* agit de vitiis & peccatis. Habitus ex frequentatis actibus humanis regulis morum conformibus orti vocantur virtutes, quarum aliæ sunt Theologicæ, aliæ Cardinales. Quare *Caput undecimum* est de Virtutibus Theologicis; *duodecimum* vero de Virtutibus Cardinalibus. Si quando per peccata gratiam Dei vel

amittimus vel debilitamus in nobis, eam per Sacramenta reparamus; unde *Caput decimumtertium* tractat de Sacramentis in genere, & de Sacramentis in specie in sequentibus septem capitibus tractatur.

Schol. Ut certa dogmata in Theologia a controversiis Scholasticis melius dignoscantur, expedit, ut in distinctis articulis separatim dogmata fidei explicentur, relatis etiam hæresibus, quæ illa suis erroribus obfuscarunt: deinde Controversiæ Scholasticæ examinentur, & denique ex his præstructis fundamentis, Principia moralia pro doctrina morum & resolutione Casuum conscientiæ eruantur.

§. 58. *Theologia, si spectetur secundum substantiam suam, seu prout est scientia, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur, est toti Ecclesiæ simpliciter necessaria;* nam sine prædicatione, per quam mysteria & præcepta Evangelica non solum simpliciter proponuntur, sed etiam omni momentorum genere pro auditorum captu firmantur, fides vix gignitur: sine doctrina spirituali non nutritur, ut ad opera procedat, sed a terrenis affectibus facile suffocatur: sine rationibus Theologicis contra adversarios non defenditur, nec in cordibus fidelium roboratur. Unde Deus sapientissime in Ecclesia sua posuit *Doctores in ædificationem corporis Christi: ad Eph.* 1. Et Apostolus Episcopum monet, *ut amplectatur eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguat.* Igitur toti Ecclesiæ, licet non singulis ejus membris, Theologiæ scientia est necessaria. *Necessitas Theologiæ.*

2. Quod si vero Theologia consideretur prout est certa dogmatum collectio & systematica dispositio, non est quidem toti Ecclesiæ simpliciter necessaria; siquidem sine Theologia, scholastica methodo tradita, Ecclesia apud Græcos usque ad sæculum octavum & tempora S. Joannis Damasceni, & apud Latinos usque ad sæculum duodecimum & tempora Petri Lombardi floruit. *Est tamen utilissima* tum propter rudiores, qui aliorum instructione indigent, ut præcipua Religionis Christianæ capita recte addiscant: tum propter futuros Ecclesiæ ministros, quorum est dogmata a controversiis scholæ distinguere, veritatum, quas alios docent, rationem reddere, eas adversus hostes defendere, & de singularum momento judicare: tum propter adversarios, qui errorum systemata veritati opponunt, & modo hunc, modo alium articulum impugnant, nec a recte credentibus distingui possunt, nisi totius Religionis systema existat. Merito ergo Concilium Constantiense sess. 8. da-

mnavit illum articulum Wicleffi, ubi dicebat, Universitates studia & Collegia vana garrulitate esse introducta. Et Concilium Viennense, & Tridentinum sess. 5. statuit, ut in hac Theologia instituantur Magistri indicta præbenda & stipendio.

Schol. Præter Wicleffum Lutherus & Calvinus Theologiam Scholasticam inverecunde carpunt, & Scholas nostras Lutherus lupanaria, Calvinus conventus idololatriæ vocat, & Wittembergenses a. 1520. libros Theologicos Scholasticos flammis tradiderunt. Urgent potissimum quæstiones inutiles in nonnullis nostris Theologis repertas, sed præterquam quod hodie non ita illis amplius insudemus, sciant adversarii, Theologos nostros ad earum explicationem coactos fuisse ab ipsis nostris adversariis multas objectiones oggerentibus, unde saltem ad earum solutionem conducunt.

Theologiæ Scholasticæ origo. §. 39. In Libris Novi Testamenti nullum hujus generis systema deprehenditur. Evangelistæ, qui tantum vitam Christi resque ab eo peractas descripserunt, methodicam Theologiam nobis exhibere non voluerunt. Apostoli, qui post Ascensionem Christi Evangelium gentibus annuntiabant, Ecclesias non scriptis, sed orali prædicatione plantabant. Scribebant autem ad eas jam conversas, uti occasio ferebat. Nam aut controversias in illis ortas dirimebant, aut nonnulla fidei capita de industria explicabant, aut abusus tollebant, aut vacillantes confirmabant, aut pietatis studium & vitiorum fugam commendabant, aut veritatem doctrinæ suæ ab aliis impugnatæ demonstrabant; unde totum Theologiæ systema artificiose dispositum scriptis suis non inseruerunt. Non tamen videntur eo etiam tempore defuisse methodicæ licet breviores articulorum fidei vel descriptiones, vel orales explicationes, quæ rationem systematis habuerint, tum quia hoc exigebat munus erudiendi plebem Apostolis commissum; tum quia hanc methodum S. Paulus præscribit *ad Rom.* 12. *v.* 6. per illa verba ἀναλογίαν τῆς πίστεως *rationem fidei*, ubi *v.* 7. sequitur: *Qui docet in doctrina:* tum quia *ad Eph.* 4. dicuntur nonnulli dati Ecclesiæ *Doctores*, quorum omnis opera sane versabatur in docendo, & quia alia docendi methodo utebantur, quam Apostoli, Evangelistæ, Prophetæ & Pastores, qui nimirum ex scriptis Prophetarum & prædicationibus Apostolorum præcipua dogmata colligebant, in ordinem redigebant, & rudioribus perspicue & solide tradebant.

2. Hunc morem a primorum sæculorum Patribus servatum esse, tum ex rei necessitate, tum ex exemplorum auctoritate, tum ex antiquissimarum scholarum celebri-

tate colligere licet. Nulla vero vel pauca eaque imperfecta systemata scriptis ad nos transmissa esse, mirandum non est. Nam præcipui Doctores, quorum scripta habemus, non erant scholastici, sed Ecclesiastici, quorum docendi ratio a systematica plurimum differebat. Eorum opera imprimis versabatur in Commentariis & Homiliis componendis, responsis reddendis, & impugnandis adversariorum hæresibus. Dogmatum ergo systematica dispositio iis relicta fuisse videtur, qui scholis præerant, quorum non adeo magna copia erat. Aliqua tamen etiam in virorum Ecclesiasticorum scriptis Theologica systemata occurrunt. Referri huc potest S. Augustini Enchiridion, seu Liber de Fide, Spe & Charitate, quem velut Epitomen divinæ Doctrinæ rogatu Laurentii scripsit sequendo ordinem Articulorum in Symbolo Apostolico observatum, cui partem Theologiæ practicam adjecit, cujus momenta ad Spem & Charitatem revocabat. Ante S. Augustinum simili labore in Oriente functus est S. Cyrillus Hierosolimitanus. Extant ejus sermones Catechetici, quibus baptizatos de summis fidei articulis monere voluit. Secutus est Symbolum Nicænum, cujus singula dogmata singulari oratione discussit, supposito fundamenti loco aliquo Scripturæ dicto. Cyrillo antiquior est Lactantius, cujus habemus Institutiones Divinas, in quibus de spe, vita, salute, immortalitate & Deo loquitur.

5. Licet vero priscis illis temporibus non prorsus defuerint systemata Theologica, antiquissimum tamen, quod existit, creditur esse opus S. Joannis Damasceni de Orthodoxa fide in quatuor partes divisum, in quo non tantum plures fidei articuli plenius tractantur, sed etiam in meliorem ordinem digesti extant. Prima pars de Dei existentia, Attributis, Personis & operibus ab eo creatis agit. Secunda de Providentia, Prædestinatione & lapsu hominum. Tertia de Christo. Quarta de Fide, Baptismo aliisque Religionis Christianæ capitibus. Vixit autem S. Damascenus sæculo octavo. Sæculo XII. apud Latinos etiam nonnulli dogmata Theologica e S. Scriptura, Scriptis Patrum, & Conciliorum Decretis colligere, certo ordine disponere, & singulari methodo elaborare cœperunt. Unde nata est nova Theologiam docendi ratio, quæ quia in scholis recipiebatur, nomen Theologiæ scholasticæ obtinuit. Princeps, licet non primus, qui hoc opus aggressus est, erat Petrus Lombardus, cujus Libri IV. sententiarum extant. In primo libro tractatur de Deo, Trinitate & Attributis Divinis. In secundo de Angelis, opificio sex dierum, Homine, lapsu, libero arbitrio, peccato originali & actuali. In

tertio de Christo & virtutibus præcipuis Fide, Spe & Charitate. In quarto de Sacramentis. Opus hoc celeberrimum tantam ubique auctoritatem consecutum est, ut a præcipuis Doctoribus, Alexandro ab Hales, Alberto M., S. Bonaventura commentariis illustratum fuerit. Fuerunt tamen qui Lombardum imitari, quam interpretari maluerint, & ejus exemplo excitati systemata Theologica alio modo elaboraverint. Hos inter præcipuus est S. Thomas Aquinas, qui summam Theologiæ scripsit, Angelicum opus in tres partes divisum. Prima continet Doctrinam de Deo & Attributis Divinis, Trinitate, Creatione Angelorum, rerum materialium & hominis, Imagine Divina & gubernatione rerum. Secunda pars in duas partes divisa fere tota est practica, & de actionibus moralibus, virtutibus & vitiis tractat; nonnulla tamen dogmatica, de peccato originali, actuali, & gratia continet. Tertia pars totam Doctrinam de Christo & Sacramentis exhibet. Hoc systema plerumque sequuntur nostri Theologi, qui rejectis nonnullis inutilibus quæstionibus, quæ in Theologiam irrepserant, dogmata nostræ fidei ex S. Scripturæ, Traditionis, Patrum & Conciliorum momentis solidissime demonstrant.

Schol. Scholas primis Ecclesiæ Sæculis floruisse certum est. In his non solum pueri & rudiores, sed futuri Ecclesiæ ministri erudiebantur. Celeberrima fuit Alexandrina: in hac docuerunt Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius & alii. Hos systematica docendi methodo usos fuisse, res ipsa, ut credamus, postulat, & licet in eorum scriptis hæc systemata non reperiantur, forte tamen injuria temporum perierunt, vel viva solum voce auditoribus communicata sunt.

CAPUT I.

De Deo, Divinisque ejus Attributis.

Deus est Ens a se.

§. 40. Deus est Ens a se, quo melius esse & excogitari non potest.

Varia nomina Dei.

Schol. Deus variis nominibus in S. Scriptura exprimitur. *Exod.* 15. *v.* 3. Deus nomen sibi proprium revelavit יהוה & soli sibi vindicavit *Is.* 37. *v.* 20. Hoc nomen dicitur a Judæis quatuor litterarum, græce τετραγράμματος, quem litterarum numerum plures nationes adhucdum retinent. Græci dicunt, Θεός, Latini *Deus*, Hispani *Dios*, Galli *Dieu*, Turcæ *Alla*, nonnulli Itali *Iddio*. Nomen hoc fluit ex radice Chaldaica הוה, cui respondet radix Hebraica היה *fuit*. Sed mire ex hac radice vox compo-

sita est י sumptum est ex præterito *Kal*, י ex participio præsentis *Kal*, ex futuro *Piel*, ut etiam י nota futuri est. Unde etymologice יהוה significat eum, qui extitit, existit nunc, & existet in futurum; & *Exod.* 3. *v.* 14. Deus se explicat אהיה אשר אהיה *Ero qui ero*, vel *sum qui sum*. Certa hujus vocis pronuntiatio nondum stabilita est. Clemens Alex. *l.* 5. *strom.* pronuntiat *Jabo*. Theodoretus *q.* 15. *in Exod. Jave*. Genebrardus *Jebue*. communiter sonat, *Jehova*. Judæi hoc Nomen Dei solum in Templo, non vero extra illud pronuntiant, quia forte gentiles Jovi suo illud imposuerunt, quibus ne ansam abusus præbeant, ab eo abstinere malunt, & extra Templum loco ejus substituunt vocem *Adonai*; & quia puncta Nominis יהוה ex punctis vocis אדני excepta prima vocali, quæ propter litteram gutturalem א non patitur Scheva, desumpta sunt, nomen יהוה utpote propriis punctis carens, dicitur ineffabile, seu non posse pronuntiari. Hoc nomen Deo essentiale est, cum exprimat existentiam Dei a se, & nulli alteri enti sine restrictione tribui potest. *Alterum* nomen est יה *Is.* 26. *v.* 4. quam vocem alii per Syncopen ה & י ex יהוה derivant; sed non apparet, unde *Mappik* oriatur. Alii per Apocopen ה & ו. Alii pro voce primitiva habent. Hoc nomen iterum soli Deo in S. Scriptura tribuitur, unde *Alleluja* significat: *laudate Deum*. *Tertium* nomen est אל *Ps.* 22. *v.* 2. a radice איל *fortis fuit*; improprie etiam creaturis tribuitur. *Quartum* nomen est אלה vel אלהים, quam vocem Gussetius censet esse primitivam: alii eam ab אל *Deus fortis*, & הם *illi* derivant; sed sic in singulari per אלה efferri non posset. Alii a radice אלה *juravit* derivant, ut denotet Numen per cujus nomen jurandum est. Alii denique a voce Arabica אלה derivant, quod significat *adorare*, ut ita denotet Numen adorandum. Subinde etiam improprie creaturis tribuitur *Ps.* 82. *v.* 1. *Quintum* nomen est שדי quod a relativo ש & די oritur, & significat *omnipotentem*. *Sextum* nomen est אדני a radice אדן *robustus fuit*, & Dominum potentem significat, vero est heemanticum; soli Deo hoc nomen tribuitur. *Septimum* nomen est יהוה צבאות אלהים *Dominus Deus Exercituum*. In Novo Testamento Deus dicitur Θεός, κύριος & δεσπότης.

§. 41. Deum existere non solum ex S. Scriptura, sed etiam ex ratione manifeste cognoscimus. *Primo* S. Scriptura omnibus paginis de Dei existentia testatur, adeo ut prima illius verba eamdem insinuent *Gen.* 1. *v.* 1. eamque negantes pro stultis declarantur *Ps.* 13. *v.* 1. *Secundo* Ratio ex metaphysica petita eam demonstrat. Nam mundus est ens contingens, quia oppositum ejus *Deus existit.*

non est impossibile, adeoque non solum aliter, sed etiam omnino non existere potest; ergo rationem suæ existentiæ non in seipso, sed in alio a se distincto habere debet: hoc vero Ens a mundo distinctum non rursus in alio, sed in seipso rationem suæ existentiæ habere debet, ne sequatur processus in infinitum; igitur Ens a se & consequenter Deus existere debet. Nec juvat dicere, saltem totam collectionem esse necessariam, licet singulæ ejus partes sint contingentes; quia contingentia non competit singulis partibus, prout præcise partes sunt, & accideutaliter; sed est prædicatum essentiale, quod tum partibus, tum toti convenire debet. Hoc argumentum docte prosequitur S. Augustinus *l.* 8. *de Civ. cap.* 6. Deinde Deus est Ens perfectissimum, quo melius esse & cogitari non potest; ita natura nos de Deo instruxit, quæ cum Chymæris non luctatur: sed inter omnes perfectiones numeratur primo existentia; ergo illam saltem possibilem Deus habere debet: cumque simul potentissimus sit, vi sua existere potest, & re ipsa semper extitit, cum nulla perfectio illi deesse possit. *Tertio* Ratio Physica subscribit. Omne, quod existit, vel factum est, vel non est factum: sed non potest dici, omne illud esse factum, quod existit; alias enim esset factum a seipso, & consequenter prius & posterius seipso, cum causa sit prior suo effectu, & effectus posterior sua causa: ergo aliquid existit, quod non est factum, & a quo cætera facta sunt. Ens autem non factum, sed a seipso existens, est Deus; igitur existit Deus. *Quarto* Existentiam Dei prædicat mirabilis hæc mundi dispositio, corporis humani fabrica, quæ certe aliunde quam a se habent, quod ita ordinate sint constructa: omnium denique hominum consensus, paucis exceptis, qui opere potius, quam mente Deum negant.

Atheismus quid? *Schol.* 1. *Atheismus* est opinio, qua existentia Dei negatur. *Atheismus* alius est *Personæ* seu negatio existentiæ Dei, quæ alicujus menti vere inest: alius *Doctrinæ*, quæ ex hypothesibus alicujus Auctoris per legitimam consequentiam erui potest, licet Auctor Atheismum non approbet. *Athei* alii sunt *Theoretici*, qui opinionibus & verbis immediate; alii *Practici*, qui factis existentiam Dei negant. Theoretici sunt vel *Systematici*, qui negata Dei existentia ex alio quodam principio rerum originis, permutationis & nexuum rationem reddi posse sibi persuadent, & ex hypothesibus hunc in finem inventis Systema construunt: vel *Extrasystematici*, quibus sufficit, Deum negasse, licet ignorent, quomodo negato Deo, rerum origo explicari possit, quique putant existentiam Dei non sufficienter probari, darique causas sa-

tis graves, eam negandi. Ad extrasystematicos refertur Protagoras seu Diagoras, qui primus existentiam Dei negasse dicitur, licet non constet, quid de rerum origine statuerit.

Schol. 2. Athei systematici ad explicandum rerum ortum negata Creatoris existentia vel ad internam & inevitabilem rerum necessitatem confugiunt, & vocantur *Fatalistæ*: vel ad casum fortuitum, & vocantur *Casuistæ*. Inter Fatalistas famosus est *Benedictus de Spinoza*, cujus systema hoc est. 1. Deus est unica substantia, quæ existit & existere potest. 2. Præditus est duobus attributis, scilicet infinita cogitatione, & infinita extensione. 3. Utrumque hoc attributum semper ex interna quadam & absoluta necessitate modificatur. 4. Hac necessaria modificatione gignuntur omnia, quæ existunt; mentes quidem infinitæ cogitationis; corpora vero infinitæ extensionis modificatione. Unde 5. Spiritus & corpora sunt modi Divinitatis, & ambo in ipsa Dei substantia & essentia sunt & formantur. Quare cum Spinoza existentiam substantiæ a mundo distinctæ neget, existentiam Dei negat, Pantheismum inducit, quia totum hoc universum Deum esse statuit: negat miracula, quia omnia sufficientem sui rationem in rerum nexu habent, adeoque ordinem naturæ non transcendunt: negat revelationes Divinas, quia cogitationes nostræ sunt ipsius Dei seu mundi cogitationes & modificationes: negat discrimen inter virtutes & vitia, præmia & pœnas tollit, quia omnes actiones nostræ sunt modificationes necessariæ ipsius Dei: denique negat creationem & annihilationem, quia omnia non ex nihilo, sed per necessariam emanationem modorum ex essentia Dei oriuntur. Hoc systema Spinozæ sibi ipsi contradicit: nam 1. unica illa substantia neque esset ens simplex, quia habet simul infinitam extensionem, quæ cum simplicitate pugnat: nec esset ens compositum; alias enim non cogitaret, cum compositum seu corpus cogitare non possit, uti probant Philosophi. 2. Ex sola cogitationis modificatione mentes & spiritus gigni non possunt; alias enim, quando mens humana cogitat, cum habeat rerum ideas, quæ sunt modificationes cogitationis Divinæ juxta Spinozam, quælibet cogitatio novam mentem, spiritum seu animam produceret, & sic homo tot haberet animas, quot cogitationes, quo nihil est absurdius. Item corpora ex sola modificatione infinitæ extensionis prodire non possunt; ad hoc enim requiritur divisio rei majoris in partes minores, & consequenter res extensa partibus constare, & divisibilis esse debet, quod tamen Spinoza de Deo negat *parte* 1. *Eth. prop.* 15. 3. Juxta Spinozam Deus idem si-

Fatalistarum systema.

Spinozæ systema.

Pantheismus.

mul affirmaret & negaret, vellet & non vellet: alii enim homines id affirmant, quod alii negant, id volunt, quod alii nolunt, cumque juxta illum, quidquid humana mens cogitat, & voluntas vult, id Deus ipse cogitet & velit, Deus idem simul affirmaret & negaret, vellet & nollet.

Solvuntur object. Spinozæ. *Schol.* 5. Argumenta Spinozæ sunt, I. Non datur alia substantia præter Deum, nam hæc explicari deberet per aliquod attributum Dei, quod fieri nequit; cum enim Deus sit ens infinitum, de eo nullum attributum, quod essentiam substantiæ exprimit, negari potest, & consequenter duæ substantiæ idem habentes attributum existere non possunt. *Resp.* Omnis substantia per aliquod Dei attributum, id est perfectionem ejus ab illa participatam explicari potest, ita ut illa in Deo sit infinita, in aliis vero substantiis finita & limitata, adeoque talis substantia non sit ipse Deus. Ex quo proinde clare sequitur, non dari duas substantias ejusdem attributi, sed tantum diversi, scilicet in Deo infiniti, in creaturis finiti & participati. II. Cum Deus sit omnino infinitus, ita ut in omni genere nulla prorsus re terminari possit, adeoque nihil præter eum esse potest, ne in aliqua linea terminetur. *Resp.* Per substantiam finitam Deus non terminatur, cum illa in alia specie determinata collocata sit, quod nos finitum dicimus, Deus vero sub limitata specie non collocatur. III. Substantia est id, quod in se est, & per se concipitur, hoc est cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat: proinde una substantia ab alia produci non potest; alias enim conceptus unius egeret conceptu alterius rei, a quo formari debeat, quia illius cognitio a cognitione suæ causæ dependeret. Ergo unica solum substantia datur, quæ solum diversa habet attributa, affectiones, & modificationes, penes quas, non vero penes substantiam, res omnes differunt. *Resp.* Definitio Spinozæ substantiæ temere omnino ab eo conficta est, ab usu sanæ Philosophiæ recedit, & quid medium inter substantiam & accidens exprimit: nobis substantia est ens per se subsistens, non dependens a subjecto, cui inhæreat. Hæc si sit ex se infinita, Deus est; si finita, a Deo creata est; si immaterialis intellectu & voluntate prædita, spiritus; si materialis, corpus est; adeoque habemus diversas substantias, non solum penes attributa a perfectionibus Divinis participata, sed etiam penes finitum & infinitum, materiale & immateriale in se diversas, quibus quidem omnibus una ratio generica ab omnibus speciebus per mentem abstracta convenit; ac proinde dici potest, dari in mente nostra, seu concipi a nobis unicam substantiam, seu genus supremum substantiæ, quæ tamen a

parte rei ad diversas & distinctas in se specie est contracta. Vid. Brukeri *hist. crit. Phil. Per.* 3. *part.* 2.

Schol. 4. Edelmannus Spinozæ Atheismum novis argumentis stabilire voluit, docendo Deum & materiam ab æterno extitisse, quæ materia cum sit umbra Divinitatis, hinc mutationes, quæ fiunt in mundo, non sunt nisi umbra modificationum, & mutationum Dei, unde nulla creatura, sed solus Deus re vera existit & agit. Ex quo proinde omnia consectaria, quæ ex systemate Spinozæ (Schol. 2.) fluunt. Verum si mundus est umbra Divinitatis, qualis umbra corporum esse solet, Deus corpus est, & lux adesse debet, cui Deus sit expositus. Deus continuo mutaretur, & rebus, quas sentimus & cernimus nihil realitatis, sicuti umbræ, inesse poterit, vel si quæ sit in iis realitas, & eatenus eas Deum ipsum esse credas, ubi tunc illius umbra erit? Si dicas, non ita crasse Edelmannum de umbra intelligendum esse. Verum hæc una ejus est de hac umbra explicatio. Rursus si homo nihil cogitat, nihil agit, sed Deum tantum in se cogitare & agere patitur, quanta est impietas, eos stultitiæ arguere, qui aliter quam Edelmannus de Deo sentiunt; non enim ipsi, sed Deus ita in illis cogitat, & tamen his scommatibus turgent omnes libri ejus. Neque objicere potest, non se, sed Deum ita ex suo ore loqui; hoc enim modo Deus ipse erit, qui per os Edelmanni sua opera in aliis hominibus calumniatur. Denique contradictiones, quas Schol. 2. perspeximus, in systemate Edelmanni etiam reperiuntur. Dicit I. Creaturæ continuo mutantur: ergo fiunt, non vero existunt. *Resp.* Mutantur tantum accidentaliter, adeoque existere debent. II. Quod factum est, non fit: sed creaturæ factæ sunt: ergo non fiunt, consequenter non sunt creaturæ. *Resp.* Quod factum est non fit, dum factum est, secus vero, dum fieri incepit. III. Deus ab æterno est ens actuosissimum: nulla autem actio datur, nisi illi passio in aliquo ente respondeat: ergo etiam materia, quæ patitur, æterna fuit. *Resp.* Actioni corporum in corpora, non vero operationibus spirituum passio respondere debet.

Edelmanni systema.

Schol. 5. Alterum Atheorum systematicorum genus eos complectitur, qui mundum sine Deo factum, & casu ortum esse finxerunt, adeoque *Casuistæ* vocantur. Ita Epicurus sensisse creditur, cujus systema hoc est. 1. Extiterunt ab æterno corpora tenuissima seu atomi diversæ figuræ & magnitudinis. 2. Hæc suo pondere & gravitate moventur in vacuo infinito, ad quem motum fortuito concitantur, & ipsa motus eorum celeritas & directio solo casu mutatur. 3. Si ergo per hunc motum plures atomi coalescant, hac concretione non tantum

Athei Casuistæ.

corpora diversæ quantitatis & qualitatis; sed etiam mentes & spiritus constituunt. Verum unde probari poterit, tales atomos ab æterno extitisse, quin aliud Ens a se supponant, cui suam existentiam debeant? cur ex simili fortuito atomorum concursu non exurgunt palatia? ex fortuito characterum concursu non prodit Poema? Ad Deum ergo, a quo omnia sunt, tandem recurrendum est (§. 41.). Vide Clarke *tom.* 1. *de l'existence de Dieu c.* 9.

An idea Dei nobis innata? *Schol.* 6. Scholæ hic nonnulla pro sua libertate & eruditione disputant, quæ breviter indicasse sufficiat. Et *Primo* quidem valde probabiliter defenditur, inditam esse singulis hominibus ab universorum Auctore ingenitam & anticipatam Dei ideam. Ita colligit Tournely ex *Ps.* 4. *v.* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et *Joan.* 1. *v.* 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Suffragari videntur Patres, quos longo ordine recenset Tournely in *præl. Theol.* Ex hoc fluit *Secundo*, hanc propositionem, *Deus est*, notam esse per se secundum se, & quoad nos. *An dentur Athei?* Unde *Tertio* nulli dantur Athei speculative & interne tales, qui nimirum Deum ex animo negent directe & expresse, scilicet deposito omni Divinitatis & Religionis sensu; sed tantum dantur Athei practice tales, qui nimirum ita perdite vivunt, ac si Deus non esset, quem etiam vellent non esse, ne scelera sua ulcisceretur: vel solum dantur Athei indirecte tales, qui scilicet Deo illa tribuunt vel negant, quæ illi tribui vel negari non possunt, vel idolis aut puris creaturis ea adscribunt, quæ soli Deo sunt propria. *Existentia Dei a priori demonstrari nequit.* Ulterius *Quarto* sequitur, existentiam Dei a priori demonstrari non posse, quia Deus utpote necessitate suæ naturæ existens nullam existentiæ suæ causam habet, & demonstratio petita ex idea Dei nobis congenita non est a priori, cum hæc idea solum sit effectus a Deo tamquam causa efficiente profluens, adeoque non est, nisi a posteriori, a quo existentiam Dei probati patet ex *Sap.* 13. *v.* 15. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et *ad Rom.* 1. *v.* 20. *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Existentia igitur Dei non solum ad fidem, sed etiam ad scientiam sub diversis motivis spectat.

Ignorantia invincibilis Dei non datur. *Schol.* 7. Ex his sequitur, non dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem de existentia Dei etiam apud barbaros & agrestes; id quod patet *Primo* ex *Sap.* 13. *v.* 9. *Si enim tantum potuerint scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Et *ad Rom.* 1. *v.* 20. illi, qui ignorant

Deum, dicuntur inexcusabiles. *Secundo* idem docent PP. *Dei opinionem insitam omnibus* docet S. Just. *apol.* 1. Clemens Alex. *in prorept. instillatum divinitus influxum* Dei notitiam vocat. Tertull. *in apologet. cap.* 17. *Tertio* si daretur invincibilis ignorantia Dei, homo etiam scelestissimus tantum peccati philosophici, quod est actus disconveniens rectæ rationi, non vero peccati theologici, quod simul est transgressio legis Divinæ, reus foret; id quod Alexander VIII. damnavit. Sane ignorantia Dei a quocumque facile tolli potest; unusquisque enim præditus est ratione & intelligentia, qua per rerum corporearum contemplationem primæ causæ notitiam sibi comparare potest. Nec obstat, I. Puer in sylvis enutritus vel apud Atheos educatus nihil audit de Deo, nec de ejus existentia instruitur. Ergo invincibiliter eum ignorare potest. *Resp.* Talis puer, si lumen rationis illi illuxerit, & vocem naturæ audire, vel mundum hunc aspectabilem contemplari voluerit, in cognitionem Dei deveniet. II. Multi adeo rudes sunt, ut ratiocinio ad cognoscendum Deum vix uti possint, præsertim cum argumenta ejus existentiam probantia, juxta nonnullos non sint evidentia & demonstrativa, & aliqui ob sua scelera in tantam cæcitatem labantur, ut ad cognitionem Dei assurgere nequeant. *Resp.* Nullus est tam stupidus, ut ad conscientiam intimam attendere non possit, nec tam scelestus, ut omni lumine naturali destituatur, per quod sine tali evidenti demonstratione Philosophica existentiam Dei cognoscere potest.

Schol. 8. Ex dictis (§. 40.) inferimus, Aseitatem omnimodam esse gradum Essentiæ Divinæ constitutivum. Nam *Exod.* 3. *v.* 14. Deus interroganti Moysi respondit: *Sum, qui sum.* Et *Apoc.* 1. *v.* 4. dicitur: *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Hoc ipsum exprimit nomen proprium Dei יהוה (§. 40. Sch. 1.): & communius tenent Patres. Ratio autem est, quia Aseitas est quid primum in Deo; nam nec causam, nec radicem, nec principium habet: Deus enim non aliunde est a se, quam quia hæc est ejus Essentia. Deinde Aseitas est fons omnium perfectionum Dei, quas ex illa in decursu demonstrabimus. Denique distinguit Deum ab omni, quod non est Essentia Divina, quippe Aseitas omnimoda excludit omnem causam, principium & radicem, adeoque distinguit Essentiam Divinam a creaturis, quæ sunt ab alio tamquam causa sui: distinguit eam suo modo ab Attributis Divinis, quæ sunt ab Essentia Divina ceu radice: distinguit a Personalitate Filii & Spiritus S. quæ sunt ab ea ceu Principio; Personalitas vero Patris est a Natura Divina ceu radice.

Aseitas est gradus essentiæ Dei.

Deus existit per essentiam suam. §. 42. Ens a se rationem existentiæ suæ habet in se ipso (§. 41.): habet ergo illam vel in existentia sua, vel in Essentia: sed non habet illam in sua existentia; alias enim existeret, quia existeret, quod dici nequit. Ergo habet rationem existentiæ suæ in ipsa Essentia sua, ita ut non aliter sit possibile, nisi ut existat; ergo *Deus existit per essentiam suam.*

Deus necessario existit. §. 43. Quodcumque Ens non aliter est possibile, nisi ut existat, illud absolute necessario existit, uti patet ex definitione absolute necessarii: sed Ens a se absolute necessario existit (§. 42.), & Deus est Ens a se (§. 40. & §. 41. Schol. 3.): ergo *Deus absolute necessario existit.* Et hinc

Deus est immutabilis. §. 44. *Deus est omnino immutabilis.* Ita *Primo* testatur S. Scriptura, *Mal.* 3. *v.* 6. *Ego Dominus, & non mutor. Jac.* 1. *v.* 17. *Apud quem non est transmutatio.* Deinde Deus non mutatur quoad existentiam suam, & vitam, *Exod.* 3. *v.* 14. *Ego sum, qui sum.* 1. *ad Timoth.* 6. *v.* 16. *Qui solus habet immortalitatem.* Nec quoad cognitionem, *ad Heb.* 4. *v.* 13. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Nec quoad decreta voluntatis, *Is.* 46. *v.* 13. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Secundo* probat hoc idem ratio. Ens a se est immutabile, quia absolute necessarium est (§. 43.); nam quod absolute necessarium est, nullo modo aliter se habere potest: ergo Deus est immutabilis.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Immutabilitas est negatio omnis mutationis actualis & possibilis. Stoici, teste Origene *l.* 3. *cont. Celsum*, Deum mutationi obnoxium esse statuerunt. Sociniani vero & Vorstius non quidem mutationem in Deo ratione substantiæ, sed ratione decretorum admittunt. Falluntur ex eo, quod observent, Deum de non creante mundum, fieri in tempore creatorem: Deum modo diligere justum, modo aversari peccantem: de non homine factum esse hominem, esse denique liberum, adeoque posse velle & nolle creare mundum, & sic mutari. Verum notandum est, mutationes, quæ merum involunt respectum ad creaturas, in Deo negari non posse: sed hæc ejus immutabilitati plane non officiunt, sic enim nulla fit in Deo mutatio, sed tantum in creaturis, adeoque Deus ex non operante sit operans transeunter extra se, non vero immanenter intra se: ex operatione vero transeunte nulla sit in Deo mutatio, sed tantum in creaturis, quæ a non esse ad esse transeunt. Deus eumdem hominem modo diligit, modo odio habet ratione diversorum effectuum, quos ad extra producit, non vero ratione affectuum: immota enim Dei substantia prout terminatur ad hominem justum, eum diligere;

prout ad peccatorem, eum odisse dicitur pro vario statu, in quo homo est: sicut sol idem manens pro varia dispositione subjecti, ceram liquefacit, & lutum indurat. Humanitas assumpta a Verbo mutata est in melius; sed Divinitas nil novi acquisivit, nil sui perdidit. Denique etsi Deus liber sit, non tamen potest mutari; quia actus ejus liber internus solum potest esse vel non esse ratione terminationis intrinsecæ ad extrinsecum, non vero ratione entitatis, nec ratione solius puræ terminationis extrinsecæ, quæ actum intrinsece liberum constituere nequit. Cæterum concordia libertatis Dei cum ejus immutabilitate semper sacratissimum ænigma intellectui creato manebit. Quia vero Deus est immutabilis, ideo

§. 45. *Deus æternus est.* Ita *Primo* docet S. Scriptura, *Ps.* 101. *v.* 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et *Ps.* 89. *A sæculo & usque in sæculum tu es Deus.* *Secundo* ratio est: quidquid nec habet principium, nec finem, est æternum, ex definitione æterni: sed Ens a se nec principium, nec finem durationis habet, quia propter absolutam necessitatem suam non potest non esse (§. 43.). Ergo Deus est æternus. Deinde Ens immutabile debet esse æternum; nam si non caret principio, mutatur de non esse ad esse; si non caret fine, mutatur de esse ad non esse; sed Deus est omnino immutabilis (§. 44.). Ergo est æternus. *Deus æternus est.*

Schol. Sociniani æternitatem Dei variis temporum differentiis subjiciunt. Sed cum Deus sit æternus (§. 45.) & simul immutabilis (§. 44.), patet, æternitatem ejus sine omni successione esse: & nullius ponderis sunt, quæ contra æternitatem Dei sine successione opponuntur. Nam I. quamvis Deo tempus præsens, præteritum & futurum *Apoc.* 1. *v.* 4. tribuatur, hoc tamen solummodo dicitur, si quando eum ad tempus nostrum referamus; unde nulla in Deum successio interna redundat. II. Æternitas Dei suscipit magis & minus non intrinsece, sed extrinsece & connotative, quatenus plura tempora æternitati responderunt, quod eam tam parum mutat, quam parum mutatur arbor ad ripam fluminis plantata, quod a pluribus aquis successive alluatur. Ex æternitate Dei sequitur *Solvuntur objectiones Socinianorum.*

§. 46. *Deus est Primus & Ultimus.* Hoc asserit *Primo* S. Scriptura *Apoc.* 1. *v.* 17. *Ego sum Primus & Novissimus.* Et *Apoc.* 1. *v.* 8. *Ego sum α & ω, Principium & finis.* *Secundo* accedit ratio; nam Primum dicitur, ante quod nullum est aliud; & Ultimum, post quod nullum est aliud. Cum igitur æternitas tamquam consequens aseitatis (§. 45.) sicuti ipsa aseitas sit Deo essentialis, Deus non potest non esse æternus, ac proinde sicuti fuit, cum *Deus est primus & ultimus.*

nihil præter ipsum existeret, ita etiam non posset non superesse, licet omnia annihilarentur; ergo Deus est Primus & Ultimus: adeoque cum oriri & interire non possit,

Deus est ens simplex & Spiritus. §. 47. *Deus est Ens simplex, & Spiritus.* Patet hoc *Primo* ex S. Scriptura, quæ simplicitatem Deo tribuit, dum Spiritum esse docet, *Joan.* 4. *v.* 24. *Spiritus est Deus*. Et 2. *ad Cor.* 3. *v.* 17. *Dominus autem Spiritus est*. Unde merito definit Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter: Una est Dei essentia, substantia seu natura simplex omnino. Secundo* ex multis Patribus sufficiat modo S. Irenæus *l.* 6. *c.* 16. dicens: *Deus est simplex & non compositus, cum sit totus Spiritus, & tota ratio. Tertio* probat ratio: entia composita ex definitione sua sunt ea, quæ habent partes extra se invicem certo modo connexas, quia eorum partes componi & solvi, adeoque oriri & interire possunt: sed Deus, utpote Ens a se propter absolutam necessitatem, & æternitatem suam (§. 43. 45.) nullo modo oriri vel interire potest, quia ortus & interitus non existentiam quamdam involvunt: ergo Deus non est Ens compositum, sed simplex, & quidem nobilissimum, adeoque Spiritus, qui juxta principia Metaphysica nequit esse ens compositum, quod cogitare nequit, sicuti tamen spiritus cogitat.

Schol. Spiritus est ens immateriale intellectu & libera voluntate præditum. Materiam vero cogitare non posse, sed requiri ad hoc spiritum, passim probant recentiores Philosophi, quorum demonstrationem forte alibi proferemus: pro nunc sufficit nobis testimonium S. Scripturæ affirmantis, Deum esse Spiritum. Porro quia Deus est ens simplex, sequitur 1. Deum non esse extensum & corporeum. 2. Esse invisibilem, & non dari veram ejus pictam vel sculptam imaginem. 3. Esse incorruptibilem. 4. Esse omnis compositionis expertem. 5. Quidquid in Deo est, esse ipsum Deum. Hæc modo per ordinem demonstranda sunt.

Deus non est corporeus. §. 48. *Deus non est corporeus*. Nam S. Scriptura Deum esse Spiritum affirmat, spiritus vero a corpore in eadem S. Scriptura, *Matth.* 9. *v.* 24. distinguitur. Idem docent SS. PP. Origenes *l.* 1. *de Princ. c.* 1. S. Gregorius Naz. *or.* 34. S. Hilarius *in Ps.* 129. S. Augustinus *l.* 8. *de Civ. Dei c.* 5. S. Damascenus *l.* 1. *de fide orthod.* c. 4. Ratio est: Deus Ens simplex est, non compositum; ergo cum omne corpus compositum sit, Deus non potest esse corporeus. Item corpus est quid extensum habens partes extra se invicem; ens simplex igitur, quod juxta definitionem suam non habet partes extra se invicem, extensum esse non potest: sed Deus est Ens simplex (§. 47.);

ergo non est quid extensum, & consequenter non est corporeus.

Schol. 1. Deum corporeum finxerunt præter Paganos & Sadducæos Sæculo 4to. Seleucus & Hermias, teste S. Augustino *l. de hæres. n.* 46. Item quidam in Ægypto monachi, teste Socrate *l.* 6. *c.* 7. Antropomorphitæ dicti. Insanum hunc errorem amplexi sunt Sæculo 12mo Petrus Abaillardus, & Sæculo 13tio Almaricus, & David de Dinanto. Falluntur ex eo, quod S. Scriptura Deo multoties membra corporea attribuat. Sed cum S. Scriptura Deum etiam multoties Spiritum dicat, evidens est, sensum improprium in illis locis obtinere. Hinc tale quid per illa indicatur, quod similitudinem habet cum eo, quod proprie significant, & tamen Deo conveniens est. Sic facies Dei, intimam ejus visionem, oculi exactam rerum omnium notitiam, aures approbationem precum nostrarum, manus potentiam, pedes fortitudinem in conterendis hostibus, & subinde immensitatem, brachium robur, digitus facilitatem &c. pro substrata materia in Deo denotant. Beausobrius vero, qui in *hist. des Dogm. de Manich. l.* 1. *c.* 2. hanc quæstionem de Dei spiritualitate adiaphoram esse, nec ad fidem pertinere probare conatus est, a R. P. Gazzaniga in *Præl. Th. t.* 1. docte refutatur. *Anthropomorphitarum hæresis.*

Schol. 2. Errorem Antropomorphitarum tribuit etiam Melitoni Sardensi Episcopo Gennadius *l. de dogm. c.* 4. Vindicat eum Tournely; sed P. Berti tum Melitonem, tum Tertullianum hujus erroris accusat. Andæum vero ab hoc errore immunem fuisse defendit S. Epiphanius ejus Synchronus *hæres.* 70. Denique ipsum S. Epiphanium apud Theophilum Alexandrinum, & Joannem Jerosolymitanum Antropomorphitarum hæresis suspicionem incurrisse testatur Socrates *l.* 6. *c.* 10. Verum cum S. Epiphanius in publica concione coram Joanne habita, & in suis scriptis contra hanc hæresim decertaverit, ab omni labe seipsum purgavit.

§. 49. *Deus est invisibilis, & oculis corporeis videri non potest.* Ita docet nos *Primo* S. Scriptura, 1. *ad Tim.* 17. *Regi sæculorum immortali & invisibili.* Et *c.* 6. *v.* 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Scilicet oculis corporeis; nam intellectualem visionem Apostolus, 1. *ad Cor.* 13. *v.* 12. astruit. Consentiunt *Secundo* Patres. Origenes contra Celsum ait: *Falso nobis imponit Celsus, dicens, nos sperare, oculis corporeis Deum esse visuros.* S. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 9. ait: *Carnois quidem oculis Deus cerni non potest. Tertio* ratio est: Ens simplex est invisibile, quia dum partibus extra se positis caret, fieri non potest, ut ope ra- *Deus est invisibilis oculis corporeis.*

diorum inde procedentium imago ejus in oculo depingatur, quod tamen ad visionem corpoream requiritur: sed Deus est Ens simplex (§. 47.); ergo est invisibilis.

Solvuntur objectiones Antropomorphitarum. *Schol.* 1. Antropomorphitæ Deum oculis corporeis visibilem censuerunt. Probant hoc I. quia Deus sæpius hominibus cernendum se præbuit, uti Jacobo *Gen.* 32. *v.* 20. Moysi *Exod.* 33. *v.* 11. Sed Deum in assumptis speciebus se videndum præbere posse non negamus. II. Dicunt: objecta corporea, dum videntur ab oculo, movent & excitant spiritus in nervo optico: sed Deus eodem modo excitare potest nervum opticum, sicut objecta corporea; ergo oculis corporeis videri potest. Sed objecta corporea videntur ab oculo, dum sui imaginem depingunt in eo; nulla vero Dei imago est, uti mox dicemus: unde licet Deus moveret oculi fibrillas, perciperet quidem anima adesse causam moventem, sed eam sensibiliter non videret.

An S. Augustinus Deum corporaliter videri posse docuerit? *Schol.* 2. Ætate S. Augustini fuerunt nonnulli etiam Episcopi, qui asserebant, in altera vita fore, ut Deus corporalibus oculis videatur. Hanc opinionem S. Augustinus *ep.* 92. refellit, veramque dementiam appellat. Sed cum quidam Episcopus de inusta per Augustinianam epistolam sententiæ suæ nota conquereretur, & diceret, post generalem corporum resurrectionem carnales oculos evasuros spirituales & alterius naturæ, & consequenter ad videndam in se Divinitatem idoneos, S. Augustinus scripsit epistolam 148. ad Fortunatianum, in qua veniam enixe precatur, siquid in priori epistola acerbius a se scriptum fuerit, repetens tamen, recta fide tenendæm esse, quod Deus, cum sit incorporeus, sit omnino oculis carnalibus invisibilis. An vero post resurrectionem corpora futura sint alterius naturæ, ita ut efficiantur spiritualia, propter Episcopum illum commotum noluit definire; ea tamen argumenta profert, quibus hæc opinio invicte oppugnatur, quam dicit esse tolerabiliorem illa, quæ putat oculis corporeis Deum videri posse, & pollicetur se de hoc corporali spiritu alibi tractaturum; quod etiam præstat *ep.* 147. & *l.* 22. *de Civ. Dei c.* 29. ita tamen ut semper propendeat in sententiam negantem hoc corpus spirituale, de quo tamen disputandi libertatem unicuique relinquit.

Deus per nullam imaginem vere repræsentari potest. §. 50. Cum Deus sit Ens simplex, *per nullam pictam, sculptamve imaginem vere repræsentari potest.* Unde *Isaiæ* 40. v. 18. dicitur: *Quam imaginem ponetis ei?* Et S. Paulus *ad Rom.* 1. *v.* 23. gentiles increpat, quod Deum incorruptibilem imaginibus rerum corruptibilium repræsentare ausi sint. Unde etiam Deus Judæis ad idololatriam maxime proclivibus severe prohibuit *Exod.* 20.

v. 4. ne more gentium cæterarum ullam ipsius imaginem facerent. Voluit enim Deus, ut idololatriæ occasio populo suo eriperetur. Ratio subscribit: imago enim alterius est ens alteri simile, eo fine factum, ut alterum repræsentet. Omnis vero picta vel sculpta imago cum sit aliquid extensum, ens extensum etiam repræsentat. Ens ergo simplex per nullam pictam vel sculptam imaginem repræsentari potest: sed Deus est ens simplex; ergo per pictam vel sculptam imaginem prout est in se repræsentari nequit.

Bene vero per figuras hieroglyphicas.

Schol. Licet autem Deus per imaginem nequeat repræsentari, quia tamen nihil obstat, quin ea, quæ in Deo sunt, per res materiales propter aliquam similitudinem generalem indigitentur, ex iisque figura quædam, quæ pingi vel sculpi possit, componatur; Deus, vel quod in Deo est, per figuras hieroglyphicas repræsentari potest. Ipsa S. Scriptura nobis hic facem præfert. Ut visiones Ezechielis *c.* 1. *v.* 25. *c.* 3. *v.* 55. *c.* 8. *v.* 2. omittamus, Deus in visionibus Isaiæ *c.* 6. *v.* 1. & S. Joanni *Apoc.* 4. *v.* 2. instar hominis in solio excelso & magnifico sedentis apparuit. Non est hæc Dei ipsius imago, sed symbolica dominii ejus & imperii in omnes creaturas repræsentatio. Quando igitur nos etiam Dei imaginem formamus, ideo tantum facimus, ut quo modo Deus pro captu hominum imbecilli apparuerit, non vero quam figuram habeat, adumbremus.

Deus est incorruptibilis.

§. 51. *Deus est incorruptibilis.* Sacra quippe Scriptura Deum ἄφθαρτον vocat, 1. *ad Tim.* 1. *v.* 17. *ad Rom.* 1. *v.* 23. Ratio est: Ens simplex est incorruptibile (§. 47.): Deus autem est ens simplex; ergo est incorruptibilis. Deinde per corruptionem ens cessat existere: sed Deus nullo modo existentiam suam perdere potest, cum æternitas Deo sit essentialis (§. 46.): ergo per corruptionem non potest cessare existere.

Non datur in Deo compositio.

§. 52. *Nulla datur in Deo compositio.* Sic Deus nequit componi ex materia & forma, quia materia esset quid divisibile, quod Enti simplici non convenit. Nequit componi ex corpore & anima (§. 47. 48.). Non est compositus ex subjecto & accidentibus, quia dum omnis mutabilitatis expers est (§. 44.), accidentia interna mutationem inferentia in eo locum habere non possunt. Nec est compositus ex essentia & existentia, ita ut posterior a priori sit separabilis, quia per essentiam suam existit (§. 42.), ipsa Essentia existentiam involvente. Nec ex actu & potentia, quia in Ente perfectissimo nihil potentiæ passivæ & perfectibilis concipi potest.

Quidquid est

Schol. Ex his patet, quod Deus etiam non possit venire in compositionem alterius per modum partis intrin-

In Deo, Deus est.

secæ, uti censuit Almaricus, qui Deum statuit esse animam mundi, & singulas ejus partes informare. An vero in Deo possit admitti compositio ex genere & differentia, Scholæ disputant.

§. 53. Quia igitur Deus est Ens simplicissimum omnis compositionis realis expers (§. 52.), in eo non possunt esse res realiter a se invicem diversæ. Tales enim si adessent, adesset compositio quædam realis, & ille non esset Ens simplicissimum. Unde recte formatur hic Canon: *Quidquid est in Deo, illud est ipse Deus.*

Attributa Divina ab Essentia realiter non distinguuntur.

Quare *Attributa Divina nec ab Essentia divina, nec inter se realiter tamquam plures res diversæ distinguuntur.* Nam *Primo* Essentia Divina & Attributa de se invicem in abstracto in S. Scriptura prædicantur. *Joan.* 14. *v.* 6. Christus de se ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* 1. *Joan.* 1. *v.* 5. 7. dicitur Deus *in luce & ipsa lux esse.* 1. *ad Cor.* 1. *v.* 24. dicitur Christus *Dei virtus & Dei sapientia*, non vero tantum in concreto, vivens, sapiens, verus. *Secundo* hæc est doctrina Patrum. S. Augustinus *l.* 7. *de Trin. c.* 3. ait: *Deus secundum quod Sapientia est, & Essentia.* S. Fulgentius in *resp. ad Ferrandum: Claret hoc esse Catholicæ veritatis, ut cum in Deo Divinitatem, Magnitudinem, Bonitatem, Virtutem nominamus .... non in istis diversis quædam diversa .... sed unum illud, quod est essentia & natura certissime noverimus.* *Tertio* ita definiunt Concilia. Concilium Rhemense a. 1148. art. 1. statuit: *Credimus & confitemur, simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas.* Et Eugenius III. prohibet, ne aliqua ratio Theologica inter naturam & Personam dividat, neve Deus Divina Essentia dicatur ex sensu Ablativi tantum, sed etiam Nominativi. Denique Concilium Lateranense IV. definit, a. 1211. cap. 2. *Nos sacro & universali approbante Concilio credimus & confitemur, quod una quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus S. Tres simul Personæ, ac singillatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet Trium Personarum est illa res, videlicet substantia, Essentia sive Natura Divina.* *Quarto* ratio est; quia Deus est Ens simplicissimum: sed si Divina Attributa realiter inter se & ab Essentia Divina distinguerentur, non foret Deus Ens simplicissimum, sed compositum ex Essentia & Attributis, quia cum sint intime conjuncta, adesset distinctorum unio, quæ est compositio: ergo realiter non distinguuntur.

5. ***Ad Essentiam tamen Divinam Attributa non ita pertinent, ut illa sine Attributis, & unum Attributum sine alio concipi non possit.*** Primo enim in S. Scriptura multa de Deo prædicantur, uti Justitia, Bonitas, Misericordia &c. Et Christus ipse *Joan.* 16. *v.* 25. in numero plurali ait: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Ergo plura in Deo concipi possunt, consequenter unum sine alio, & sic potest haberi aliqua saltem inter ea distinctio. *Secundo* patet ex Patribus. S. Cyrillus *l.* 11. *Thesau.* S. Gtegor. Niss. *l.* 12. *cont. Euno.* & S. Basilius *l.* 1. *contra Eunom.* ait: *Quid si omnia ista ad unum significatum pertineant, necesse est, ut idem inter se valeant nomina, ut in Polynomiis evenit, cum Simonem & Petrum & Cepham eumdem hominem dicimus.* Unde merito Concilium Florentinum sess. 18. *Nos dicimus, substantiam & Personam sive Hypostasim esse idem in re, differre autem nostro intelligendi modo. Tertio* ratio est: Cujuscumque Attributi notio vel conceptus diversus est ab Essentiæ vel alterius Attributi conceptu, cum nostra intelligendi ratio sit imperfecta, nec Deus per Justitiam ubique esse a nobis clare & expresse intelligitur. Ergo Essentia Divina sine Attributis, & unum Attributum sine alio a nobis concipi potest. *Essentia tamen sine Attributis, & unum Attributum sine alio concipi potest.*

Schol. 1. *Attributi* nomine illas perfectiones in Deo intelligimus, quæ nostro concipiendi modo Divinam Naturam consequuntur. Attributa alia sunt *absoluta*, quæ non dicunt ordinem ad terminum: alia *relativa*, quæ hunc ordinem dicunt. Absoluta alia sunt *modificativa*, quæ concipiuntur ut modi interni & trascendentales spectantes ad constitutionem Naturæ Divinæ, & pervadunt omnes perfectiones Divinas, & de illis dici possunt, uti, Unitas, Simplicitas, Infinitas, Immutabilitas, Immensitas, Æternitas, Perfectio, Bonitas, Veritas, Ineffabilitas, Invisibilitas, Incomprehensibilitas. Alia sunt *adjuncta*, quæ concipiuntur veluti advenire Divinæ Essentiæ jam consitutæ. Rursus Attributa modificativa alia sunt *positiva*, quæ perfectiones positive exprimunt, & dicuntur affirmativa, quia aliquid de Deo affirmant non solum ex parte copulæ, sed etiam ex parte prædicati; alia sunt *negativa*, quæ exprimuntur nominibus removentibus imperfectiones in perfectionibus creaturarum occurrentes, uti Infinitas: unde quando prædicantur de Deo, v. g. Deus est Infinitus, ex parte prædicati importatur negatio finis: hæc autem negatio non debet accipi passive, sed active; ita ut esse Infinitum significet in Deo specialem perfectionem, cujus nomen, quia in vita nescimus, per negationem finis exprimimus. Attributa adjuncta sunt triplicis generis: alia quasi facultatem deno- *Attributum quid, & quotuplex?*

tant, uti Intellectus, Voluntas, &c. alia quasi habitum; uti Justitia &c. alia quasi actionem vel immanentem in Deo, uti intellectio, volitio, vel transeuntem, uti Creatio, Conservatio. Attributa denique relativa alia sunt *ad intra*, uti Paternitas, Filiatio, Spiratio Activa & Passiva, quibus Tres Divinæ Personæ ad se referuntur: alia sunt *ad extra*, quæ dicunt ordinem ad creaturas, uti Prædestinatio.

Gilberti Porretani opinio. *Schol.* 2. Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis cum in quodam Ecclesiæ suæ consessu dixisset, Divinitatem non esse Deum, sed formam, qua Deus est, a duobus Ecclesiæ suæ Archidiaconis Arnaldo & Calone, & a S. Bernardo ad Eugenium III. in Gallias iter dirigentem delatus fuit. Ejus causa in Concilio Parisiensi a. 1147. discussa fuit, ubi postquam fortibus satis argumentis urgeretur, confessus est, Patrem alio esse Patrem, alio Deum, non tamen esse hoc & hoc, cumque multa subtiliter dixisset, definitio ad Concilium Rhemense an. 1148. celebratum delata fuit, ubi postquam eum Eugenius interrogavit, an illam summam Essentiam, qua tres Personas profitemur unum Deum, credat esse Deum, Gilbertus respondit: Non. Similiter dum a S. Bernardo in eodem Concilio urgeretur, respondit: Forma Dei, & Divinitas, qua Deus est & ipse, non est Deus. Quo audito S. Bernardus cum nonnullis Episcopis symbolum fidei adornavit Gilberti erroribus oppositum, quod ab Eugenio & Concilio approbatum fuit, cui ipse etiam Gilbertus consensit, & deposito errore veniam consecutus fuit. Ita S. Bernardus refert *serm.* 80. *in Cantica*, & Otho Frisinguis paullo propensior in Gilbertum, de quo tamen morti proximus doluit. Gilbertus igitur distinxit realiter inter abstracta & concreta in Deo, ita ut Divinitas non sit Deus, sed tantum forma, qua Deus est; an vero Attributa absoluta ab essentia Divina realiter distinxerit, quæstio est inter Theologos, de qua vide Petavium & Gotti; sane S. Bernardus *serm.* 80. *cit.* hujus

Joachimi Abbatis. erroris eum arguit. Joachimus Abbas non veram in Divinis unitatem, sed collectivam tantum admisit, similem ei, qua multi homines unus populus dicuntur. Ejus libellus a Concilio Lateranensi IV. damnatus fuit: Auctor tamen hæretici notam effugit, quod sua scripta judicio

Gregorii Palamæ. Ecclesiæ submiserit. Denique Gregorius Palamas Episcopus Thessalonicensis Græcus Schismaticus Sæculo 14to. Essentiam Divinam ab energia seu Attributis Divinis secundum rem distinxit, eo modo, quo splendor solis, licet soli coævus, substantia tamen solis dici non potest. Patres, quos pro suo errore citant hi Scriptores, agunt contra Eunomium, & solam distinctionem rationis, non vero realem astruunt.

Schol.

Schol. 3. Aetius & Eunomius Arii sectatores Sæculo 4to nullam inter Essentiam Divinam & ejus Attributa distinctionem ne quidem rationis ratiocinatæ admittebant: unde hæc absurda inferebant: 1. Cum nomen Ingeniti idem formaliter sonet, ac Deus, Filium in Divinis non esse Deum, quia non est Ingenitus. 2. Dicebant, se Deum comprehendere, quia qui Deum Ingenitum novit, totum novit. Afferunt pro se nonnullos Patres: sed illi solam distinctionem realem a Deo excludunt. *Aetii hæresis.*

Schol. 4. Quæris, qualis ergo detur distinctio inter Attributa Divina & Essentiam, & inter Attributa inter se. Scotistæ respondent: formalis ex natura rei. Nos dicimus: distinctionem rationis cum fundamento in re, quia licet Deus sit una & simplicissima res, est tamen virtualiter multiplex, & æquivalet pluribus perfectionibus in rebus realiter distinctis. Ita tamen Attributa Divina inter se, & ab Essentia Divina distinguuntur, ut Essentia in suo conceptu implicite includat Attributa, & includatur ab illis, & quodlibet Attributum includat cætera; quia quidquid in Deo concipitur, debet concipi simpliciter in genere entis infinitum, adeoque ut omnem perfectionem actu saltem implicite includens. *Quæ distinctio inter Essentiam & Attributa?*

Schol. 5. Ex his inferes, Essentiam Divinam, & Attributa de se invicem prædicari tam in concreto, quam in abstracto in sensu reali identico, & formali implicito. Sic vere dico: Deus est bonus. Et: Deus est bonitas, Bonitas & Justitia, quia hæc omnia sunt quid unum realiter identice. Non vero de se invicem prædicantur in sensu virtuali, vel formali explicito; unde in hoc sensu falso dico: Intellectus est voluntas, Misericordia punit, quia in hoc sensu distinguuntur.

§. 54. *Deus est ab omnibus aliis entibus independens.* Unde dicitur *ad Rom.* 11. *v.* 36. omnia *ex Deo*, & *per Deum* esse. Cum ergo Deus omnium reliquorum causa sit, omnia ab ipso dependent: si vero ipse ab ullo reliquorum dependeret, circulus oriretur, adeoque non potest non ipse esse ab omnibus independens. Deinde Ens independens est, quod in nullo alio rationem sui habet: sed Deus utpote Ens a se, quia rationem sui in seipso habet (§. 41.), in nullo alio eam habere potest; ergo est ab omnibus aliis independens. Unde *Deus est independens.*

§. 55. *Deus est Ens infinitum.* Sacra Scriptura Infinitatem Dei per magnitudinem exprimit. *Baruch* 3. *v.* 25. *Magnus Dominus, & non habet finem. Ps.* 144. *v.* 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Ratio est, quia Ens infinitum est, quod, quidquid per essentiam esse potest, est simul: unde infinitum debet habere omnes compossibiles *Deus est infinitus.*

perfectiones sine ulla limitatione: sed tale Ens est Deus: nam Ens a se, quia est immutabile (§. 44.) non potest successionem statuum subire, consequenter quidquid per Essentiam suam est, simul est; ergo est infinitum omnium perfectionum sine ulla limitatione particeps.

Quæ perfectiones sint in Deo? *Schol.* Perfectiones vel sunt simpliciter, vel secundum quid tales. *Perfectiones simpliciter* tales, sive *simpliciter simplices* sunt, quarum conceptus nullam imperfectionem includit; hæ simpliciter & formaliter sunt in Deo. *Perfectiones secundum quid* tales, quarum conceptus aliquid imperfectionis involvit, sunt in Deo eminenter, hoc est loco earum habet aliquid præsrantius. Quia vero Deus ratione Infinitatis suæ omnes perfectiones illimitate continet actu, hinc fieri nequit, ut vel ulla perfectio, vel ullus ejus gradus ut possibilis sine actualitate in Deo deprehendatur. Unde Deus non esr ex actu & potentia compositus. Denique quia Deus non solum in se, sed & quoad captum nostrum infinitus est, ideo

Deus est incomprehensibilis. §. 56. *Deus respectu cognitionis creatæ naturalis est incomprehensibilis*. Nam *Job.* 11. *v.* 7. dicitur: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Et *Jerem.* 32. *v.* 19. Deus dicitur *incomprehensibilis cogitatu*. *Ad Rom.* 11. *v.* 33. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus*. Unde bene definit Concilium Lateranense, cap. *Firmiter: Credimus, quod unus solus sit Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis*. Idem docent Patres, & præcipue S. Chrysostomus *contra Anomæos hom.* 4. ubi inter alia dicit: *Dei exquisitam comprehensionem habere non potest Angelus, aut ulla creatura*. Ratio est: Deus est Ens infinitum (§. 55.): sed intellectus creatus utpote finitus Ens infinitum comprehendere nequit; ad hoc enim intellectus infinitus requiritur, qui in Ente infinito nullos perfectionis terminos habente omnia possibilia distinctissime cognoscat: ergo Deus ab intellectu creato comprehendi nequit.

Solvuntur objectiones Anomæorum. *Schol.* Aetius & Eunomius Anomæorum parentes docuerunt, ab intellectu creato Deum comprehendi posse; imo Aetius dicebat: Tam Deum novi, quam meipsum, imo non tam meipsum novi, quam Deum. Argumenta eorum a visione beatifica petita nil aliud probant, quam beatos totum quidem Deum videre, sed non totaliter: vident eum in se facie ad faciem, quin totam ejus latitudinem percipiant, uti constat exemplo hominis per angustum foramen cœlum intuentis: cognoscunt Dei Bonitatem latissime diffusam, quin ejus fundum metiantur, velut is, qui mare in altissima specula contemplatur: omni gaudio replentur, quin totam Divinitatem

comprehendant, sicuti vas aquæ immersum totum impletur, etsi minimam aquarum copiam recipiat.

Deus est immensus, & omnipræsens.

§. 57. *Deus immensus & omnipræsens est non solum cognitione & operatione, sed etiam intime per præsentiam substantialem.* Ita *primo* docet S. Scriptura *Ps.* 138. *v.* 7. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Jer.* 23. *Cœlum & terram ego impleo, dicit Deus.* Ratio est *secundo:* Deus infinito intellectu suo omnia præterita, præsentia & futura & omnes cogitationes nostras semper sibi repræsentat. Ergo omnia illa sunt Deo præsentia, & Deus cognitione omnibus illis præsens est, quod magis patebit ex sequentibus. Deinde sicuti res in creatione extra Deum ad actualitatem deductæ sunt per actum Divinæ voluntatis, *Apoc.* 4. *v.* 11. ita Deus eas per continuum illum actum conservat, *Ps.* 148. *v.* 5. *ad Hebr.* 1. *v.* 3. sine qua conservatione existentiam suam conservare non possent; item ad actiones omnium Deus per concursum generalem semper concurrit, sine quo nulla creatura agere posset, *Act.* 17. *v.* 28. Ergo Deus in omnes creaturas continuo operatur, adeoque illis præsens est operatione. Denique Deus est Ens simplex, & infinitum (§. 55.), adeoque, quia partes non habet, cuilibet enti totus præsens est: sed totus Deus sine ipsa Divina substantia concipi non potest; ergo secundum substantiam suam sive substantialiter omnibus creaturis præsens est.

Immensitas an idem cum omnipræsentia?

Schol. 1. Omnipræsentiam Dei etiam nonnulli ex immensitate ejus demonstrant, quam ab omnipræsentia distinguunt; nam immensum dicitur, quod in se tale est, ut metiri ipsum non detur: cumque Deus sit Ens infinitum (§. 55.) & hinc nullos perfectionum suarum limites, & æternum, nullos durationum fines (§. 45.) habens, cumque perfectiones Divinæ sint ipse Deus; sequitur, quod nullos nec intensionis; nec extensionis terminos admittat, & immensus, & omnipræsens sit. Atque ex hoc inferunt, ante mundi creationem Deum omnipræsentem dici non potuisse, quia cum per præsentiam operationis præsens sit creaturis, dum in illas operatur, hinc modo in creatione, per quam in creaturas operari incepit, illis per præsentiam operativam præsens esse cœpit, licet immensitas substantialis ei etiam ante creationem competierit. Noli tamen concludere, mutationem ideo in Deo factam fuisse. Non facta est in Deo, sed in rebus extra Deum existentibus, quæ ex non existentibus existentes factæ sunt; hinc in relatione ad res existentes Deus vocatus fuit præsens, quo ante creationem nomine non gaudebat.

Objectiones Sa-

Schol. 2. Immensitatem sive omnipræsentiam Deo de-

Maritanorum. traxerunt Samaritani, qui angustiis Templi in Garizim, & Judæi, qui in æde Hierosolymitana, Divinitatem concludebant, teste S. Hieronymo *in c.* 66. *Isaiæ*. Item Valentiniani, Gnostici & Manichæi apud S. Augustinum *l. cont. ep. Fundam. c.* 21. Sociniani Vorstius, & Crellius Deum ubique non substantia, sed potentia tantum diffusum esse docuerunt. Non obstant omnipræsentiæ Divinæ loca, in quibus Deus in *Ps.* 11. *v.* 5. &c. in cœlo habitare dicitur: hoc enim eo sensu dictum est, quod ibi specialiter gloriam suam manifestet. Dicitur etiam abscondere faciem suam, non exhibendo amplius specialia beneficia: dicitur esse in Arca, Templo, animabus justorum gratiosa manifestatione & largitione gratiarum, non per exclusionem præsentiæ suæ in aliis locis.

Deus unus est. §. 58. Ens immensum, quia infinitum est, unicum esse debet. *Unus igitur Deus est*. *Primo* hoc discimus ex S. Scriptura, *Deut.* 6. *v.* 4. *Dominus Deus noster Dominus unus est:* quem locum etiam citat *S. Marcus c.* 12. *v.* 29. Et 1. *ad Cor.* 8. *v.* 4. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus*. *Secundo* hoc probant SS. PP. Justinus *l. de monarch.* ex testimoniis gentilium hoc probat. S. Iræneus *l.* 1. *adv. hær. c.* 1. ex infinitate Dei. Tertullianus *l.* 1. *contra Marc.* ex ejus magnitudine. Eodem argumento S. Augustinus *l.* 1. *de Trin. c.* 3. Unitatem Dei demonstrat ex summa ejus magnitudine, quæ parem non admittit. Lactantius a summa ejus perfectione, cui aliquid deesset, si similem sibi agnosceret. S. Athanasius *l. contra gent.* ex ejus omnipotentia, quæ alterius Dei opera ad creationem rerum non indiget. S. Cyprianus *de van. Idolor.* ex mundi ordine & regimine, ubi in rebus naturalibus unus solummodo præest. Nobis *Tertio* ratio placet ab Infinitate Dei petita, quæ sic proponi potest: Non possunt esse plura entia infinita, quam unum; hæc enim erunt perfectione vel æqualia, vel inæqualia. Si inæqualia, alterutrum non habebit omnes perfectiones compossibiles sine gradibus absolute, adeoque non erit ens infinitum. Si æqualia sunt, perfectiones illæ vel erunt inæquales & dissimiles, & sic neutrum habebit omnia, nec consequenter infinitum erit; vel erunt æquales & similes solo numero differentes, & tunc nihil assignari poterit, in quo numero differant; illud enim assignabile non potest esse diversum in utroque Ente, alias unum infinitum aliquid haberet, quod non est in altero, quod est contra hypothesim, in qua duo illa entia infinita in perfectionibus æqualia & similia supponuntur. Nec potest esse non diversum in utroque ente, alias nulla posset dari ratio, cur infinitum unum habeat hoc v. g. subje-

ctum attributorum, alterum vero aliud; non enim ex essentia ratio reddi potest, siquidem neutrum subjectum utpote ab altero ex hypothesi non diversum essentiæ repugnat: nec externam ullam rationem ens infinitum, quatenus est ens a se (§. 55.) potest admittere: ergo plura entia infinita quam unum esse nequeunt. Jam vero cum ens a se sit infinitum (§. 55.), Deus autem sit Ens a se (§. 40. 41. Schol. 8.), Deus nonnisi unicus numero esse potest.

Schol. Gentilismus seu Ethnicismus dicitur illa Religio, qua plures, quam unus Deus, coluntur. Populis ad Christum conversis Gentilismus ex urbibus proscriptus in pagis sedem fixit, unde Paganismus appellari cœpit, qui etiam a pluralitate Deorum Polytheismus vocatur; illi vero, qui plures Deos colunt, aut præter verum Deum falsos Deos adorant, qui Idola dicuntur, vocantur Idololatræ, & Idololatria est religiosus Idolorum cultus. Originem Idololatriæ erudita Dissertatione investigavit D. Calmet. Rabbini Idololatriam jam ante diluvium invaluisse autumant, & fuisse unum ex criminibus, quibus Deus provocatus aquas diluvii immisit. Fundant se in illo *Gen.* 4. *v.* 21. ubi de Enos in textu Hebraico ita legitur: אז הוחל לקרא בשם יהוה, quod ita interpretantur: *tunc profanatum est invocare in nomine Domini*, quia verbum הוחל *in hophal* etiam *profanare* significat. Sed enim nunquam significat *profanare* nisi in *Piel*, unde etiam septuaginta vertunt οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ, *iste speravit invocare nomen Domini*. Alii Auctorem Idololatriæ statuunt Thare patrem Abrahæ. Verum licet hic *Josue* 24. dicatur Idolorum sacris addictus fuisse, nihil aliud tamen eruere licet, quam tempore Thare Idololatriam quidem jam invaluisse, non vero a Thare primo introductam fuisse. Alii Nimrodo primordia Idololatriæ adscribunt, qui cultum ignis in Chaldæam invexisse dicitur; sed vix probant, alios ante ipsum Idololatras non fuisse. Alii Chamum, Ninum alii, sed sine certis documentis, Idololatriæ parentes assignant. Illud nobis certum videtur, longe ante Moysen Idolorum cultum apud Ægyptios invaluisse; nam Moyses eum etiam in Chanaanitide, Madian & Moab jam supponit, dum *Exod.* 20. *v.* 4. jubet abstineri a cultu cujuslibet simulacri. Astrorum cultus prima gentium superstitio fuisse videtur: sane Ægyptios, Chaldæos & Persas aliasque gentes, solem, lunam & stellas pro Diis habuisse certum est. De Egyptiis testatur Diodorus Siculus *l.* 1. eos solem sub nomine Osiridis, lunam sub nomine Isidis coluisse. Homines quippe videntes hæc corpora mundana, reliquis omnibus excellentiora, & juxta

Idololatriæ origo & Gentilismi.

eorum Philosophiam animata esse, Divinitatem illis affingebant: cum enim doctrinam de creatione non caperent, quam Noe posteris suis una cum vera de Deo uno, mundi creatione, de Angelis, lapsu dæmonum, & primorum parentum doctrina tradiderat, illamque pro captu suo illustrarent, statuebant, cuncta ex Deo ceu radios ex sole emanasse, unde solem, lunam & cætera Sydera colere cœperunt. Ab hac purioris doctrinæ corruptione convertebantur ad contemplationem seductionis primorum hominum per malum quemdam Spiritum. Incredibile illis videbatur, hunc Spiritum opus Dei perdere potuisse, si ipse huic Numini subjectus, eoque imbecillior fuisset: unde malum hunc Spiritum æque potentem, ac Deum bonum mundi creatorem sibi persuadebant, & sic duo summa Principia, alterum bonum, alterum malum in mundum introducta, & simul religiose culta sunt, prius, ut benefaceret, posterius, ne noceret. Deinde antiquæ doctrinæ memores, Angelos a bono Deo creatos esse, his putabant demandatam esse curam & gubernationem mundi, quia ipsi Deo nimis molestum esse videbatur, cunctis immediate rebus providere. Hos Angelos seu bonos Spiritus, cum mundum regerent, hominumque fata in sua potestate haberent, creatos quidem, sed propter officium sibi demandatum in Deos conversos putabant & adorabant, eorumque varios ordines assignabant. Nonnulli enim supremo Numini in cœlo semper ut Consiliarii adesse dicebantur, Consentes vocati. Hos Ennius apud Apulejum de Deo Socratis hoc ordine recenset: Juno, Vesta, Minerva; Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Ab his differebant Dii minores, qui extra cœlum vagari, & in stationibus suis excubare credebantur. Cum vero non solum Deus bonus, sed etiam malus suos habere satellites & ministros crederetur, exinde cultu dæmonum, ne nocerent, fluxit, teste Arnobio *l. 7. cont. gent.* qui cultus antiquissimus hodie adhuc apud Calecutenses, Japonenses, Mexicanos & Tapujos viget. Postquam vero creditum fuit, Spiritus bonos seu Angelos esse rerum Præsides & Gubernatores, horum Deorum numerus in infinitum crevit, singulis non tantum urbibus, sed & societatibus singularis Spiritus præficiebatur, & tamquam Deus tutelaris colebatur. Unde *Jer. 2. v. 28.* conqueritur Deus: *Pro numero civitatum tibi sunt Dii*. Quin etiam montibus, fluviis, aeri &c. divinus honor, vel potius Diis illis præsidentibus exhibebatur. Rursus ipsi homines etiam Diis jungebantur, qui aut bello & virtute fortes, aut sapientia celebres fuerant, aut populis imperaverant,

aut alio utili invento de humano genere bene meruerant, aut a suis parentibus & filiis tenere diligebantur, quo spectat totum illorum Deorum genus, quod Poetæ & Historici celebrant. Neque hic superstitio subsistebat. Nam & bruta Divino honore afficiebantur, de quo Idololatriæ genere S. Paulus *ad Rom.* 1. *v.* 23. loquitur. Denique & accidentia & virtutes, uti pietas, felicitas &c. tamquam Dii & Deæ coli cœperunt, teste Cicerone *l.* 2. *de nat. Deorum c.* 23. His igitur Diis gentiles simulacra erigebant, quæ quidem imperita Ethnicorum plebs ipsos Deos esse credebat, sed prudentiores iis tantum Deos significari arbitrabantur, uti Julianus in fragmento oper. pag. 1. Idololatriam gentilium excusare nititur. Miracula vero & oracula, quæ gentiles pro probanda suorum Numinum Divinitate proferunt, vel falsa sunt, vel naturæ vires non excedunt, vel a dæmone per occultas & naturales causas producta. Insanum hunc idolorum cultum satis refutarunt antiqui Patres, S. Justinus &c. uti in mea analysi PP. videri potest.

§. 59. Quia Deus unicus est (§. 58.), *non dantur duo Principia, unum bonum, alterum malum, ceu primæ omnium rerum causæ.* Nam *Primo* qui duo summa Principia & duos Deos, unum bonum, alterum malum statuunt, omnem de Deo ideam evertunt: qui enim Deum cogitat, Ens supremum, independens, omnipotens, beatissimum sibi repræsentat; sed in hypothesi duorum summorum Principiorum hæc omnia corruunt; in hac enim neutri omnia sunt subjecta, seu imperium eorum divisum est; ergo neuter est summus. Neuter actionum suarum rationem in seipso, sed simul in permissione, resistentia & limitatione alterius habet. Ergo neuter est independens. Neuter facere potest quidquid vult, & in se est possibile; nam bonus malum aversatur, & ad benefaciendum pronus est, alter contrariis studiis delectatur, nec bonum facere potest. Ergo neuter est omnipotens. Denique uterque unus ab altero Deo sibi opposito in operibus suis continuo turbatur. Ergo neuter esset beatissimus. *Secundo* Cultus horum duorum Deorum est contradictorius; nam qui bonum invocat, ut benefaciat, & malum, ne noceat, supponit bonum non posse benefacere, & malum non posse nocere: sed hoc est contra naturam eorum. *Tertio* Duo illa principia bonum & malum, utpote contraria, nec sunt sociabilia, nec separata; alias enim tertium quoddam foret, quod illa separaret, adeoque unum summum, a quo efficiuntur omnia bona, & a quo illud, quod deflectit, malum dicitur.

Non dantur duo summa principia.

Schol. 1. Duo dari principia coæterna & independen- *Manichæorum*

hæresis & systema. tia, alterum bonum, alterum malum, antiquissimus error est. Gnostici a Stoicis illum hauserunt. Cerdoniani &. Marcionitæ eum propagarunt. Cubricus Persa, qui nomen Manetis, id est viri eloquentis, sibi assumpsit, & quem sui discipuli Manichæum, id est Manna fundentem dixerunt, an. c. 277. eum late disseminavit, adeo ut nonnisi Sæculo 9no a Theodora Imperatrice oppressus fuerit. Manetis systema ex libris S. Augustini sic se habet: 1. Duo sunt rerum omnium principia coæterna & increata, alterum bonum, quod Manes absolute Deum vocat: alterum malum, quod Hylen appellat, ne Polytheus videatur. 2. Utrumque hoc principium est materia latissime extensa & interminabilis, ita ut materia boni sit lux, mali tenebræ. 3. Malum principium sua modificatione creavit quinque elementa, tenebras, fumum, ignem, aquam, ventum. Bonum vero creavit alia quinque elementa opposita, lucem, aerem, ignem bonum, aquam bonam, & ventum bonum. 4. In quolibet horum elementorum certum habitavit Spirituum genus ab ipsis elementis formatum, quibus unus supremus reliquorum dux & origo præfuit. 5. Accidit autem, ut Spiritus tenebrarum videntes a longe terram lucis, ejus amore capti invito Deo bono eam occupare attentarint. 6. Quod advertens Pater lucis, ad debellandos illos nonnullos Spiritus lucis misit, illisque præpotens Numen præfecit. 7. Unde orta pugna factum est, ut nonnulli Spiritus tenebrarum depellerentur in orcum innumeris animabus secum abreptis, cum e contra nonnulli Spiritus tenebrarum in regionem lucis penetrarent, & luci immiscerentur. 8. Princeps vero Spirituum malorum, nomine Saclas, ne animæ lucis raptæ aliquando restituerentur, eas tenebris sic involvit, ut emergere non possent, & simul jussit, ut quivis horum Spirituum concumberet cum uxore, quo facto omnes fœtus in lucem editos Princeps tenebrarum devoravit, & iterum concumbens cum uxore sua, quidquid Divinæ substantiæ ex illa devoratione acceperat, ita carni alligavit, ut perpetuum esset vinculum lucis & tenebrarum: porro proles ex hoc congressu natæ fuerunt Adam & Eva, qui proinde cum posteris suis duplicis sunt naturæ, & duas habent animas, unam bonam, a qua motus boni; alteram malam, unde mali motus procedunt. 9. Porro post commune naufragium Deus omnes nervos intendit, ut id, quod suæ erat substantiæ, a commixto malo liberaret; unde Christus sub forma serpentis apparuit, ut homines bonum a malo dignoscere doceret: qui etiam novissimis temporibus rediit, ut homines instrueret, quomodo purificatio lucis a tenebris esset facienda; & quia homines hanc profun-

dam doctrinam non satis capiebant, promisit illis Paracletum, qui erat ipse Manichæus, qui duodecim discipulis sibi assumptis, 72. Episcopos ordinavit. 10. Duplex autem est modus animas a malo purgandi. Primus est per duas naves, scilicet solem & lunam ex Divina substantia fabricatas, & Divinis virtutibus repletas, quæ in forma puerorum fœminis, in forma vero fœminarum maribus apparent, unde homines utriusque sexus formosarum specierum amore exardescunt, & hac concupiscentia, qua Divina substantia captiva tenebatur, aliorsum conversa, bona natura laxatur, laxata aufugit, & a virtutibus Divinis per cados transfertur in lunam, qua animabus repleta illæ transferuntur in solem, & a sole in regnum lucis æternæ, ita tamen, ut prius leves maculæ ab animibus calore solis solvantur, quæ in terram particulatim descendentes arboribus, aliisque plantis immiscentur. Secundus modus purgandi animas a malo, fit per electos, qui manducando & bibendo bonum purgant a malo, quatenus sumendo alimenta bonum, quod in illis continetur, sua sanctitate solvunt, & a malo liberant. Hinc quia omnibus alimentis animas inesse censebant, electi ob homicidii metum ab agricultura abstinebant, quam tamen Auditoribus permittebant, ut hoc modo electis alimenta compararentur, quorum manducatione bonum a malo purgaretur. Rursus quia ab omni mortuo Divina substantia jam aufugit, ideo electi ab esu carnium abstinebant. Item quia omnibus rebus Divinam substantiam inesse docebant, quæ manducando a malo purganda foret, hinc electi etiam semen virile comedebant. Et quia malum bono ab initio colligatum esse dicebant, ne boni & mali commixtio augeretur, Matrimonium illicitum esse volebant; venereos tamen congressus electis non solum permittebant, sed ad eos se mutuo provocabant, ut hoc modo per concupiscentiam ad imitationem Divinarum virtutum Divina animæ substantia a vinculis suis solveretur; generationem tamen electi impediebant. Denique quia animæ a corpore solutæ non statim sine purgatione transeunt ad beatas sedes, illas in agros, herbas, arbores & subinde in pecudes transmigrare volebanr, ut deinde per manducationem electorum purgarentur. Hoc autem Auditoribus suis singulare esse dicebant, quod eorum animæ in ipsos electos, aut eorum escas redirent, ut eo citius & certius ab his purgatoribus mundarentur. Fabulæ hæ sine auctoritate, imo contra rectam rationem a Manichæis confictæ seipsas confodiunt, & a S. Augustino in libris *contra Faustum* fuse refutantur. Marcionitæ vero, Cerdoniani &c. a S. Ire-

næo in libris *advers. hær.* & Tertulliano in libris *contra Marcion.* refelluntur. Vid. *Analys. PP.*

Objectiones Baylæ solvuntur. *Schol.* 2. Bayle tum in suo Dictionario, tum in aliis suis scriptis jam pene obsoleta Manichæorum & Dualistarum argumenta denuo e tenebris produxit, suisque cavillationibus auxit. Dicit enim I. *Is.* 45. *v.* 7. dicitur: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Et 2. *ad Cor.* 4. *v.* 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Et *Joan.* 12. *v.* 31. *Princeps hujus mundi ejicietur foras. Resp.* Isaias loquitur de malis peccatoribus a Deo juste inflictis. Apostolus loquitur de excæcatione a Deo solum permissa, juxta S. Chrysost. vel Deus sæculi hujus, vel Princeps hujus sæculi est diabolus, juxta S. August. *l.* 21. *contr. Faust.* II. Si Deus bonus cuncta creasset, non darentur mala; nam vel impedire potuit, & non fecit, & sic bonus non fuisset: vel non potuit, & sic potens non esset. *Resp.* Deus potuit impedire malum, nec in malo habet beneplacitum; illud vero permittit, quia creaturæ rationali libertatem dedit, quam lædere non vult, ne graviora mala mundo inferrentur. III. Deus saltem prævidens hominem libero arbitrio male usurum, vel ipsi hoc non conferre, vel ab abusu præservare debuisset. *Resp.* Hoc argumentum tunc stringeret, si ex malorum permissione & abusu liberi arbitrii bona majora sibi nota in toto universo non sequerentur, quæ Deus utpote provisor universalis velle debet, qui omnia bona vult, uti inferius dicetur. IV. Deus creavit hominem propter beatitudinem: ergo etiam eum præservare debet, ne ab ea per peccata excidat, adeoque nec illa permittere potest. *Resp.* Deus quidem vult omnium hominum beatitudinem, ad quam eos in creatione ordinavit; sed hæc beatitudo non est ultimus divinæ voluntatis finis: Deus enim propter se & gloriam suam omnia creavit, quæ non minus in procurando bona, quam permittendo mala manifestatur. Vid. le Vicomte d'Ales *de l'origine du mal &c.*

Deus intellectu & voluntate libera præditus est. §. 60. Deus juxta S. Scripturam Spiritus est (§. 47.): Spiritus vero est Ens intellectu & voluntate libera præditum (ex definitione Spiritus); ergo *Deus intellectu & voluntate libera præditus est.*

Intellectus Dei est infinitus. §. 61. 1. Intellectus Dei est omnium cognoscibilium simultanea & distinctissima repræsentatio, adeoque *Primo est infinitus.* Intellectus enim infinitus est, qui, quidquid esse potest, simul est, ita ut nulla realitas vel perfectio compossibilis ei deesse possit (§. 55.), ut nunquam in mera cognoscendi facultate subsistat, nec unum post alterum sibi repræsentet, nec quidam distinctionis

gradus eum fugiat: sed talis est intellectus Dei, uti patet tum ex definitione modo data, tum quia Deus est Ens infinitum, quod sine ulla perfectionum suarum limitatione existit (§. 55.): ergo intellectus Dei est infinitus.

2. *Secundo est illimitatus.* Illimitatum quippe est, *Illimitatus.* cui nulla realitas deest; sed intellectui Dei nulla realitas deest, quia nihil cognitionis, nihil distinctionis illi deest, cum sit omnium cognoscibilium simultanea & distinctissima repræsentatio. Ergo est illimitatus.

3. *Tertio Intellectus Dei est immensus.* Ens enim il- *Immensus.* limitatum immensum est (§. 57. Schol. 1.). Sed intellectus Divinus prorsus illimitatus est. Ergo immensus est. Unde *Ps.* 147. *v.* 5. de Deo dicitur in Hebraico לתבונתו אין מספר *Intelligentiæ ejus non est numerus:* quo indicatur, objecta cognitionis & intelligentiæ Divinæ numerari non posse.

4. *Quarto Intellectus Dei est incomprehensibilis no- Incomprehensibilis.* *bis.* Nam intellectus Divinus repræsentat non solum omnia cognoscibilia, sed etiam simul & distinctissime: sed intellectus humanus propter limitationem suam res nonnisi successive, nec tamen distinctissime, nec modum, quo Deus eas sibi repræsentat, sibi repræsentare, nec Divinæ cognitionis abyssum exhaurire potest, quia intellectus finiti ad infinitum nulla est proportio; ergo intellectus Divinus non tantum quoad modum cognoscendi, sed etiam quoad objectorum copiam nobis est incomprehensibilis. Ita investigabilitas in S. Scriptura Divina intellectui tribuitur, *Is.* 40. *v.* 28. *Nec est investigatio sapientiæ ejus.*

5. *Quinto Intellectus Dei ab omni errore immunis & infallibilis est.* In errore enim verum cum falso con- *Infallibilis.* funditur; confusio autem fit per notiones rerum obscuras & confusas juxta Logicam, utpote per quas non satis res a se invicem distinguuntur, unde ex notionibus rerum obscuris & confusis errores oriuntur: sed intellectus Dei distinctissima omnium cognitione gaudet. Ergo ab omni errore immunis & infallibilis est, licet nullus error Deo ignotus esse possit.

6. *Sexto.* Quin etiam, quia quidquid in Deo est, est ipse Deus (§. 53. n. 1.), Intellectus Dei est ipse Deus, & ab ejus Essentia realiter non distinguitur (§. 53. n. 2.).

Schol. Ex his differentiæ inter humanum intellectum *Differentia inter humanum & Divinum intellectum.* & Divinum patent. 1. enim intellectus humanus per modum potentiæ in anima concipitur: Intellectus Dei est ipsa Essentia Divina (§. 61. n. 6.). 2. Intellectus humanus in plurimis in nuda facultate cognoscendi subsistit sine actuali cognitione: Divinus in nullo ab actuali co-

gnitione deficit (§. cit. n. 1.), quia si vel unicum objectum cognoscibile eum fugeret, aliquis realitatis defectus in Divino Intellectu adesset, unde pro limitato habendus esset, quod falsum est (§. cit. 2.); quare hoc sensu intellectus Dei recte actus purus dicitur. 3. Intellectus humanus, quæ cognoscit, propter limitationem suam successive cognoscit: Divinus omnia simul, quia infinitus est (§. cit. n. 1.). 4. Humanus in multis in cognitione confusa, & obscura subsistere debet: Divinus omnia distinctissime cognoscit (loc. cit.). 5. Humanus quia finitus est, est in se commensurabilis: Divinus vero immensus est (§. 61. n. 3.). 6. Humanus non est sine errore, vel saltem possibilitate errandi, quia in multis in cognitione confusa & obscura subsistere debet: Divinus ab omni errore & possibilitate errandi longissime abest (§. cit. n. 5.).

Deus omniscius est. §. 62. Quia igitur intellectus Dei est simultanea omnium possibilium & distinctissima repræsentatio (§. 61.), ita ut Deus omnia possibilia sibi simul & distinctissime repræsentet, Deus omniscius dicitur, quia omnia possibilia sibi simul & distinctissime repræsentat. Ita 1. *Reg.* 2. *v.* 5. Deus dicitur אל רעות *Deus scientiarum*. Et dicitur *omnia cognoscere*, 1. *Joan.* 3. *v.* 20. Et *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, *ad Hebr.* 4. *v.* 13. Quare nuspiam Dei aspectum fugere licet, *Ps.* 139. *v.* 7.

Schol. Intellectus Divinus & omniscientia Dei ex parte Dei sunt unum & idem (§. 61. n. 6.); pro nostro tamen concipiendi modo hanc utriusque differentiam ponimus, ut omniscientiæ nomine denotemus actualem rerum omnium Dei cognitionem; intellectus autem nomine præter actualem cognitionem, quasi facultatem cognoscendi simul connotemus.

Deus cognoscit se. §. 63. Cum Deus sit omniscius (§. 62.), *cognoscit Primo seipsum*, *Matth.* 11. *v.* 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* 1. *ad Cor.* 2. *v.* 10. *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Item cognoscit actiones suas. *Act.* 15. *v.* 18. *Notum a sæculo est Domino opus suum.*

Omnes res extra se. 2. *Secundo Deus cognoscit omnes res alias extra se.* *Ad Hebr.* 4. *v.* 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Cognoscit etiam omnes earum actiones. *Ps.* 138. *a versu* 1. *usque ad* 16. Et *Jer.* 23. *v.* 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? dicit Dominus.*

Cogitationes occultas. 3. *Tertio Deus cognoscit occultas omnes cordium cogitationes.* *Ps.* 7. *v.* 10. *Scrutans corda & renes Deus.* *Ps.* 138. *v.* 2. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Et *Ps.* 43. *v.* 22. *Novit abscondita cordis.*

Bona & mala. 4. *Quarto Deus novit bona & mala sive pœnæ, sive*

culpæ. Cognoscit bona quæ fecit. *Gen.* 1. *v.* 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Cognoscit mala naturæ. *Sap.* 8. *v.* 8. *Signa & monstra scit, antequam fiant.* Scit mala pœnæ. *Eccl.* 11. *v.* 14. *Vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt.* *Prov.* 15. *v.* 11. *Infernus & perditio coram Domino.* Scit mala culpæ. *Ps.* 68. *v.* 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a Te non sunt abscondita.*

5. *Quinto Deus cognoscit non tantum generalia & universalia, sed singularia etiam vel minima.* *Matth.* 10. *v.* 29. 30. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* *Eccli.* 1. *v.* 2. *Arenam maris, & pluviæ guttas... quis dinumeravit?... Unus altissimus Creator omnipotens.* *Singularia minima.*

6. *Sexto cum Deus res omnes extra se cognoscat, non tantum præterita & præsentia, sed etiam futura contingentia cognoscit.* *Gen.* 18. *v.* 19. Unde videmus tot rerum futurarum prædictiones in omnibus fere S. Scripturæ locis. Et ipse Deus falsos Deos & idola provocat, ut res futuras prædicant, *Isa.* 41. *v.* 22. & per prædictionem & executionem se ab illis distinguit, *Is.* 46. *v.* 5. Denique nullum futurum Deo ignotum est; novit etiam ea, quæ sub conditione nuuquam implenda futura sunt. Nempe si quidquam horum omnium Deo esset occultum, non foret omniscius. *Præterita, præsentia & futura.*

Schol. Deum non omnia singularia cognoscere, videtur probari ex S. Hieronymo *in c.* 1. *Habacuc*, ubi ait: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur.* Verum S. Hieronymus solum vult, non tam specialem esse Dei Providentiam erga res vilissimas, quam erga creaturas rationales. Unde subdit: *Non simus tam fatui adulatores Dei... eamdem rationabilium Providentiam esse dicentes.* Quod vero etiam minutissimarum rerum cognitionem & Providentiam habeat, docet *ep.* 111. ubi miratur Creatoris solertiam in minutis quoque animalibus, formica, culice, vermiculis, & istiusmodi generis, quorum magis scimus corpora, quam nomina.

§. 64. *Hæc omnium universalium & singularium Dei cognitio est infallibilis & necessaria.* Si enim Deus ullius rei, quæ esse potest, vel est, ignorantia laborare posset, deficiente vel cessante in intellectu Divino rei etiam minimæ cognoscibilis cognitione, limes in eo deprehenderetur: sed sic Deus non amplius esset Ens infinitum (§. 55.), & consequenter non foret Ens a se, quod ejus essentiam destrueret. Ergo nullius rei ignorantia in Deo *Cognitio Dei est necessaria.*

est, adeoque absolute est necessarium, ut Deus omnia semper cognoscat.

Et æternus. 2. Sed quia quidquid absolute necessarium est, etiam æternum est (§. 45.), *cognitio Dei est æterna. Act.* 15. *v.* 18. *Notum a seculo est Domino opus suum.* Et intuitiva non symbolica; alias enim in modo cognoscendi quidam perfectionis defectus deprehenderetur, quod tamen esse nequit (§. 55.).

Schol. Poiretus cognitionem rerum cognoscibilium & possibilium in Deo ipsius arbitrio subjecit, ita ut illa cognoscere vel ignorare possit, prout ipsi videtur. Sed ex hoc sequeretur, ab arbitrio Dei etiam dependere, utrum intellectum infinitum, vel finitum habeat, & hinc utrum Deus sit, an non. Quod sane falsissimum est.

Deus seipsum comprehendit. §. 65. Intellectus Dei est infinitus (§. 61.), & Deus seipsum cognoscit (§. 63.): ergo *Deus seipsum perfecte cognoscit & comprehendit.* Ita 1. *ad Cor.* 2. dicitur: *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Cognoscit autem Deus seipsum absque ullo medio immediate per seipsum, quia in Deo nihil prius sua Essentia esse potest (§. 46.).

Datur in Deo vera scientia. §. 66. Quia Intellectus Dei est infinitus, illimitatus, immensus, ab omni errore immunis & infallibilis (§. 61.), adeoque nulla perfectione caret; hinc *datur in Deo veri nominis & perfectissima scientia.* Hoc docet S. Scriptura, 1. *Reg.* 2. *v.* 3. *Deus scientiarum Dominus est. Esth.* 14. *v.* 14. *Domine, qui habes omnem scientiam. Ad Rom.* 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Discrimen inter scientiam Dei & creatam. *Schol.* 1. Scientia Dei iis imperfectionibus, quibus creata, non subjacet: non enim est habitus, sed simplicissimus & purissimus actus: non est qualitas, sed ipsa Dei substantia: non est discursiva, sed uno simplicissimo actu omnia penetrat, est immota, æterna & indivisa. Imperfectiones quippe scientiæ creatæ, non scientiæ ratione sui præcise, sed ratione subjecti creati, in quo reperitur, adhærent. Unde facile solvi possunt argumenta eorum, quos tecto nomine refert S. Thomas, qui Deo rationem scientiæ proprie dictæ denegarunt.

Divisio scientiæ Dei. *Schol.* 2. Scientia & cognitio Dei in se est quidem unica, pro objectorum tamen diversitate varie a nobis concipitur. Scilicet alia est *scientia simplicis intelligentiæ*, quæ versatur circa res possibiles, sub ratione præcisa possibilitatis, abstrahendo ab omni futuritione & existentia. Hæc scientia etiam dicitur *necessaria*, quia intellectus Dei, utpote infinitus & illimitatus, non potest non possibilia ut possibilia cognoscere. Alia est *scientia visionis*, quæ versatur circa res vel existen-

tes, vel futuras aliquando. Hæc scientia etiam vocatur *libera*, quia cum productio rerum sit Deo libera, a libertate Dei etiam pendet, ut res tamquam existentes, vel futuras cognoscat. Præter hanc scientiæ Dei divisionem Ludov. Molina tertiam quamdam scientiam inter utramque mediam excogitavit, qua Deus ex comprehensione liberi arbitrii intuetur, quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo aut infinitis rerum ordinibus collocaretur, dictum arbitrium acturum esset. Cum vero hæc scientia plane inutilis sit, adeo ut ad fidei nostræ dogmata probanda ea non indigeamus, pro notitia historica eam hic indicasse sufficiat.

§. 67. Scientia proprie dicta est cognitio rei per causam: cum igitur in Deo detur scientia proprie dicta (§. 66.) respectu omnium creaturarum possibilium & actualium; ergo datur in eo cognitio earum per causam, maxime quia ad scientiam sufficit discursus virtualis, & quod unum sit notius altero ex parte rei cognitæ (§. 66. Schol. 1.), & ideo *Deus cognoscit res per causam.*

§. 68. Quia Deus scit possibilia, cognoscit illa in Essentia sua, utpote quæ omnia eminenter continet, & ab illis est participabilis. Ita ait S. Dionysius *de Div. nom. c. 7. Divina sapientia seipsam cognoscens scit omnia.* Neque dicas, ex hoc sequi, Deum alia a se non intuitive, sed abstractive solum in alio cognoscere. Nam res videntur intuitive, ut sunt in se, quando videntur in sua idea: sed Essentia Dei ex mox dicendis est rerum omnium idea: ergo Deus in Essentia sua creaturas intuitive videt: minorem ostendet *Deus possibilia cognoscit in Essentia sua.*

§. 69. 1. *Dantur in Deo ideæ.* Patet hoc *Primo* ex S. Scriptura, ubi *ad Hebr. 11.* dicitur: *Fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, id est, ut ex non apparentibus in ideis Divinis, seu in mente & arte Divina, existentia & visibilia fierent. *Secundo* subscribunt SS. PP. S. Dionysius *de Div. nom. c. 5.* ait, *in omnium causa prius constitisse omnium rerum exemplaria credendum est.* S. Damascenus *l. 1. de fide c. 3.* sic ratiocinatur: *Deus omnium auctor est: ergo omnium, quæ sunt rationes in se & causas, hoc est, ideas, jam ante in ipso præhabet.* Sane agens intellectuale habet in se imaginem illius rei, quam facturum est, ne temere & cæco modo agat. Ergo dantur in Deo ideæ rerum tam existentium, quas producit ad sui imitationem, quam possibilium, quas videt ad sui imitationem producibiles. *Dantur in Deo ideæ.*

2. Hæ ideæ sunt ipsamet Dei Essentia, prout est forma objecta intellectui Divino & cognita ab ipso ut imitabilis a creaturis. Nam idea definitur: forma objecta

intellectui intra illum existens, ad quam respiciens artifex operatur. Quare una realiter est in Deo idea, virtualiter tamen & ratione multiplex, quatenus Essentia Divina est diversimode a creaturis imitabilis & participabilis.

An Deus creaturas in seipsis immediate cognoscat? *Schol.* S. Dionysius *de Div. nom. cap.* 7. ait: „ Non ex „ rebus ipsis res noscens novit eas Divina mens, sed ex „ seipsa, & in seipsa secundum causam omnium scien„ tiam & notionem & essentiam præhabet, & ante com„ prehendit, non singulis secundum speciem intendens, „ sed secundum unicam causæ complexionem, cuncta „ sciens & continens... Seipsam igitur Divina sapientia „ noscens sciet omnia: materialia sine materia... nam „ si secundum unam causam Deus omnibus esse imper„ tit, secundum eamdem unicam causam sciet omnia „ tamquam ex se existentia, & in seipso ante præexi„ stentia, & non ex rebus rerum accipiat notionem... „ Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam „ vero communem res omnes complectentem; ipsa enim „ causa seipsam cognoscens nullo modo ea, quæ ab ipsa, „ & quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res „ cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius „ ipsa novit ". Hucusque S. Dionysius vulgo Areopagita. Ex quibus illa quæstio, an Deus cognoscat creaturas immediate in seipsis, quæ subinde majorum controversiarum Scholasticarum flammam succendit, optime solvi potest.

Scientia Dei rerum omnium causa est. §. 70. Deus est Spiritus (§. 47.); Spiritus vero operatur per intellectum & voluntatem; ergo etiam Deus; & quia ipse est omnium rerum contingentium causa (§. 41.), hinc *scientia Dei vera omnium rerum causa est*. Ita docet S. Scriptura, *Ps.* 103. *Omnia in sapientia fecisti*; & *Ps.* 135. *Qui fecit cœlos in intellectu*, id est, *in sapientia*, uti glossa exponit; & *cap.* 7. *v.* 21. Sapientia dicitur *omnium artifex*. Concurrit autem scientia Dei ad productionem rerum tam directive, quia Deus utpote agens intellectivum non cæco modo procedit, sed omnia in sapientia facit; quam effective, quia Deus res producit per actum imperii, *Gen.* 1. *fiat lux*. Imperium autem est actus scientiæ practicæ, quæ est effectiva..

Quomodo, & quare futura Deus cognoscat? *Schol.* Scholastici hic multo sudore indagarunt, an ideo res futuræ sint, quia præsciuntur a Deo, an vero contra ideo præsciantur a Deo, quia futuræ sunt. Sed quidquid sit de hac controversia, bene notat Cl. P. Gazzaniga *in Præl. Th. t.* 1. Si etiam verum esset, ideo res a Deo cognosci, quia futuræ sunt, minime consequeretur, eas ante Divinæ voluntatis decretum videri: ita enim signa in Deo coordinari debent. 1. Deus per

scientiam simplicis intelligentiæ omnia possibilia videt in sua Essentia & omnipotentia. 2. Ex infinitis possibilibus hunc rerum ordinem pro beneplacito suæ voluntatis esse voluit. 3. Demum scientia visionis ea, quæ futura sunt, cognovit.

§. 71. Scientia Dei quatenus versatur circa futura, dicitur *Præscientia* (§. 66. Schol. 2.). Per hanc *Deus certissime & infallibiliter præscit omnia futura, libera etiam & contingentia*. Præscire Deum illa, patet ex §. 63. n. 6. Quod vero infallibilis sit hæc Dei præscientia, ulterius demonstratur: nam omnis Dei cognitio sine ullo errore est (§. 61. n. 5.): ergo etiam præscientia Dei circa futura contingentia. Finge enim, eam esse fallibilem: tunc fieri posset, ut id, quod Deus prævidit, vel non, vel aliter eveniret. Quod si fieri posset, Intellectus Dei non esset omnium simultanea & distinctissima repræsentatio; quod repugnat veritati (§. 61.) demonstratæ. Ergo præscientia Dei est infallibilis. *Deus infallibiliter omnia præscit.*

Schol. Cicero *l. 2. de Divin.* cum præscientiam Dei cum libertate conciliare non posset, illam Deo detraxit, & sic, uti S. Augustinus *de Civ.* ait, *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*. Eamdem ob permissum Adæ peccatum Deo denegavit Marcion, teste Tertull. *l. 2. adv. Marc. c.* 5. Sociniani vero futura contingentia libera Deo conjecturis duntaxat, non certa cognitione nota esse contendunt. Falluntur hi ex particula *forte* non rite intellecta, quæ præscientiæ Dei circa futura libera in S. Scriptura additur, *Jer.* 26. *v.* 3. *Joan.* 5. *v.* 46. Sed in illis locis S. Scriptura humano modo loquitur, ut notet, eventum rei futuræ incertum esse respectu nostri, non respectu Dei, uti explicat S. Augustinus *in Ps.* 12. Siquæ etiam prædicta fuerunt a Deo, quæ tamen non evenerunt, non prænuntiabantur absolute, sed sub conditione: uti mors Ezechiæ spectato cursu naturæ; & subversio Ninive, si non sequatur pœnitentia. *Solvuntur objectiones.*

§. 72. *Hæc Præscientia Dei non imponit causis liberis necessitatem*. Nam *Primo* in scientia Dei nihil est præteritum, nil futurum, sed sola incommutabilis æternitas, in qua nihil mutatur, nil succedit (§. 45.). Ergo Deo sunt omnia præsentia. Sed scientia, qua cognoscitur aliquid præsens, non infert rebus necessitatem. Ergo nec præscientia Dei. Ita S. Anselmus *l. de Conc. Præsc. cum libert.* *Secundo* Deo infallibiliter præcognitus est ordo omnium causarum (§. 64.): sed in hoc ordine sunt etiam causæ libere agentes. Ergo cognoscit etiam causas liberas, & consequenter multa a libera hominum voluntate fieri. Ita S. Augustinus *l.* 5. *de Civ. c.* 10. *Tertio* Plura fieri possent, quæ tamen non fient. *Præscientia Dei non lædit hominis libertatem.*

Ergo etiam multa fient, quæ possent non fieri; vel saltem hoc non repugnat. Sed si hoc non repugnat, etiam non repugnat, aliquid præsciri contingenter futurum, scilicet, ita ut fieri non possit, & tamen fiat. Ergo sine detrimento libertatis certo & infallibiliter præsciri potest. *Quarto* Hæ duæ propositiones: Judas traditurus est Magistrum: & Judas poterit Magistrum non tradere, non pugnant inter se. Ergo nec hæ: Deus prævidet Judam Magistrum traditurum: & Judas poterit Magistrum non tradere. Unde nec implicat, quod Deus certo prævideat futuram Judæ traditionem, & tamen Judas libere Magistrum tradat.

Hæresis Joannis Huss. *Schol.* 1. Joannes Huss admisit quidem Præscientiam Dei omnino infallibilem, sed illam putavit tollere hominis libertatem: verum ille non consideravit, quod licet ex eo, quod Præscientia Dei sit certa & infallibilis, sequatur quidem infallibiliter effectus, non tamen necessario, utpote quem Deus præscit libere eventurum. Quippe Præscientia Dei est causa futurorum, non tantum eorum, quæ necessario, sed etiam libere futura sunt. Et Præscientia Dei posita, res non potest aliter evenire non necessitate simplici & absoluta, sed tantum necessitate conditionis & consequentiæ, sicuti dum aliquem scio ambulare, necesse est, eum ambulare, licet libere omnino ambulet.

In quo medio Deus futura libera absoluta cognoscat? *Schol.* 2. In quonam medio Deus futura absoluta libera cognoscat, litigant Scholæ. Molina vult, Deum illa cognoscere in supercomprehensione causarum secundarum ante decretum suum de earum futuritione. Ægidius Romanus docet, Deum illa antecedenter ad suum decretum certo cognoscere in suis ideis, sive in sua Essentia, prout habet rationem ideæ & exemplaris. Suarez asserit, illa a Deo certo cognosci in suis decretis ut futuris. Plures recentiores volunt, Deum illa cognoscere in veritate eorum objectiva, quam habent antecedenter ad omne decretum Dei, quia nimirum ex duabus propositionibus contradictoriis de futuris contingentibus altera debet esse determinate vera, altera determinate falsa. Theophilus Rainaudus *in nov. explic. libert.* vult, Deum cognoscere futura libera in operatione voluntatis creatæ, qualis futura esset in hypothesi, quod se sola agere posset. Thomistæ denique docent, Deum futura absoluta libera certo & infallibiliter cognoscere in suo decreto, quo ab æterno eorum futuritionem prædefinivit. Verum ad spinosam hanc quæstionem optime respondent Gregorius Marsilius, Ochamus; Gabriel Biel, & Petrus Collet *Inst. Th. tr. de Deo q.* 5. *a.* 2. qui ignorantiam suam fateri maluerunt, quam temere aliquid definire: sane ni-

hil interest decidere in quonam medio Deus hæc prospiciat, dummodo fixum ratumque maneat, nihil omnino Deum omniscium latere: id quod hucusque sufficienter demonstratum est.

Deus cognoscit futura contingentia conditionata.

§. 73. Deus futura contingentia conditionata tam non disparata, quando conditio cum futuro connexionem habet, quam disparata, quando illam connexionem non habet, certo cognoscit. Nam *primo* Deus multa conditionate futura in S. Scriptura, quæ nullam vel tantum contingentem connexionem habebant, prædixit, uti Regem Israel percussurum fuisse Syriam usque ad consumptionem, si septies terram jaculo percussisset, 4. *Reg.* 13. Tyrios pœnitentiam acturos fuisse, si apud eos signa facta fuissent. Ergo illa certo cognovit. Sane non cognovit conjecturaliter, cum ejus præscientia sit infallibilis (§. 71.).

De scientia media; & in quo cognoscat Deus futura conditionata.

Schol. In quo medio Deus futura contingentia conditionata cognoscat, famosa est in Scholis quæstio. Respondent Molinistæ, id fieri per *scientiam mediam*, taliter dictam, quia est media inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, per quam Deus antecedenter ad omne decretum absolutum, tum ex vi sui intellectus infiniti, tum ex determinata rerum futurarum veritate objectiva cognoscit, quid quælibet creatura operatura sit, si poneretur in talibus circumstantiis, cum his vel illis auxiliis gratiæ. Quo explorato, Deus deinde per decretum suum confert media fini intento congrua, & hominem certo ad salutem æternam perducentia. Hanc scientiam mediam tamquam SS. Litteris, & S. Augustino adversam, rationem primæ causæ in Deo, & dependentiam creaturæ a supremo Dei dominio destruentem rejiciunt Thomistæ docentes, Deum futura contingentia conditionata infallibiliter cognoscere in suis decretis absolutis ex parte subjecti, & conditionatis ex parte objecti, id est in decretis, non quæ Deus haberet posita conditione, quæ utpote dicentia potentiam & suspensionem judicii Deo actui puro repugnant, nec extraherent contingentia e statu puræ possibilitatis, adeoque nec facerent futura etiam sub conditione, siquidem illa solum vellent extrahere: sed in decretis, quæ actu & de facto habet Deus, quorum tamen effectus suspenditur, donec ponatur conditio, quæ proinde dicuntur conditionata ex parte objecti tantum. Hæc hucusque historice retulisse sufficiat; qui enim his tricis delectatur, gustum suum in Theologis scholasticis abunde & forte ad nauseam explere poterit. Unica responsio nobis sufficit: nihil horum nobis a Deo revelatum est.

Nec sensus nec

§. 74. Quia Deus non unum post alterum, sed omnia

Imaginatio in Deum cadunt. sibi simul distinctissime repræsentat, ita ut nulla repræsentatio cæteras claritate superet, *nec sensus nec imaginatio in Deum cadunt*. Sensus enim circa præsentia, imaginatio vero circa absentia versantur, nec omnia simul, & distinctissime cognoscunt. Quod de Deo dici nequit. Quare sensus v. g. visio &c. in S. Scriptura Deo attributa, metaphorice sunt intelligenda.

In Deo non datur reminiscentia, nec memoria. §. 75. Cum porro homo ope reminiscentiæ, quæ olim cognovit sibi denuo repræsentet, & pro iisdem recognoscat, quod nonnisi per repræsentationes successivas fieri potest, Deus autem omnia sibi simul & unico actu repræsentet (§. 61.), *reminiscentia & memoria in Deo locum non habet:* licet recordatio eatenus Deo insit, quatenus omnia præterita ut talia intellectu infinito semper cognoscit.

Schol. Quando igitur S. Scriptura Deo reminiscentiam tribuit, ratione effectus rantum intelligendum est, scilicet Deum actu demonstrare per effectum, quod rei memor sit. Et quia vices imaginationis & memoriæ supplet Intellectus Dei infinitus, imaginatio & memoria per eminentiam de Deo prædicari possunt.

Non datur in Deo oblivio. §. 76. Similiter oblivio supponit, quod repræsentatio mentis, quæ olim clara fuit vel distincta, obscura vel confusa reddita fuerit, unde successionem repræsentationum involvit. Cum igitur Deus, omnibus repræsentationibus obscuris & confusis exclusis, omnia distinctissime & simul cognoscat (§. 61.), *nulla oblivio in Deo esse potest.*

Deus mirari nequit. §. 77. Mirari dicimur, quando id, quod pro impossibili & non existente habemus, possibile vel exisrens esse deprehendimus. Cum igitur Deus omnia possibilia & existentia sibi simul & distinctissime repræsentet (§. 61.), nihil, quod pro impossibili, vel non existente habuerit, potest possibile & existens deprehendere; adeoque *Deus mirari non potest*.

Schol. Quando ergo S. Scriptura dicit, Deum non meminisse, vel mirari, ratione effectus intelligitur, scilicet, eumdem effectum esse, qui fuisset, si Deus ejus memor non fuisset: vel Deum cognovisse, quod effectus, quem homines non productum iri putabant, productus fuerit.

Datur in Deo suprema ratio. §. 78. Ratio subjective sumpta est facultas nexum possibilium vel rerum perspiciendi. Dum autem Deus omnia possibilia distinctissime cognoscit, non potest non omnem eorum nexum distinctissime perspicere. *Ergo Deo suprema ratio est tribuenda.*

Schol. Ratio Divina, quia nulla ei realitas deest, est illimitata, immensa (§. 57.) & incomprehensibilis, sicut Intellectus Divinus (§. 61.); unde ab humana ratione infinite differt.

§. 79. *Sacra Scriptura Deo tribuit voluntatem proprie dictam. Matth.* 6. *v.* 10. *Fiat voluntas tua. Ad Rom.* 12. *v.* 5. *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Ratio est, quia Deus gaudet intellectu (§. 60.): ergo etiam voluntate; nam voluntas est inclinatio in bonum ab intellectu cognitum, adeoque intellectum sequitur. Deinde Deus Spiritus est (§. 47.) & Ens perfectissimum (§. 40.): ergo voluntas tamquam essentialis Spiritui, & perfectio simpliciter simplex proprie Deo competit. *Voluntas in Deo est.*

§. 80. Quia Deus omnia distinctissime cognoscit (§. 61.), Voluntas Dei est inclinatio in bonum distinctissime cognitum; & quia quidquid est in Deo, est ipse Deus (§. 55. n. 1.), Voluntas Dei ex parte Dei spectata est ipse Deus, & ab Essentia Divina realiter non distinguitur. *Quid sit voluntas Dei?*

Schol. Villegas putat, voluntatem in Deo esse per modum potentiæ, quia Deus potuit elicere actum electionis reprobi alicujus, v. g. Judæ, quem tamen non elicuit. Sed communis est Theologorum sententia, voluntatem in Deo non esse per modum potentiæ, sed operationis; nam uti explicat S. Thomas 1. *p. q.* 41. *a.* 4. *ad* 3. voluntas Divina habet rationem potentiæ tantum respectu effectus seu termini ab ea procedentis, seu producti, quo in ordine potentia non habet se ut perfectibilis, sed ut illum perficiens. Deinde cum Deus sit actus purus, nequit voluntas ut potentia in eo reperiri. *An sit per modum potentiæ?*

§. 81. Voluntas Dei utpote Entis perfectissimi est perfectissima, adeoque omne bonum verum pro exacto bonitatis suæ gradu appetit & quidem constantissime, cumque bonum & malum sibi invicem opponantur, Deus omne malum pro malitiæ gradu aversatur. Quod omne bonum velit, & malum aversetur, patet ex *Ps.* 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es. v.* 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* 2. *Petr.* 3. *v.* 9. *Ad Tim.* 2. *v.* 4. Quod pro exacta bonitatis mensura appetat, docet Christus, *Matth.* 6. *v.* 25. ubi sic nos vult concludere: si Deus aves alit, & abjectum gramen vestit, multo magis vitæ nostræ alimenta, & corpori vestitum dabit. Ubi supponitur Deus majora bona magis, & sic pro gradu bonitatis appetere. Denique quod Deus bona constantissime appetat, ex *Epistola ad Rom.* 11. 29. patet. *Deus omne bonum vult & malum aversatur.*

§. 82. *Voluntas Dei æterna est*, & quidquid vult Deus, id voluit ab æterno. Nam voluntas Dei est realiter ipsa Essentia Dei (§. 80): sed essentia Dei est æterna. Ergo etiam ejus voluntas. Unde *ad Eph.* 5. *v.* 11. *ante jacta mundi fundamenta*, & 2. *ad Tim.* 1. *v.* 9. *ante tempora sæcularia* nos dilexisse dicitur. *Voluntas Dei est æterna.*

Immutabilis. §. 83. Pariter *Voluntas Dei est immutabilis*; si enim voluntas Dei ullam subiret mutationem, tunc tempore sequente aliquid in Divina voluntate esset, quod antea non fuit, adeoque in Deum mutatio variorum statuum caderet; quod cum esse non possit (§. 45.), voluntas Dei est immutabilis.

Voluntas Dei quotuplex? *Schol.* Voluntas ex parte Dei unica est, ratione tamen objectorum materialium, in quæ fertur, multiplex assignari solet. 1. Alia est voluntas Dei *necessaria* seu naturalis, qua Deus seipsum vult. Alia *libera*, qua Deus vult res extra se. 2. Voluntas Dei alia est *antecedens*, qua Deus fertur in objectum secundum se consideratum præcisum a circumstantiis. Alia est *consequens*, quæ fertur in objectum omnibus suis circumstantiis vestitum. Prima voluntas dicitur *inefficax* & *conditionata*: altera vero simpliciter *absoluta*, & *efficax*. Sic judex voluntate antecedente vult vere vitam hominis, voluntate vero consequente ejus mortem, si homo ille fur fuerit. 3. Voluntas Dei alia est *interna* seu *beneplaciti*, quæ est ipsa voluntatis Dei ad rem inclinatio. Alia est *externa & signi*, quæ proprie voluntas non est, sed tantum signum externum illius; quæ signa hoc versu comprehenduntur:

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Voluntas Dei naturalis est necessaria. §. 84. Voluntas Dei naturalis, qua seipsum & suam bonitatem vult, est omnino necessaria. Nam Deus propter infinitatem suam non potest non de omnibus infinitis perfectionibus suis gaudere (§. 55.). Item absolute necessarium est, ut seipsum perfectissime cognoscat (§. 63. 64.). Quia autem ex cognitione perfectionis voluptas & complacentia oritur eo major, quo major est perfectio, vel quo certius est cognita, ideo fieri non potest, quin Deus summa complacentia ex seipso fruatur. Sed voluntas Dei, qua vult seipsum, est voluntas complacentiæ. Ergo quia hæc voluntas Dei, qua vult seipsum, est necessaria, etiam voluntas Dei naturalis est necessaria (§. 83. Schol.).

Deus nequit aliquid velle suis perfectionibus repugnans. *Schol.* 1. Quia voluntas Dei, qua seipsum vult, est necessaria, Deus nequit aliquid velle infinitis perfectionibus suis repugnans, & hinc quidquid vult, illis est conforme. Nec Deus-velle potest sibi ipsis repugnantia, hoc est impossibilia; his enim, dum idem simul ponunt & tollunt, nulla inest realitas, nulla perfectio, & ideo non sunt aliquid boni, consequenter Deus illa velle nequit (§. 81.).

Voluntas Dei est rectissima. *Schol.* 2. Quia quidquid Deus vult, perfectionibus suis debet esse conforme, perfectiones autem Dei Deo insunt; hinc quidquid Deus vult, debet illi, quod Deo inest,

conforme esse. Cum vero ex hac conformitate cognosci possit, cur Deus id velit; ideo, quidquid Deus vult est tale, ut in aliquo, quod Deo inest, contineatur ratio, cur Deus illud potius velit, quam oppositum. Unde quidquid Deus vult, id Deum decet; & ideo volendi rationes subjectivæ ex Divinis perfectionibus pendentes dantur, & voluntas Divina, utpote conformis Divinis perfectionibus, rectissima est.

§. 85. Voluntas Dei antecedens non semper impletur; hæc enim versatur circa rem secundum se a circumstantiis præcisam, seu extra omnem cum aliis rebus connexionem, in quo statu fieri potest, ut eam Deus bonam judicet: cum vero in consideratione reliquarum circumstantiarum, & intuitu totius systematis mundani non amplius bona esse possit; hinc fieri potest, ut eam fieri voluntate consequenti velle non possit, adeoque voluntas antecedens non semper impleatur. E contra cum voluntas consequens feratur in objectum omnibus suis circumstantiis vestitum, & tota systemata mundana, adeoque motiva ad rem volendam simul considerentur, voluntas consequens effectum suum semper obtinet. Exempla voluntatis antecedentis non impletæ saltem quoad principale volitum habemus in S. Scriptura, *Ezech.* 24. *v.* 13. *Mundare te volui, & non es mundata. Prov.* 1. *v.* 24. *Vocavi, & renuistis.* Cum e contra de voluntate consequente dicatur, *Is.* 46. *v.* 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Ad Rom.* 9. *v.* 19. *Voluntati ejus quis resistet?* *Voluntas antecedens non semper impletur.* *Bene vero consequens.*

Schol. Ex eo, quod voluntas antecedens non semper quoad principale volitum impleatur, non licet inferre, eam in Deo non reperiri: alias Deus bonum sub quibusdam circumstantiis tale non vellet (§. 83. Schol.), adeoque non omne bonum vellet, quod ejus infinitis perfectionibus repugnat (§. 81.). Nec argui potest, repugnantes sibi invicem in Deo voluntates dari, quia subinde illud vult voluntate antecedente, quod consequente aversatur. Dispar enim inter utramque est ratio: Voluntas antecedens inclinat quidem ex quorumdam motivorum impulsu, sed saltem circa finem non decernit: a consequente vero habita ratione omnium motivorum decretum formatur. Denique quando voluntas antecedens cedit consequenti, non mutatio voluntatis & successio diversarum voluntatum in Deo fit: nam voluntas antecedens & consequens sunt in Deo simul & ab æterno, sed ita, ut inclinatio voluntatis consequentis fortior sit inclinatione voluntatis antecedentis, ideoque hæc illi cedat, ubi ambæ non conspirant. *Solvuntur objectiones.*

§. 86. Voluntas Dei antecedens, etiamsi effectum suum *Voluntas antece-*

dens est seria. principalem non obtineat, nihilominus seria est. Nam serio velle dicitur, qui ita vult, ut agat, dummodo non impediatur: sed voluntas Dei antecedens cum velit bonum, si non obstent motiva fortiora contraria, voluntatem consequentem contrariam producentia, & voluntas consequens antecedenti conveniens est, obtinet effectum & agit pro inclinatione Dei ad omne bonum: ergo licet ob aliquod impedimentum non impleatur, nihilominus seria est.

Voluntas beneplaciti. *Schol.* Voluntas antecedens est etiam voluntas beneplaciti: hæc enim est ipsa voluntatis Divinæ in rem inclinatio (§. 83. Schol.). Sed Deus serio in rem præcisis circumstantiis spectatam inclinatur, & serio eam vult: ergo est voluntas beneplaciti.

Deus vult omnes salvos fieri. §. 87. Deus etiam post Adæ lapsum vult voluntate antecedente non otiosa, sed activa beneplaciti & seria omnes homines salvos fieri. *Primo* hoc indicat S. Scriptura, 1. *ad Tim.* 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Loquitur hic Apostolus de hominibus post lapsum Adami; docet enim, Deum illos velle salvos fieri, pro quibus vult, ut oremus, scilicet Reges &c. uti ex contextu patet: item dicit, Christum se redemptionem dedisse pro iis, quos Deus vult salvos fieri: item ait, *vult*, non, *voluit*. Quæ omnia Adæ lapsum supponunt. Deinde 2. *Petri* 3. dicitur: *Non vult Deus aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et *Ezech.* 33. *v.* 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat.* Ubi frustra excipitur ab adversariis, Deum non delectari quidem morte peccatoris, quod textus per verbum חפץ indicat; velle tamen, adeoque nolle dare gratiam ad salutem. Nam חפץ non solum delectari, sed etiam velle sine ulla delectatione significat, *Jer.* 42. *v.* 22. Denique *Apoc.* 3. dicitur: *Sto ad ostium, & pulso.* Et *Isa.* 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quæ omnia voluntatem non otiosam, sed activam & beneficam ostendunt. *Secundo* probat hoc Clemens Alex. *l.* 7. *Strom.* & ita docet S. Augustinus ab adversariis in suas partes male adductus, dum *l. de Spir. & litt. c.* 33. ait: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut in eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur.* Et S. Prosper in *resp. ad* 2. *object. Vincentii* ait: *Sincerissime credendum atque profitendum, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant.* *Tertio* accedit ratio: Salus hominis viatoris post Adæ lapsum secundum se præcisis circumstantiis considerata est bona: ergo cum Deus velit omne bonum

(§. 81.), eam verâ, sincera & propria voluntate beneplaciti vult.

Solvuntur objectiones Calvini & Jansenii.

Schol. 1. Calvinus docet, Deum velle solum salutem Prædestinatorum. Jansenius vero *l.* 3. *de grat. Chr. c.* 20. post lapsum Adami nullam aliam voluntatem salvandi omnes homines in Deo agnoscit, quam nudam velleitatem & complacentiam circa eorum salutem, nihil omnino gratiæ causantem. Et pro sua sententia citat I. S. Augustinum, qui in *Ench. c.* 103. citata verba Apostoli: Qui vult omnes homines salvos fieri, ita explicat, scilicet, quod nullus salvetur, nisi per Divinam voluntatem. Item explicat in sensu accommodo de generibus singulorum, non de singulis generum. Et in lib. *de corrept. & grat.* ita exponit, quod Deus dicatur velle omnium salutem, quia jubet, ut nos omnium salutem velimus. Verum S. Doct. de voluntate consequente in his locis agit contra Semipelagianos, qui dicebant, sensum Apostoli esse, quod Deus voluntate consequente & efficaci velit omnes salvos fieri, ita ut per illos solos stet, sine ullis gratiæ viribus hanc Dei voluntatem simpliciter efficacem reddere. In quo supposito S. Augustinus tenet, Apostolum non posse intelligi nisi in sensu accommodo, ne cogamur concedere, omnipotentem aliquid voluisse, quod tamen impletum non sit. Hoc autem salvo, ait S. Doct. *Textus Apostoli quocumque alio modo intelligi potest*, sicuti etiam nostram interpretationem adducit in libro *de Catech. rud.* & eam supponit in omnibus locis, ubi docet, Deum dare omnibus gratiam sufficientem, & Christum pro omnibus esse mortuum. II. S. Thomas vocat voluntatem antecedentem velleitatem comparate ad voluntatem consequentem; non enim voluntas antecedens est sterilis, quia ejus effectus est præparatio auxiliorum sufficientium, de quibus etiam parvulis in utero defunctis providit, Baptismum instituendo. Salutem vero dæmonum utpote extra viam constitutorum non vult voluntate antecedente actuosa & beneplaciti, sed meram circa illam habet complacentiam. III. Nonnulli ex nostris Theologis, licet in dogmate conveniant, verbis tamen dissentire videntur; unde rite intelligendi sunt. Sic aliqui a voluntate omnes salvandi excludunt infantes sine Baptismo morientes, uti Dominicus Soto; sed loquuntur de mediis salutis actu receptis, non vero præparatis & oblatis. Hugo Victorinus vocat voluntatem antecedentem voluntatem signi respectu finis seu beatitudinis, non respectu mediorum. Alensis vult, voluntatem antecedentem versari circa antecedentia salutis non solummodo naturalia, sed spectantia ad ordinem gratiæ. Sylvius docet, voluntatem antecedentem

non esse formaliter in Deo; sed relate ad voluntatem consequentem, quæ semper impletur, loquitur.

An sit de fide, Deum omnium salutem velle?

Schol. 2. De fide est contra Pelagianos, Deum absoluta & efficaci voluntate solos prædestinatos salvos fieri velle; quam veritatem contra Pelagianos S. Augustinus sæpissime præsertim in suo *Enchiridio* inculcat. Deinde etiam fide certum est, Deum voluntate antecedente & inefficaci velle aliquorum salutem, qui non sunt prædestinati; nam *Joan.* 6. *v.* 40. Christus ait: *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium & credit in illum, habeat vitam æternam.* Et Apostolus 1. *ad Tim.* 4. *v.* 10. de Christo ait: *Qui est Salvator omnium, maxime fidelium*, cum tamen certum sit, non omnes credentes & fideles esse prædestinatos. Denique quantum ad voluntatem antecedentem generalem salutis omnium omnino hominum, quamvis bona Theologorum pars eam in Deo esse dicat, adeo ut quibusdam hæc propositio fidei proxima esse videatur, nulla tamen adhuc habetur Ecclesiæ definitio. Unde Vasquez *in* 1. *p. disp.* 95. censet, Deum non velle salutem parvulorum, qui baptizari non possunt, cui subscribit Em. Sfrondatus *in nodo Prædest. p.* 1. *S.* 1. & ipse Ill. Bossuetus *defens. de la tradit.* hanc sententiam cum aliqua approbationis specie refert. Imo ipsi Theologi generalem hanc salutis omnium Dei voluntatem admittentes inter se dissentiunt. Recentiores fere omnes volunt, eam esse voluntatem *beneplaciti*, antiquiores vero eam duntaxat esse voluntatem signi contendunt. Putat tamen P. Berti *l.* 5. *de Theol. discipl. c.* 2. hos Theologos in re cum aliis conspirare, licet in verbis dissentiant.

Voluntas Dei est causa rerum.

§. 88. Voluntas Dei consequens omnium rerum extra Deum existentium causa est. Ita dicitur *Apoc.* 4. *v.* 11. *Tu condidisti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Ratio est, quia Deus est primum agens spirituale, adeoque per voluntatem & intellectum omnia producit (§. 70.).

Mala vero solum permittit.

Schol. Igitur cum Deus mala velle non possit (§. 81.), nonnisi permissive voluntas Dei circa existentiam malorum versari potest: quæ permissio est omissio ejus, per quod agens in agendo impediretur. Unde

Permissio mali perfectioni Divinæ non officit.

§. 89. 1. Permissio mali metaphysici perfectioni Divinæ voluntatis omnino est conveniens. Nam malum metaphysicum in defectu ulterioris realitatis, sive in limitationibus realitatum entis consistit: sed sine malo metaphysico nulla creatura esse potest, eo ipso, quod sit finita & limitata, & sic omnes realitates non habeat; igitur si Deus creaturam producere bonum esse judicavit, facere non potuit, quin malum metaphysicum eidem

adhærens permitteret, & consequenter si sapientiam Dei productio creaturarum decebat, etiam permissio mali metaphysici perfectioni Divinæ voluntatis conveniens fuit.

2. Permissio etiam mali moralis perfectioni Divinæ voluntatis conformis est. Quippe malum morale seu peccatum consistit in defectu convenientiæ actionum liberarum cum regulis ipsarum. Jam vero Deus mala moralia permittit intuitu majoris boni, ad quod illa dirigi posse vidit; si enim mala non permitteret, quando ex hac permissione majus bonum oriturum cerneret, omne bonum non vellet: proinde cum bona majora minoribus præferre summæ perfectioni voluntatis Dei conforme sit, permissio etiam malorum moralium perfectioni Divinæ voluntatis conformis est.

Schol. Creatura rationalis ideo malum morale committere vel peccare potest, quia intellectus ejus utpote limitatus non omnia distinctissime cognoscit, adeoque malum pro falso bono saltem in his vel illis circumstantiis habere, & consequenter voluntas actum intellectus sequens appetere potest. Unde ipsa creaturæ limitatio est ultima possibilitatis peccati, seu mali moralis origo, & mali moralis possibilitas pendet ex malo mataphysico: Deus autem cum omnia distinctissime cognoscat, & ab omni errore & falso judicio remotissimus sit (§. 64.), absolute impeccabilis est. Actualitas vero mali moralis seu peccati ex abusu libertatis oritur, dum intellectus debita attentione ad momenta rerum & circumstantias omissa, bonitate & pravitate non rite examinata, motivis tantum sensualibus in actionibus suis dirigendis fertur, & sic a lege aberrans in peccata ruit. *Cur creatura sit peccabilis?*

§. 90. Deus est summe liber circa creaturas. Sic *Ps.* 93. dicitur: *Deus ultionum libere egit.* Ratio est: Deus non solum omnia possibilia distinctissime cognoscit (§. 61.), sed etiam voluntas ejus sponte agit, utpote principium actionum suarum in seipso, scilicet in repræsentatione intellectus sui habens. Et de rebus extra se omnibus eligere & velle potest, quidquid placet, cum omnia possibilia cognoscat distinctissime, & quia unum æque ac alterum existens reddi potest, uni tantum objecto non sit alligatus. Igitur Deus in voluntate ad entia extra se tendente summam libertatem possidet; nam libertas est dominium sui actus ad opposita. *Deus est liber circa creaturas.*

Schol. Disputant hic Scholæ, in quonam libertas Dei formaliter consistat; nam quia actus Dei liber ut talis essentialiter habet, quod potuerit non esse, cumque ex eo, quod sit Divinus & vitalis, sit Deo intrinsecus & cum ipso identificatus, videtur imperceptibile, quomodo aliquid Deo intrinsecum & cum eo identificatum potue- *In quonam consistat libertas Dei?*

rit non esse. Respondemus breviter ad hanc quæstionem, cujus solutio humanum captum longe transcendit, actum Dei liberum esse ipsum ejus actum necessarium, non quatenus necessarius est, & ad Divinam bonitatem terminatur, sed prout sine dependentia terminatur ad creaturas ceu effectus sibi non necessarios, sive prout dicit habitudinem & terminationem non necessariam ad creaturas. Nam hoc modo actus Dei necessarius est a creaturis plane independens, cum hæ nullatenus cogant ad sui volitionem, quin potius ob suam limitatam bonitatem eum ad sui volitionem & nolitionem indifferentem relinquant. Ergo hoc modo liber est, quia habet essentialia libertatis, quæ consistit in dominio sui actus ad opposita. Deinde hoc modo concipi potest, quomodo actus liber sit quid Deo intrinsecum, & tamen aliquo sensu deficere, & non esse possit; nam actus necessarius est aliquid Deo intrinsecum & Divinum, cum sit ipse Deus; & tamen est aliquo modo quid defectibile, quia licet sit entitative necessarius, reduplicative tamen quatenus terminatur ad creaturas non est necessarius, quæ non esse potuerunt, & illis deficientibus deficeret ista terminatio, adeoque quid intrinsecum terminativum in Deo, non vero aliquid intrinsecum entitativum.

Deus non potest aliquid velle suis perfectionibus repugnans. §. 91. Quia autem Deus non potest quidquam summis suis perfectionibus repugnans velle. (§. 83. Schol. 1.); nec libertas Dei eo extendenda est, ut pro illa quidquam perfectionibus suis repugnans velle possit. Sic Deus non potest velle seipsum annihilare (§. 45.), non potest velle alium Deum essentialem producere &c. Neque timendum est, quod Deus libertate sua unquam abutatur. Nam quia cognitio Dei sine omni errore est (§. 64.), fieri nequit, quod Deus optimum judicet, quod tamen optimum non est: & quia voluntas sequitur cognitionem boni, fieri nequit, ut Deo id maxime placeat, quod tamen non est optimum, & quod illud eligat, in quo abusus libertatis consistit (§. 89. Schol.).

Objectum Divinæ voluntatis. *Schol.* Quæritur in Scholis, an sola Divina bonitas sit objectum motivum & terminativum Divinæ voluntatis, an vero bonitas creata sit etiam objectum ejus terminativum, aut an immediate in seipsa Divinam voluntatem terminare possit. Respondent defensores scientiæ mediæ affirmative. Negant vero Thomistæ, volentes objectum Divinæ voluntatis tam motivum quam terminativum esse solam Divinam bonitatem increatam, bonitatem vero creatam esse tantum objectum materiale & secundarium. Nam a voluntate Dei per se attingitur sola bonitas increata, quia hæc sola ceu primum bonum & volibile ab essentia Divina primo repræsentatur. Bonitas

autem creata amatur a Deo propter Divinam bonitatem, utpote a qua omnem suam bonitatem per creationem obtinuit.

§. 92. Voluntas Dei consequens de rei existentia appellatur Decretum Divinum, & quæ Deus voluntate consequente voluit, ut fierent, decrevisse dicitur. Ita vocati *ad Rom.* 8. *v.* 28., 2. *ad Tim.* 1. *v.* 9. & electi *ad Eph.* 1. *v.* 11. dicuntur *secundum decretum Divinum.* *Decretum Dei.*

Schol. 1. Quidquid extra Deum existit, pendet a decreto Divino. Item quia voluntas Dei est æterna, decreta etiam Dei æterna sunt: item quia voluntas Dei est immutabilis, decreta ejus sunt immutabilia: & quia voluntas Dei consequens semper impletur, decreta Dei ad effectum semper deducuntur, sunt tamen libera; quia totius mundi nexum ob limitationem intellectus nostri non perspicimus, rationes speciales decretorum Dei semper indicare non possumus. *Decreta Dei sunt æterna & immutabilia.*

Schol. 2. Decretum Dei dicitur efficax quoad actus creaturæ liberos vel ab intrinseco ex se, & natura sua infallibiter inferens effectum; vel ab extrinseco, quod infallibilem connexionem cum futuro eventu habet ex consensu voluntatis creatæ per scientiam mediam prævisο. Quærunt Scholæ, an Deus ab æterno actiones nostras liberas prædefiniverit, & unde infallibilis efficacia Divinorum decretorum circa actus nostros liberos sit repetenda. Defensores scientiæ mediæ imprimis hunc ordinem actuum Divinorum statuunt. 1. Deus per scientiam mediam videt quid Petrus facturus sit, si in his vel illis circumstantiis ponatur, ex sua libertate. 2. Decernit permittere lapsum Petri sub his circumstantiis prævisum infallibiliter futurum. 3. Per scientiam visionis videt lapsum absolute futurum. Quo supposito dicunt, nullum esse in Deo decretum ex se ab intrinseco efficax circa actus nostros liberos, sed tantum decretum indifferens generale, concurrendi cum voluntate creata; Deum autem per scientiam mediam præscire, ad quid voluntas creata sub tali concursu se sit determinatura. Quare actus nostri liberi a Deo quidem sunt præsciti, non tamen immediate in se prædefiniti, sed tantum in concursu generali & indifferenti oblato. Igitur hoc decretum est quidem conditionatum, si nimirum creatura se determinaverit, qua conditione impleta & prævisa per scientiam mediam transit in absolutum, & producit in tempore concursum ad extra sine novo decreto. Alii vero secundum decretum concurrendi ad hunc determinate actum, & quidem absolutum requirunt, ita ut actus nostri liberi sint quidem prædefiniti, sed hæc prædefinitio non est ex se infallibiliter efficax, sed ex consensu per *An Deus ab æterno actiones nostras liberas prædefiniat?*

scientiam mediam præviso: nec hoc decretum est, determinandi voluntatem ad hunc actum, sed concurrendi simultanee ad illum in illis circumstantiis, in quibus voluntas creata prævisa est, seipsam determinatura. Probant hoc I. ex S. Scriptura, ubi *Eccl.* 15. Deus dicitur hominem reliquisse in manu consilii sui. *Act.* 7. enim Spiritui S. resistere, quod tamen non foret, si decreta essent ex se efficacia. II. Multi Patres hæc decreta ex se efficacia rejiciunt. III. Putant illa officere libertati humanæ, quia non relinquunt in illa potentiam expeditam ad oppositum. IV. Deus alias moveret ad peccatum.

Schol. 3. Thomistæ e contra docent, Deum ab æterno prædefinivisse omnes actiones nostras liberas, non tantum mediate decernendo exhibere concursum ad illas; sed immediate in seipsis bonas positive quoad realitatem & mortalitatem seu bonitatem: malas vero positive quoad realitatem & entitatem, permissive vero, quoad malitiam seu defectum ulterioris perfectionis actui debitæ. Ex quo sequitur, quod efficacia Divinorum Decretorum circa actus nostros liberos sit ab omnipotentissima Dei voluntate, & dominio in nostras voluntates, non vero a consensu nostro præviso, & Decreta Dei sunt ex se efficacia. Hoc colligunt 1. ex S. Scriptura, quæ passim docet, voluntatem Dei consequentem seu decretum ejus ita esse efficax, ut illi resisti non possit; *Esther* 13. & 14. Deum facere, ut faciamus; *Ezech.* 36. facere de nolentibus volentes: cum ergo per decretum simultanee concurrendi non faciat, ut faciamus, sed faciat, cum nos faciamus: cum non velit, ut velimus, sed cum nos voluerimus: cum concursui indifferenti resisti possit, eo ipso quod non efficiat, sed expectet nostrum consensum, decreta ex se efficacia erunt. Quando igitur S. Scriptura dicit, Deum reliquisse hominem in manu consilii sui, ostendit eum habere liberum arbitrium ad unum non determinatum. Quia tamen libertas humana est causa secunda, non excluditur actio primi liberi & causæ primæ, a qua dependet: unde ita est in manu consilii sui, ut etiam sit in manu Dei non necessario trahentis, sed dantis virtutem & operationem, ut omnia libere fiant. Deinde voluntati antecedenti tantum resisti potest, non vero consequenti saltem in sensu composito, ita ut non possit simul jungi non actus cum motione ad actum; licet resisti possit in sensu diviso, ita ut cum illa motione habeatur potentia dissentiendi, quia Deus ita movet ad agendum, ut simul moveat ad libere agendum. 2. Ita docet S. Augustinus *l. de grat. & lib. arbitr.* ubi ait, Deum facere, ut faciamus; & multoties alibi. Et S. Thomas inter alia *q.* 3. *de potent. a.* 7. inquit, Deum

esse causam actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum applicat actioni. Ergo Deus actus etiam nostros liberos prædefinit decreto ab intrinseco efficaci. Patres in contrarium citati, nil aliud volunt, quam quod homo libere agat & non necessario determinatus ad unum. 3. Probant ratione: scilicet, omnes actus nostri liberi, consequenter etiam consensus noster in opus bonum, cadunt sub Divinam causalitatem, quia quilibet est determinatio causæ creatæ ab influxu causæ primæ dependentis. Ergo Deus omnia prædefinit decreto intrinsece efficaci: nam concursus simultaneus non influit in voluntatem, ut eam determinet, sed tantum in effectum, sicuti etiam ex eo, quod Deus nos ponat in illis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidit, nos concursui indifferenti libere consensuros, determinationem nostram non causat. Deinde hæc sententia libertatem humanam cum Calvino non tollit: licet enim concordia libertatis cum præmotione sit mysterium, omnia tamen ad libertatem requisita vindicat: nam vi motionis præviæ voluntas non ita determinatur, ut nihil agat, aut passive se habeat, sed ut ipsa se tamquam agens secundum primo subordinatum in ordine suo determinet: hinc servat suam indifferentiam activam, quæ non consistit in indeterminatione, quæ est indifferentia passiva, sed in tali determinatione consistit, ut sub ea maneat potentia ad oppositum; alias enim si voluntas seipsam solam determinaret ex supposito, determinando se amitteret indifferentiam activam & libertatem, quod tamen falsum est. Quare indifferentia activa, quæ est libertas actualis, definitur: quod sit facultas, per quam positis omnibus natura prærequisitis voluntas sic agit, ut possit non agere potentia antecedente, & in sensu diviso. Quamvis igitur decretum Dei prædeterminans antecedat nostram determinationem & eam infallibiliter causet, quia tamen eam non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum causat, ut nimirum libere fiat; ideo voluntas habet veram potentiam ad oppositum, & quidem expeditam, quia motio facit, ut libere agamus, & posito decreto efficaci ad unum voluntas non caret aliqua actualitate requisita ex parte actus primi seu potentiæ, sed tantum ex parte actus secundi; cum motio efficax sit complementum potentiæ non quasi dans posse, sed dans agere, quatenus potentiam præsuppositam applicat ad agendum. Denique Deus determinat solum ad materiale seu reale peccati, non vero ad defectum ulterioris realitatis, qui est mera privatio, & formale seu malitia peccati. Actus quidem & malitia inseparabiliter conjunguntur; sunt tamen distincta ita, ut actus spectet ad or-

dinem physicum, quo modo est a Deo: malitia vero ad ordinem moralem, quo modo non continetur intra objectum Divinæ potentiæ, sicuti in uno eodemque pomo oculus solum colorem, non vero odorem attingit. Quare Deus movet voluntatem ut libere & limitate operetur modo effectivo, non defectivo; hinc voluntas non peccat, quia præcise elicit, sed quia modo defectivo elicit. Unde latum patet discrimen inter sententiam Thomisticam & Calvinisticam, quæ libertatem homini negat, & Deum auctorem peccati facit.

Quomodo libertas salvetur? *Schol.* 4. R. P. Berti *l.* 4. *de Theol. disc. c.* 13. cum reliquis Augustinianis systema delectationis victricis amplectens, libertatem creaturæ cum decretis Divinis ex se efficacibus in eo salvari putat, quod in hoc statu nunquam objectum sub omnimoda ratione boni proponatur; unde nihil ita delectat, quin possit voluntas aliis cogitationibus & affectibus excitatis illud repudiare. Quare in eo solum Augustiniani a Thomistis differunt, quod hi efficaciam Divinorum decretorum a præmotione physica, illi vero a delectatione victrice repetant: de quo alibi in tract. *de gratia* agetur. Hæc iterum pro more historice retulisse sufficiat; concordia enim libertatis humanæ cum decretis Divinis semper grande mysterium remanebit.

Prædestinatio quid? §. 95. Decretum Dei de certis hominibus salvandis vocatur *Prædestinatio*. Quæ ex S. Augustino libro *de don. persev. c.* 14. definitur: *Præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

Explicatur. *Schol.* 1. Prædestinationis nomine nonnulli antiqui omne Dei decretum intellexerunt. Et tunc eam distinguunt in decretum electionis & reprobationis. Quia vero vocabulum Prædestinationis προορίσειν semper in bono sensu, pro decreto salutis in S. Scriptura sumitur, & Prædestinationis voci semper adhæret idea finis, quem prædestinans intendit, eam a voce reprobationis & ejus significatione distinguimus. Est autem Prædestinatio formaliter spectata actus intellectus: dicit enim ordinare media efficacia ad salutem, quod est officium intellectus. Hinc est actus imperii regulantis mediorum executionem: supponit tamen actum & decretum voluntatis, volitionem & intentionem finis, dilectionem & electionem, & ideo etiam vocatur *Electio*, *ad Rom.* 11. *v.* 5.

Prædestinatio quotuplex? *Schol.* 2. Prædestinatio spectari potest vel in *intentione*, quo sensu est absoluta Dei voluntas quosdam salvandi præ aliis per auxilia efficacia. Vel in *executione*, & est retributio gloriæ ob merita præcedentia. In hoc ordine rursus dupliciter considerari potest: vel in ordine

executionis præconceptæ & volitæ: vel in ordine executionis exercitæ. Decretum intentivum hoc est: Volo hunc perducere ad gloriam per modum præmii, & ideo illi præparare media congrua. Decretum executivum hoc est: Volo huic prius dare merita, & propter merita gloriam. Quare merita intrant ordinem intentionis non ut motiva, sed ut effectus: ordinem vero executionis intrant ut motiva, non per modum finis, sed tamquam media & dispositiones, personam præmio aptam reddentes.

§. 94. *Prædestinatio datur.* Sic *Matth.* 25. *v.* 34. legimus: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Et *ad Rom.* 8. *v.* 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Et S. Augustinus *l. de dono persev. c.* 19. ait: *Neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturam S. defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et S. Prosp. *in resp. ad object. Gallor.* ait: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat.* Ratio est, quia Deus nihil facit in tempore, quod ab æterno non præordinavit, alias inciperet velle in tempore, quod esse nequit (§. 82.): sed Deus in tempore alios præ aliis transmittit ad gloriam. Ergo illos ab æterno præordinavit & prædestinavit. *Prædestinatio datur.*

Schol. Qui fatalem ex astris necessitatem astruebant hæretici, uti Priscillianistæ & Manichæi: item qui hominem natura sua bonum vel malum salvandum vel reprobandum nasci dicebant, uti Valentinus, Basilides & Marcion, Prædestinationem in Deo negant. Hinc ita ratiocinantur: vel sum prædestinatus, vel non: si sum, quidquid egero, infallibiliter salvabor: si non sum, quidquid egero, infallibiliter damnabor. Agam ergo quod libet. Verum falsum est Sophismatis hujus illatum: si sum prædestinatus, quidqnid egero, salvabor; nam Deus non prædestinat ad finem, quin simul prædestinet ad media, quæ sunt opera bona, fuga peccati, cura salutis. Quare dilemma sic poni debet: vel sum prædestinatus dependenter ab operibus bonis ex gratia factis, vel non sum ob demerita: si sum; ergo operando bonum cum gratia salvabor: si non sum; ob demerita damnabor. *Solvuntur objectiones.*

§. 95. *Soli prædestinati salutem æternam consequuntur.* Nam *Matth.* 25. solis electis regnum cœleste promittitur paratum a constitutione mundi. Et S. Fulgentius *de fide ad Petrum c.* 35. ait: *Firmissime tene... nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari.* Et ratio est, quia nullus salvabitur sine dono perseverantiæ: sed hoc solis prædestinatis conceditur. Ergo illi soli salvantur. *Soli prædestinati salvantur.*

Catharini opinio. *Schol.* Ambrosius Catharinus duplicem salvandorum classem distinguit. Alii, inquit, sunt eximie Sancti, uti Beatissima Virgo & Apostoli &c. & hi sunt electi & prædestinati per efficacia gratiæ auxilia; alii sunt minoris perfectionis, qui non prædestinantur, aut efficaci aliquo adjutorio subtrahuntur a perditione, sed communibus auxiliis suffulti ad beatitudinem perveniunt. Ita communiter sententiam Catharini exponunt Theologi, & Bannez eam manifestam hæresim appellat; alii vero eum errasse censent. Tournely vero putat, Catharinum tantum duplicem prædestinandi modum in Deo statuisse, unum ante prævisa merita per efficacia gratiæ auxilia, in insigniter Sanctis, quos prædestinatos vocat; alterum post prævisa merita ex gratia omnibus communi elicita in promiscuo vulgo salvandorum. Verum Catharinus diversa plane tum in libro *de div. præd.* tum *in c.* 9. *ep. ad Rom.* docuit: & hunc duplicem salvandorum ordinem vult colligere ex *Matth.* 20. ubi dicitur: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi*, ubi ambo sunt salvandi, & duplex eorum ordo assignatur, unus eorum qui vocati sunt & non electi, alter eorum, qui simul vocati & electi sunt. Verum Estius notat, citatum locum ita explicari, ut novissimi in judicio hominum sint primi in judicio Dei, & primi in judicio hominum sint novissimi in Dei judicio. Deinde in regno, quo nomine præsentis temporis Ecclesia dicitur, Judæi, qui primi ad Ecclesiam vocati sunt, nondum ad fidem venerunt, & sunt novissimi: & Gentiles, qui novissimi prædicatione Apostolica invitati fuerunt, primi venerunt.

Prædestinatio est certa & infallibilis. §. 96. Prædestinatio est certa & infallibilis quoad consecutionem sui effectus. *Joan.* 10. *Nemo rapit oves meas*, id est prædestinatos, *de manu mea*. Patet etiam ex definitione prædestinationis (§. 93.), quæ est præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Deinde prædestinatio includit voluntatem Dei absolutam & consequentem (§. 93.); sed hæc semper impletur (§. 85.), & consequenter etiam prædestinatio, quæ proinde est certa & infallibilis.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Certitudini prædestinationis non obstat I. Quod Moyses *Ex.* 32. *v.* 32. petierit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Nam Moyses vel loquitur de libro viventium vita corporali, petitque mortem temporalem: vel per hyperbolem ob excessum amoris, & sub conditione, si fieri posset, locutus fuit. II. S. Petrus, 1. *Petr.* 1. vult, ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus, non Deo, sed nobis, quia bona opera sunt signum prædestinationis. III. Denique quando ex S. Augustino

citatur illud *tr.* 26. *in Joan. Si non traheris, ora, ut traharis:* quod communiter ita allegatur: *si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris;* non intelligitur de prædestinatione in intentione, quasi Deus nondum decreverit nostram prædestinationem, & nostris precibus moveri possit, ut decernat; sed de executione prædestinationis: scilicet: nondum percipis in te effectus prædestinationis; ora, ut percipias.

§. 97. Nullus de sua prædestinatione sine speciali revelatione certus esse potest. *Nescit enim homo, utrum amore, an odio dignus sit. Eccl.* 9. *v.* 1. Ratio est, quia prædestinatio dependet a Divina voluntate, & perseverantia finali: sed sine speciali revelatione nemo voluntatem Dei, & an similiter quis sit perseveraturus, scire potest, juxta Tridentin. Sess. 6. cap. 12. Ergo nec certus esse de sua prædestinatione. *Nullus de sua prædestinatione certus esse potest.*

Schol. 1. Calvinistæ docent, omnes fideles teneri credere fide Divina se esse prædestinatos: nam 1. *Joan.* 5. dicitur: *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Et 1. *ad Thessal.* 1. *v.* 4. *Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram.* Verum S. Joannes loquitur de vita æterna in spe, qua non perseverando frustrari possumus. Et S. Apostolus vel loquitur de electione ad gratiam fidei Evangelicæ, uti legenti contextum patebit: vel si loquatur de electione ad gloriam, bonam fiduciam, non vero omnimodam certitudinem indicat. *Solvuntur objectiones Calvinistarum.*

Schol. 2. S. Scriptura & Patres nobis aliqua signa ostendunt, unde conjecturalem certitudinem de nostra salute & prædestinatione habere possumus. Horum 1. est bonæ vitæ decursus: S. August. *de bon. perf.* 22. 2. Testimonium bonæ conscientiæ a gravibus peccatis puræ. 3. Adversitates hujus vitæ patienter propter Deum toleratæ: S. Chrysost. in illa verba: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, &c.* 4. Libenter audire verbum Dei: *Joan.* 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 5. Misericordia in pauperes: *Matth.* 25. 6. Dilectio inimicorum: *Matth.* 5. 67. 7. Humilitas: S. Gregor. *in Job.* 41. 8. Cultus beatissimæ Virginis Mariæ: SS. Bern. & Anselmus. *Signa prædestinationis.*

§. 98. Prædestinatio etiam est particularis determinate circa individua, & numerus prædestinatorum est certus non solum formaliter, ita ut non solum Deus prædestinaverit quot, sed etiam materialiter, quinam sint salvandi. Sic Christus *Joan.* 13. ait: *Ego scio, quos elegerim.* Et 2. *ad Tim.* 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Ratio est, quia quidam in tempore in individuo salvantur: ergo Deus ab æterno eos prædestinavit (§. 93.). *Prædestinatorum numerus a Deo est determinatus.*

An multi sint prædestinati? *Schol.* Numerum prædestinatorum esse exiguum relate ad homines totius mundi, docet Christus, *Matth.* 20. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. An vero ex Christianis Catholicis minor sit numerus prædestinatorum, quam reproborum, disputant Theologi, sed incertis utrinque fundamentis. Melius dicitur cum Ecclesia, quod soli Deo sit cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus.

Causa motiva prædestinationis. §. 99. Causa motiva, cur Deus aliquos ad gloriam prædestinaverit, est infinita Dei bonitas. Scilicet Deus homini pro hac infinita sua bonitate perfectiones conferre nititur, quas capere potest: sed salus æterna summa est perfectio, quam homo capere potest. Ergo hæc Deum ad aliquos prædestinandos movit.

An prædestinatio pendeat a meritis prævisis, vel sit mere gratuita? *Schol.* 1. Certum est, prædestinationem ad primam gratiam esse omnino gratuitam, & a meritorum præscientia independentem. Item certum est, prædestinationem in ordine executionis a meritis & bonis operibus dependere, prout alibi dicemus, saltem in adultis, quibus beatitudo confertur non solo titulo hæreditatis, sicuti parvulis, sed etiam titulo præmii & mercedis tamquam corona justitiæ. Disputant igitur Scholæ, an electio prædestinatorum ad gloriam, seu intentio & volitio efficax, quam Deus habet, dandi gloriam, seu decretum intentivum supponat merita prævisa, & ab illis pendeat tamquam a causa motiva, cujus intuitu Deus moveatur ad illos eligendos præ aliis; an vero sit pure gratuita ex sola Dei liberalitate & bonitate, nec supponat merita prævisa ut motivum prædestinandi, sed illa potius respiciat ut effectus a prædestinatione procedentes. Negant defensores scientiæ mediæ, inter quos Molina rem ita explicat: 1. Deus æquali voluntate generali vult omnium hominum salutem, & omnibus gratias sufficientes libero arbitrio permissas offert. 2. Per scientiam mediam præscit, quinam illa gratia oblata ex innata libertate bene usuri & in ea perseveraturi sint. 3. Hos præ aliis ad gloriam prædestinat. Congruistæ hunc ordinem ponunt: 1. Deus voluntate generali vult omnes salvos fieri, & sufficientes ad salutem consequendam gratias præparat. 2. Per scientiam mediam præscit, quomodo quisque iis uteretur, si in his vel illis circumstantiis poneretur. 3. Aliquos ex speciali dilectione & misericordia seligit, quos decernit ponere in iis circumstantiis, in quibus prævidit, eos gratia bene usuros & in ea perseveraturos. 4. Illis salutem decernit & eos ad gloriam prædestinat. Hinc prædestinatio quidem ad gratiam est omnino gratuita, quia Deus gratis statuit illos ponere in circumstantiis congruis; sed prædesti-

natio ad gloriam supponit prævisa merita ex gratia facta.

Schol. 2. Thomistæ e contra docent, prædestinationem ad gloriam in ordine intentionis esse mere gratuitam, & non fieri ex prævisis meritis, nec illa respicere ut motiva, quibus Deus inducatur ad aliquos eligendos, sed ut effectus ab ipsa derivatos & ad illam subsequentes. Quippe Deus gratis intendit ab æterno dare aliquibus in individuo gloriam & præmium per merita obtinendum, deinde vult dare merita; & hic est ordo intentionis, seu decretum intentivum, scilicet: Volo hunc perducere ad gloriam per modum præmii, & ideo illi præparare media congrua. Deinde Deus ab æterno decernit dare in tempore prius merita & media, per quæ possit obtineri gloria ut præmium; & hic est ordo executionis præconceptæ & volitæ, seu decretum executivum scilicet: Volo huic prius dare merita, & propter merita gloriam. Tandem in tempote confert merita & propter merita gloriam; & hic terminatur ordo executionis exercitæ. Argumenta pro prædestinatione gratuita ante prævisa merita petuntur *Primo* ex S. Scriptura, ubi *Luc.* 12. dicitur, complacuisse Patri dare pusillo suo gregi regnum, nulla facta mentione prævisorum meritorum. Maxime vero hoc colligitur ex *Epistola ad Romanos* c. 8. 9. & 11. ubi Apostolus ex professo de prædestinatione tractat, & eam omnino esse gratuitam probat exemplo Jacob, & Esau, dicens: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Deinde probat ipsius Dei testimonio, qui dixit Moysi: *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Ex quo infert: *Igitur non currentis neque volentis, sed miserentis est Dei.* Denique probat, quod nullus prior possit aliquid dare Deo, unde moveatur ad ipsum eligendum, sed quod habet a Deo accipit c. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Rursus c. 9. solvit objectiones contra hanc prædestinationem gratuitam, quarum prima est, Deum hoc modo iniquum fore: quam elidit exemplo figuli, qui non est iniquus, licet ex eodem luto faciat aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Altera est, peccatori relinqui locum excusationi, qui non sua culpa, sed voluntate Dei periret. Hanc solvit dicendo, neminem a Deo ad peccatum impelli, utpote qui omnes peccatores ad pœnitentiam invitat. Et demum c. 11. v. 33. con-

cludit exclamando: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus &c.!* Apostolus certe hic non loquitur de prædestinatione ad gratiam, sed ad gloriam, quia vocati secundum propositum sunt prædestinati ad gloriam, cum iis omnia cooperentur in bonum, quia sunt vasa misericordiæ præparata ad gloriam, quia vocantur, justificantur & glorificantur. *Secundo* Probant ex S. Augustino, qui hanc gratuitam prædestinationem contra Pelagianos & Semipelagianos in *l. de prædest. sanct. de corrept. & grat.* & in libro *de don. persev.* clare astruit, & *de præd. c.* 7. ait: *Ex duobus impiis ætate grandævis, cur hic assumatur, & alter relinquatur; o Judicia Dei incomprehensibilia!* Et S. Thomas 1. *p. q.* 23. *a.* 5. *ad* 3. ait: *Quare hos elegit ad gloriam, & alios reprobavit, non habet aliam rationem, nisi Dei voluntatem. Tertio* accedit ratio; quia qui prudenter agit, prius intendit finem, quam media: sed Deus prudenter agit, & gloria etiam ut merces & præmium est finis, merita vero sunt media; ergo prius intendit gloriam, non suam tantum, sed etiam electorum tamquam finem particularem, quam merita. Juxta hanc sententiam non læditur libertas humana, quia prædestinatio non solum attingit substantiam actus, sed etiam modum libertatis, ut nimirum causæ secundæ libere agant.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 3. Hac sententia Thomistarum tamquam S. Scripturæ, menti SS. Patrum & rationi conformior tenenda est, eamque doctissime & fuse satis inter alios plurimos probat R. P. Billuard *diss.* 9. & Cl. P. Gazzaniga in *Præl. Th. tom.* 1. nec eam enervant argumenta adversariorum & defensorum scientiæ mediæ, qui objiciunt I. *Matth.* 25. dicitur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* ubi electis regnum paratur possidendum, quia egerunt bona opera, pascendo esurientes &c. Et *ad Rom.* 8. dicitur: *quos præscivit, & prædestinavit*, ubi scientia præcedit prædestinationem. Et *Jac.* 2. *v.* 5. corona justitiæ repromittitur diligentibus Deum. Hinc etiam S. Petrus *ep.* 2. *c.* 1. monet, ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus. *Resp.* Particula *enim*, *Matth.* 25. refertur ad *τῷ possidete*, adeoque spectat ad ordinem executionis: vel si ad *τῷ paratum* referre velis, intelligitur de præparatione in ordine executionis præconceptæ & volitæ, non vero in ordine intentionis. Deinde Apostolus *ad Rom.* 8. juxta observationem S. Thomæ in *Comment.* non dixit, quos præscivit conformes fieri; sed quos præscivit & prædestinavit conformes fieri, ita ut conformitas non sit ra-

tio prædestinationis, nisi in ordine executivo, sed terminus vel effectus. S. Jacobus & S. Petrus loquuntur de ordine executionis tum volitæ, tum præconceptæ, in quo merita præcedunt. II. S. Ambrosius *l. de fide c.* 6. ait: *Quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Et S. Chrysostomus *hom.* 8. *in c.* 25. *Matth. Quia sciebam vos hujusmodi futuros Sanctos, hæc vobis a me præparata sunt. Resp.* Hi & alii Patres de prædestinatione in ordine executionis præconceptæ loquuntur, qui in concionibus ad excitandos fideles ad bona opera aptius exponitur. Cæterum de nonnullis veteribus, uti Theodoreto, Œcumenio, Cassiano, Fausto Rejensi, Hilario Arelatensi &c. notat P. Gazzaniga, eorum testimonia exigui esse ponderis, utpote qui Pelagianis vel incaute adhæserunt, vel proluserunt. III. S. Augustinus *q.* 68. *inter* 85. ait: Voluntatem Dei miserendi vel indurandi, venire *de occultissimis meritis*. Et *in ep. ad Rom.* dicit: *Sanctorum Deus non prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum.* Et *l.* 1. *ad Simplician.* ait: *Quod dictum est: elegit nos Deus &c. non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Item S. Augustinus quandocumque de gratuita prædestinatione loquitur, de prædestinatione ad gratiam non vero ad gloriam contra Pelagianos & Semipelagianos tractat: uti in *l. de. don. persev. c.* 10. *&* 18. ubi ait: *Neminem contra istam prædestinationem, nisi errando, disputare potuisse:* quod sane non tenet de prædestinatione ad gloriam. *Resp.* Bossuetus *defens. de la Trad. de S. Péres l.* 4. *ch.* 10. quatuor S. Augustini status distinguit. 1. Post suam conversionem, ubi recte de gratia sensit. 2. Quando hanc difficilem quæstionem examinans in errorem lapsus est. 3. Quando post Pelagianam hæresim ex errore resipiscens, nondum totam gratiæ œconomiam perspexit. 4. Cum ex assidua cum Pelagianis pugna oraculum Divinæ gratiæ factus est. Proinde argumenta ex ejus *quæst. & ad Rom.* allata nil probant, utpote eo tempore scripta, quo errore detinebatur, quem in *lib. de Præd. SS. c.* 3. *& lib.* 1. *retract.* correxit. In libro *ad Simpl.* loquitur de ordine executivo, sicuti etiam *Serm.* 7. *de verb. Dom.* & *l. de grat. & lib. arbitr. c.* 6. Item S. Augustinus non solum de prædestinatione ad gratiam, sed etiam ad gloriam cum Pelagianis disputabat, uti patet ex ep. S. Prosperi. Unde in citato loco loquitur de prædestinatione ad gratiam & gloriam; imo & prædestinationem inadæquate sumptam, ad gloriam scilicet, & quidem gratuitam, Baronius ad an. 490. sine periculo negari non posse censet. Et Bellarminus *l.* 2. *de grat. & lib. arb.* sententiam hanc fidem Ecclesiæ Catholicæ appellat. IV.

S. Prosper *ad Vincent.* ait: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati*. Et S. Fulgentius *l. 1. ad Monimum c.* 24. inquit: *Prædestinavit ad regnum, quos ad se prævidit misericordiæ prævenientis auxilio redituros.* Imo S. Thomas *l. 6. in c. 8. ep. ad Rom. Dicunt quidam*, ait, *quod præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis ... & hoc quidem rationabiliter doceretur, si prædestinatio respiceret tantum gloriam, quæ datur meritis. Resp.* S. Prosper solum vult, reprobos ideo non esse prædestinatos, quia Deus præsciens & permittere volens eorum peccatum, eos prius e vita eripere noluit, quod ad occulta ejus judicia spectat. S. Thomas docet, prædestinationem non tantum esse ad gloriam, sed etiam ad merita, ita ut merita sint effectus prædestinationis ad gloriam. V. Deus in tempore confert prædestinatis gloriam propter merita. Ergo ab æterno præordinavit conferre propter merita, quia videntur hæc duo inter se pugnare, Deum velle gloriam gratis dare, & tamen simul tamquam mercedem & coronam. Sane voluntas generalis antecedens salvandi omnes non stat cum gratuita prædestinatione, quæ libertatem humanam evertit, non conducit solatio fidelium, bonorum operum curam tollit, & acceptionem personarum in Deo arguit. *Resp.* Nulla est repugnantia, quod Deus gratis non propter merita prævisa vult dare gloriam; non tamen vult actu dare, nisi per merita & propter merita in ordine executionis. Voluntas antecedens salvandi omnes manet in eo, quod Deus sufficientia media salutis omnibus præparaverit, licet efficacia nonnullis solum conferre velit. Libertas humana non tollitur a prædestinatione, uti (§. 93. Schol. 3.) ostensum fuit. Deinde salus nostra in prædestinatione gratuita omnipotentis Dei manui committitur, quod sane magis nos consolari potest, quam si eam fragilitati nostræ relinquamus. Rursus prædestinatio gratuita non tollit curam & necessitatem bonorum operum, quia non est tantum prædestinatio ad finem, sed etiam ad media, quibus in executione finis obtineri debet, quæ sunt merita. Denique Deus acceptos personarum esse nequit, cum nemini aliquid debeat.

Prædestinationis effectus. *Schol.* 4. Ex sententia hac Thomistæ inferunt, vocationem efficacem, justificationem non interruptam & glorificationem. Item vocationem inefficacem, & justificationem per peccatum interruptam, bonum usum gratiæ & omnia merita exinde procedentia, in prædestinatis esse effectus prædestinationis. Item substantiam prædestinati & alia dona naturalia, prout occasionaliter serviunt ad finem supernaturalem, imo ipsam permissionem peccati, prout deservit majori peccantis a peccato resurgentis hu-

militati & sanctificationi, esse effectus prædestinationis in prædestinatis, quia sunt a Deo ex meritis Christi, ex intentione efficaci salvandi, & conducunt efficaciter ad gloriam, quæ est finis in intentione, & effectus in executione.

§. 100. Reprobatio est decretum Dei, quo Deus vult permittere, ut aliqui sua culpa a gloria decidant, & pro culpa infligere damnationis pœnam. *Reprobatio quid?*

Schol. Reprobatio non consistit in mera negatione prædestinationis, sed in actu positivo, quo Deus vult permittere, aliquos sua culpa deficere a gloria, & propter culpam infligere damnationis pœnam. Unde reprobatio consistit in actu intellectus supponente actum voluntatis. Reprobatio alia est *negativa*, quatenus importat voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa deficiant a fine, unde est actus positivus; quia tamen nihil efficit, sed tantum permittit, & permittere est quasi negative se habere, ideo dicitur negativa; quam P. Contenson & alii in exclusione positiva a gloria tamquam beneficio indebito constituunt. Reprobatio *positiva* est, quatenus importat ordinationem culpæ ad pœnam æternam: quæ quia aliquid faciendum decernit, nempe pœnam infligendam, dicitur positiva.

§. 101. Reprobatio datur. Hanc indicat S. Scriptura sub nomine *repulsionis*, *Ps.* 87. *v.* 6. *Despectionis*, *Eccl.* 7. *v.* 14. *Maledictionis*, *Matth.* 25. *Proscriptionis in diem malum*, *Judæ v.* 4. *Vasorum iræ & contumeliæ*, *ad Rom.* 8. *Filii gehennæ*, *Matth.* 23. *Filii perditionis*, *Joan.* 17. *v.* 12. Ratio est, quia ad Provisorem universalem spectat, ut in rebus defectibilibus sibi subjectis aliquas permittat deficere ob bonum universi (§. 89.), quod idem de deficientia a gloria tenet; cumque hoc sit reprobare (§. 100.), datur Reprobatio. Deinde Deus nihil exequitur in tempore, quod non decrevit ab æterno. Sed Deus in tempore aliquos reprobat; ergo etiam ab æterno. Unde etiam sequitur, reprobationem esse particularem, æternam & immutabilem (§. 96.). *Reprobatio datur.*

§. 102. Reprobatio positiva tam Angelorum, quam hominum est ex prævisis demeritis: id est, Deus nemini decernit pœnam æternæ damnationis, nisi propter prævisa peccata. Quippe *Ezech.* 18. *v.* 23. testatur Deus: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Et *c.* 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* Et 2. *Petr.* 3. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquot perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* *Secundo* hoc definierunt Concilia: Arausicanum a. 529. ait can. 25. *Aliquos ad malum Divina potestate esse præ-* *Reprobatio positiva est ex prævisis demeritis.*

destinatos non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum crederent, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Subscripsit Concilium Valentinum a. 855. can. 3. Et novissime Tridentinum sess. 6. can. 17. *Si quis dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote Divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. Tertio* accedit Traditio veterum PP. Tertulliani *l.* 2. *cont. Marcio. c.* 11. S. Aug. *l.* 3. *cont. Jul. c.* 18. S. Prosperi *c.* 7. *ad cap. Gallor.* S. Joannis Damasceni *l.* 2. *de fide c.* 26. *Deus ex seipso movetur ad miserendum, ad puniendum nonnisi ex præsupposita culpa. Quarto* ratio est: Deus nil vult, nisi quod habet rationem boni (§. 81.): sed pœna ex se non habet rationem boni, nisi præsupposita culpa; non enim est bonum, quod quis puniatur, nisi peccaverit, imo contrarium malum foret. Ergo Deus neminem positive reprobat sine prævisis demeritis.

Calvini hæresis & systema de prædestinatione. *Schol.* 1. Calvinus in libro *de prædestinatione*, in qua doctrina, sicuti etiam in materia de reali Christi præsentia in SS. Eucharistia a Luthero potissimum recedit, hoc sibi de Prædestinatione & Reprobatione systema finxit. 1*mo* Ratio, cur Deus quosdam prædestinaverit, aliôs reprobaverit, est sola Dei voluntas. 2*do* Unde Deus non omnium, sed eorum solum salutem vult, qui sunt prædestinati; & 3*tio* quia Christus eos tantum redimere potuit, quos Deus salvare voluit, hinc Christus non omnes homines, sed solos electos redemit. Quia vero 4*to* salus & redemptio hominum ab absoluto Dei decreto pendet, hinc fides, sine qua nemo salvari potest, ita necessarium est prædestinationis consequens, ut homo conversionem suam impedire non possit, & gratia convertrix non admittat ullam resistibilitatem: adeoque 5*to* perseverantia fidelium est necessaria, & fides excuti non potest: & quia 6*to* gratiæ convertrici resisti nequit, hinc illis, qui non convertuntur, hæc gratia deest, & Deus eos non vult convertere: & cum 7*timo* ex infantibus baptizatis ante annos discretionis morientibus, alii sunt reprobi, alii electi, ideo Baptismus solis electis prodest ad salutem. In hoc systemate non definit Calvinus, an voluntas, qua Deus non vult omnes homines salvos fieri, sit prior vel posterior prævisione peccati originalis; unde in duas sectas abierunt Calvinistæ. *Antelapsarii* volunt, Deum ante prævisum lapsum Adami alios ad gloriam, alios ad pœnam præordinasse, hoc ordine decretorum: 1*mo* Deus ab æterno decrevit suam gloriam manifestare, adeoque suam misericordiam & justitiam. 2*do* Quia vero misericordia benefaciendo, justitia vero puniendo declarari potest, hinc alios prædestinavit, alios reprobavit. 3*tio* Ut

Antelapsariorum systema.

vero tum misericordia, tum justitia declaretur, decrevit Deus, ut Adam peccaret, & cum eo tota simul ejus posteritas. *4to* Peccato vero in mundum ingresso, homines salvari non poterant, nisi per mediatorem; unde decrevit, ut Christus causa eorum, quos Deus prædestinavit, in mundum veniret, eosque solos redimeret, & ut soli electi vocarentur, converterentur, & in fide conservarentur, reprobi vero excæcarentur, & indurarentur. *Postlapsarii* docent, solum supposito hominis lapsu Deum nolle aliquos salvos fieri, hoc ordine: *1mo* Deus decrevit, hominem creare labilem, & lapsum ejus cum suis posteris permittere. *2do* Ex hac universa massa æternæ mortis rea, Deus quosdam prædestinavit, alios reprobavit ex solo suo beneplacito. *3tio* Solis prædestinatis missus est Redemptor. *4to* Omnes quidem promiscue vocantur externa Evangelii prædicatione, sed soli electi efficaciter, ut possint credere, & actu credant. *5to* Hinc soli electi salvantur, reprobi damnantur. Atque hæc est communior sententia Calvinistarum, qui proinde docent, Deum homines reprobare a gloria, & ad æterna supplicia destinare, propter lapsum Adami, licet Baptismum recipiant, sine ullis prævisis eorum demeritis, atque ideo eis fidem & gratiam denegare, & eos ad peccatum impellere & necessitare. Hæc hæresis partim refutata est in hoc §. partim alibi refutabitur. Rationes Calvinistarum infirmæ sunt: dicunt I. 1. *Petri* 2. *v.* 8. legimus: *his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt.* Ubi Beza legit: *in quod & positi sunt,* quia Græcus textus habet: εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, ubi neutrum ὃ refertur ad ly *non credunt*, ita ut sensus sit: *in quod*, scilicet, *ut non credant, positi sunt*, id est efficaciter prædestinati, nam τιθέναι significat *ordinare*. Sed lectio Vulgatæ nostræ, quæ eadem est cum Arabica & Syriaca, præferenda est. Deinde si etiam gratis lectionem Bezæ admitteremus, nil aliud sequeretur, quam reprobos positos esse in incredulitate, non per Dei prædestinationem, sed propria voluntatis eorum malitia. II. Deus dicitur excæcare & indurare corda reproborum, *Exod.* 7. *v.* 3. *Joan.* 12. *v.* 39. subtrahendo ex justissimo judicio gratiam, non impertiendo malitiam.

Postlapsariorum.

Schol. 2. De motivo reprobationis negativæ iterum non conveniunt Scholæ Catholicæ. Defensores scientiæ mediæ motivum reprobationis negativæ petunt ex prævisis demeritis hoc ordine: 1. Deus vult omnes salvos fieri, & sufficientes ad salutem gratias præparat. 2. Per scientiam mediam præscit, quinam illa gratia oblata non usuri sint ex innata libertate: vel quomodo oblata gratia quis uteretur, si in his vel illis circumstantiis pone-

Motivum reprobationis negativæ an sint prævisa demerita?

retur. 3. Abutentes ex innata libertate gratia oblata, & consequenter peccantes reprobat: vel, juxta Congruistas, statuit illos ponere in iis circumstantiis, in quibus eos prævidet gratia non bene usuros, sicque eos negative reprobat.

Schol. 3. Thomistæ e contra docent, reprobationem negativam fieri ante prævisa demerita, & si spectetur comparate, prout est horum potius quam illorum, non habere aliud motivum, nisi Divinam voluntatem; licet si spectetur absolute, prout est reprobatio aliquorum, habeat pro motivo aliquod bonum, scilicet universi, quod a Deo tamquam Provisore universali exigit, ut non omnia mala impediantur, ne Universum multis bonis privetur. Unde hunc ordinem ponunt: 1. Deus voluntate antecedenti vult omnes salvos fieri, & præparat gratias ad salutem necessarias. 2. Decernit permittere, ut aliqui sua culpa deficiant & peccent. 3. Decernit permissionem peccatorum finalem pro illis. 4. Denique decernit excludere propter peccata eos a gloria, & pœnam infligere. Hæc sententia fundatur 1mo in S. Scriptura, *ad Rom.* 8. *Antequam quidquam boni vel mali egissent, Jacob dilexi, Esau odio habui:* quod odium de minori dilectione intelligitur, qua quidam permittuntur suæ defectibilitati sine specialibus auxiliis a defectu præservantibus, quod est reprobare negative. Unde S. Augustinus *de præd. SS. c.* 7. ex hoc ostendit, nulla merita malæ actionis esse causam reprobationis. 2do Reprobatio negativa est voluntas permittendi, ut aliqui peccent, & peccando a gloria deficiant (§. 100. Schol.). Ergo peccatum non est ejus motivum. 3tio In his, qui pares sunt in defectibilitate, non potest assignari ratio, cur unus præ alio a Provisore universali permittatur deficere a fine, præter voluntatem Provisoris: sed omnes creaturæ rationales ad finem supernaturalem ordinatæ perinde per peccatum possunt ab eo deficere: ergo ex sola Dei voluntate pendet, quod hi potius, quam illi deficere permittantur. Et hæc ratio concludit in omni sententia; nam Deus potuit & hos & illos, qui peccant & pereunt abundantioribus auxiliis a peccato & perditione servare, vel in aliis circumstantiis constituere; quare autem non fecit? quia ex adorando suo justissimo consilio noluit. Huic sententiæ non obstat Concilium Tridentinum, dum ait, Deum neminem deserere, nisi prius per peccatum ab eo deseratur. Nam Deus nonnisi improprie eum deserit, quem a peccato non præservat per auxilia specialia, & efficacia indebita, quia illi non subtrahit auxilia ordinaria, quibus si non resisteret, ad bonum perveniret. Quippe Deus conferendo gratiam sufficientem habet

voluntatem antecedentem conferendi gratiam efficacem; nisi homo propria voluntate resistat sufficienti. Licet vero Deus per auxilia efficacia hanc resistentiam impedire posset, vult tamen ob fines altiores, voluntate consequente per subtractionem abundantioris gratiæ eum suæ voluntati relinquere. Hinc verum est, hominem propter culpam privari gratia efficaci, quam in collatione gratiæ sufficientis Deus illi dare volebat voluntate antecedente. Item verum est, eum ante culpam privari gratia efficaci, quia Deus voluntate consequente eum voluit permittere suæ propriæ defectibilitati.

An peccatum originale sit motivum reprobationis?

Schol. 4. Augustiniani cum D. Habert docent, peccatum originale etiam in baptizatis esse motivum reprobationis, quia S. Augustinus agens contra Pelagianos sæpe recurrit ad illud, uti *cap.* 8. *de dono persever.* imo diserte asserit, originale fuisse motivum etiam acceptatum reprobationis eorum, quibus remissum est, dicens *ep.* 105: *Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Et S. Thomas *q.* 6. *de verit. a.* 2. *ad* 9. ait: *Ratio reprobationis in hominibus est peccatum originale, ut dicit Augustinus.* Nec obstat definitio Trident. *Sess.* 4. *decr. de pecc. orig.* huic enim difficultati respondet Norisius in *Vindic. August. c.* 4. Peccatum originale intulisse pœnas proprias ipsius naturæ, & has per Baptismum non remitti, quarum præcipuæ sunt concupiscentia, & privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum in accepta justitia; & sic nihil damnationis remanet in baptizato prout damnatio culpam significat, non vero prout dicit pœnam ... Nullo vero pacto conceditur, hominem baptizatum damnari propter peccatum originale formaliter, & esse ratione illius ut causæ proximæ reprobatum: sed dicimus, radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium, qui damnantur quatenus ex illo ortum habuit privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, sub qua præciso auxilio speciali Dei homo salutem non consequitur, sed labitur in peccata, ob quæ proxime & formaliter a Deo damnatur." Hucusque de famosa illa controversia Scholastica de motivo reprobationis negativæ, in qua quid probabilius teneri possit, ex dictis de prædestinatione colligi poterit.

Sapientia quid?

§. 103. Deus in Prædestinatione non solum, sed etiam in omnibus operibus suis media convenientia fini naturæ suæ convenienti subordinat. Ergo sapientiam suam manifestat: quippe *Sapientia est scientia, media convenientia fini naturæ suæ convenienti, subordinandi.*

Deus est summe sapiens.

§. 104. *Deus igitur summe sapiens est.* Hinc S. Scri-

ptura solum Deum sapientem esse dicit, 1. *ad Tim.* 1. *v.* 17. *ad Rom.* 16. *v.* 27. sapientia scilicet infinita & independente. Ratio est, quia Deus omnia possibilia distinctissime cognoscit (§. 61.). Ergo etiam omnes fines naturæ suæ convenientes perspicit, & nullum mediorum possibilium ipsi incognitum est. Proinde habet scientiam media convenientia fini, naturæ suæ convenienti, subordinandi, adeoque sapiens est (§. 103.); quæ sapientia, propter infinitatem Dei (§. 55.), & quia ad omnes fines possibiles, omniaque media possibilia se extendit, infinita & summa est.

Schol. Sapientia Dei nobis incomprehensibilis est, cum nemini mortalium propter limitationem intellectus nostri omnes fines possibiles, & media possibilia perspicere liceat; unde eam S. Paulus *ad Rom.* 11. *v.* 33. in negotio rejectionis Judæorum & adoptionis Gentilium per ly *βάϑος* nobis impervestigabile exprimit. Porro sapientia summa postulat, ut non tantum fines intermedii sibi invicem, sed hi etiam omnes tamquam media, fini ultimo subordinentur; adeoque etiam sapientia Dei omnes fines intermedios fini alicui ultimo subordinavit. Videndum igitur, quisnam sit finis ultimus naturæ Divinæ conveniens, cum etiam Deus velit propter finem, quando ad extra operatur.

Finis Dei. §. 105. *Finis Dei ultimus est manifestatio perfectionum suarum cum resultante inde cultu Divino.* Nam *Prov.* 16. *v.* 4. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, Hebraice למענהו *ad responsionem sui* id est, ut fini suo respondeat. Qui finis dicitur manifestatio gloriæ suæ, *Isai.* 43. *v.* 7. Et hunc finem etiam in Redemptione hominum intendit *ad Eph.* 1. *v.* 11. & 12. Accedit ratio: nam ultimus finis dicitur, propter quem sunt omnes cæteri: sed Deus totum universum propter manifestandas suas perfectiones, & resultantem exinde cultum suum produxit, & omnes a Deo in toto universo intenti fines sunt ad hunc, ut ad manifestandas Dei perfectiones aliquid conferant. Nam finis in productione mundi a Deo sibi propositus non potest esse in ipso mundo, qui potius est medium ad finem, adeoque debet esse in Deo, quia extra mundum solus Deus existit; cumque non possit hic finis in Deo esse ad hoc, ut ullum perfectionis augmentum illi accedat, utpote quod ejus infinitudini adversatur (§. 55.), alius esse nequit, quam ut per mundum perfectiones Dei manifestentur, non per manifestationem simplicem, sed talem, quæ cum debito cultu copulata sit, cum simul ac perfectiones entis sint cognitæ, ejus consectarium sit cultus. Ergo hæc manifestatio est finis Dei ultimus.

Schol. 1. Nonnulli putant, perfectionem & felicitatem creaturarum intelligentium, & maxime hominum, esse finem Dei ultimum. Verum felicitas creaturarum non appetitur a Deo omnium maxime, sed seipsum, & quidquid ad ipsum pertinet (§. 84.). Deus omnium maxime appetit, quia ipse est absolute optimus & perfectissimus, & non potest minus bonum magis velle, quam majus. Ergo felicitas creaturarum non est finis Dei ultimus.

Schol. 2. Dum dicimus, manifestationem perfectionum suarum, & resultantem inde cultum esse finem Dei ultimum, non licet inferre, ullam in Deo ambitionem esse: homo enim ambitiosus suam tantum gloriam quærens, eripit Deo, quod Dei est, sibique tribuit *Ps.* 115. cum quidquid boni præstat, non propriis, sed acceptis a Deo viribus præstet, 1. *ad Cor.* 4. *v.* 7. Deus autem gloriam suam quærens vindicat sibi quod suum est, & consequenter ambitionis suspicioni non potest esse obnoxius. *In Deo non est ambitio.*

Schol. 3. Fini huic ultimo, scilicet manifestationi perfectionum suarum &c. Deus omnes fines intermedios, qui omnes ad ultimum tendunt, & quos passim S. Scriptura indicat, subordinavit. Ita fines corporum cœlestium, *Gen.* 1. *v.* 16. 18. telluris, *Isa.* 45. *v.* 18. aliarumque rerum terrestrium, *Ps.* 104. indicantur, & vel maxime inter fines intermedios salus hominum, ob quam totum Redemptionis opus in mundum introductum est, *Joan.* 3. *v.* 16. *ad Gal.* 4. *v.* 4. 5. est referenda.

§. 106. Directio actionum ad certum finem dicitur *Gubernatio*. Sic Rex dicitur gubernare Provinciam, quando civium actiones leges ferendo, delicta puniendo, benefacta remunerando ita dirigit, ne salus publica detrimentum capiat, sed amplificetur. *Gubernatio quid?*

§. 107. *Deus totum universum gubernat.* Ita *Primo* testatur S. Scriptura, *Sap.* 14. *v.* 3. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Et *c.* 12. *v.* 18. Speciatim vero quotiescumque sacræ paginæ indicant finem, ad quem actiones creaturarum diriguntur, toties nobis specimen gubernationis Divinæ ante oculos ponunt. Sol oritur & occidit, ut sit dies & nox: luna cum stellis radios emittunt, ne tempore nocturno lumen deficiat, *Gen.* 1. *v.* 16. 17. 18. Fontes emittunt aquam, terra herbas, ne animalia siti & fame pereant: pluvia terram humectat, ut frugibus fœcundetur, panis, vinum, oleum crescant, *Ps.* 104. *v.* 10. Dirigit etiam Deus actiones hominum, idque sæpe præter eorum intentionem, *Gen.* 45. *v.* 5. *Secundo* ratio est; Deus ultimum finem sibi constituit manifestationem perfectionum suarum (§. 105.), & ei su- *Deus totum mundum gubernat.*

bordinat omnes fines intermedios ad ultimum conducentes (§. 105. Schol. 3.). Ergo etiam omnes creaturarum actiones, quas fieri vel vult, vel permittit, dirigit ad certos fines intermedios & ad ultimum, & consequenter totum universum gubernat (§. 106.).

Quid in gubernatione Dei attendendum?

Schol. In gubernatione Divina tria attendenda sunt. 1. Fines, quos sibi Deus constituit. 2. Actiones vel media ad illum finem. 3. Directio eorum talis, ut finis obtineatur. Finis ultimus est manifestatio Divinarum perfectionum, ad quem obtinendum Deus hoc universum produxit ad perfectiones suas manifestandas accomodatissimum. Fines intermedios particulares tot sibi Deus constituit, ut omnes recensere, limites humani intellectus transcendat; nam nihil in tota rerum universitate sine fine Divino esse, sapientia Dei loquitur: inter quos non postremus est salus hominum tum hujus, tum alterius vitæ. Ad salutem hominis temporalem conducunt omnes creaturæ: ad æternam vero Incarnatio Filii Dei & illius Passio. Rursus gubernatio Divina in vitæ hominis ingressu, progressu & egressu se manifestat, uti unicuique vitæ suæ cursum attentius consideranti facile patebit.

Omnipotentia quid?

§. 108. Deus frustra intenderet manifestationem perfectionum suarum, & eligeret media ad hunc finem convenientissima, si res extra se existentes reddere non posset: hanc autem facultatem, omne, quod fieri potest, seu quod præter Deum possibile est, existens reddendi, vocamus *Omnipotentiam*.

Deus est omnipotens.

§. 109. *Deus est omnipotens. Primo* hoc patet ex S. Scriptura; nam *Gen.* 17. *v.* 1. Deus dicitur אלשדי quod ex Arabico שדו potentem esse derivatur. *Job.* 42. *v.* 2. *Scio, quia omnia potes. Eccli.* 1. *v.* 8. *Matth.* 19. *v.* 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Et 2. *ad Cor.* 6. *v.* 18. dicitur Κύριος παντοκράτωρ. *Secundo* ratio est. Deus pro infinitate sua omnes compossibiles perfectiones sine ulla limitatione possidet (§. 55.): sed perfectissima Dei cognitio & sapientissima electio rerum compatiuntur & exigunt, ut Deus eas extra se existentes reddere possit. Ergo potest eas existentes reddere; consequenter est omnipotens.

Schol. Potentiam Dei propter infinitatem Dei (§. 55.) est illimitata, & hinc incomprehensibilis (§. 56.); unde sicuti in numero objectorum nullos limites agnoscit, sic in facilitate agendi limitibus caret: quare per solum voluntatis actum res extra se existentes producere potest. Hinc *Gen.* 1. *v.* 3. dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux.*

Deus per omnipo-

§. 110. Deus omnia, quæ nec ex parte Dei, nec rei

repugnantia sunt, pro omnipotentia sua potest agere. Ratio est, quia omnipotentia est facultas omne, quod fieri potest, vel extra Deum possibile est, existens reddendi (§. 108.): sed quæ neque ex parte Dei, nec rei, repugnant, fieri possunt. Ergo Deus, qui est omnipotens (§. 109.), ea agere potest. *tentiam omnia non repugnantia facere potest.*

Schol. 1. Ex hoc sequitur 1. Quod impossibilia absolute talia non sint objectum Divinæ omnipotentiæ (§. 108.), quod non ex impotentia Dei, sed ex objecti incapacitate oritur, quod nullo modo esse potest. 2. Ea, quæ summis Dei perfectionibus repugnant, v. g. rerum oblivisci, malum appetere &c. non sunt objectum Divinæ omnipotentiæ, quia nequit aliquid velle suis perfectionibus repugnans (§. 84. Schol. 1.). 3. Deus potest existens reddere quidquid vult, *Ps.* 115. *v.* 3. quia quæcumque vult, non sunt repugnantia.

Schol. 2. Omnipotentiam Dei impugnarunt Origenes, Manichæi, Mahomedani, Abaillardus, Wicleffus, & Calvinus, qui *l.* 1. *Inst. c.* 16. §. 5. negat, Deum plura facere posse & majora iis, quæ facit & molitur. Contra quos sit

§. 111. Deus potest plura facere, quæ non fecit, & iis, quæ fecit, meliora. Sic *Sap.* 11. *v.* 18. dicitur: *Non impossibilis erat omnipotens manus tua ... ex materia invisa immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias.* Et *Matth.* 26. *v.* 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quæ cum Deus non fecerit, patet, eum plura facere posse, quam fecit. Deinde *ad Eph.* 3. *v.* 20. *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus & intelligimus.* Ergo iis, quæ fecit, majora absolute facere potest. Ratio est, quia omnipotentia Dei est illimitata (§. 109. Schol.) & infinita. Ergo per productionem præsentium rerum non exhauritur. *Deus potest plura facere, quam quæ fecit, & meliora.*

§. 112. Deus pro Omnipotentia sua miracula patrare potest. Plane in lectione S. Scripturæ hospes est, quem innumera fere miracula antiqui fœderis per Moysen & Prophetas, novi autem per Christum & Apostolos patrata lateant. Ratio est: Præsens universum est ejusmodi, ut quilibet ejus eventus aliter esse possit. Leges itidem motus non sunt absolute necessariæ, sed contingentes & mutabiles, quæ ex essentia corporum non fluunt. Ergo alii rerum eventus, quam præsens rerum natura fert, sunt in se possibiles. Sed eventus supernaturalis dicitur *miraculum*. Igitur quia miracula sunt possibilia, Deus pro omnipotentia sua ea præstare potest (§. 100.). Et quia miraculum est eventus supernaturalis, nullum *Deus potest facere miracula.*

autem ens præter Deum est supra naturam (§. 41.), facultas miracula patrandi soli Deo competit.

Schol. 1. Objectiones contra possibilitatem miraculorum jam alibi (§. 6. Sch. 4.) solutæ sunt. Cum vero sapientia Dei postulet, ut media finibus obtinendis subordinentur (§. 103.), non vult semper miraculose agere, sed tunc demum, quando hoc manifestatio suæ gloriæ per ordinem causarum intermediarum non obtinenda requirit. Facultas miracula patrandi hominibus a Deo communicatur, quando ad eorum preces Deus illa præstat, vel iis tamquam instrumentis ob potentiam obedientialem ad ea patranda Deus utitur.

Schol. 2. Deo, quatenus per causas secundas, & secundum ordinem a se constitutum possibilia existentia reddit, tribuitur *Potentia ordinaria*; quatenus sine illis, *absoluta*.

Bonitas quid? §. 113. Deus non solum bona præstare potest, sed etiam pronus est ad illa aliis entibus conferenda. Hæc promptitudo ad perfectiones alteri conferendas dicitur *Bonitas*, scilicet *moralis*.

Deus est summe bonus. §. 114. *Deus summe bonus est*. Ita S. Scriptura bonitatem Divinam celebrandam proponit *Ps.* 116. *v.* 1. *& seq.* 107. 108. 136. & alibi passim. Ratio est: qui vult omne bonum, is pronus est ad bona aliis conferenda, quæ sunt ex numero bonorum. Sed Deus vult omne bonum. Ergo pronus est ad bona aliis conferenda, & quidem summe (§. 55.). Ergo summe bonus est.

Indicia Bonitatis Dei. *Schol.* 1. Documenta Bonitatis Divinæ nobis opus Creationis, Redemptionis, & Lex moralis, quam Deus hominibus ad promovendam eorum felicitatem dedit, præbet: imo in ipsa etiam malorum permissione Deus secundum bonitatem suam agit (§. 89.); unde quidquid possidemus boni, a bonitate Divina derivandum est, *Jac.* 1. *v.* 17.

Deus cuivis creaturæ tantum boni conferre vult, quantum capere potest. *Schol.* 2. Deus cuilibet creaturæ tantum perfectionis conferre nititur, quantum potest capere. Sunt autem perfectiones creaturarum vel essentiales, vel accidentales. Perfectionum suarum essentialium quælibet creatura capax est, unde illas Deus cuilibet enti eo ipso largitur, quod ita existentiam illi conferat, sicuti essentiæ ejus convenit: sic homo omnibus perfectionibus ad essentiam hominis requisitis instructus est. Perfectionum autem accidentalium tantum cuilibet enti largitur, quantum Divinæ suæ sapientiæ est conveniens. Cum enim Deus semper sapienter agat (§. 104.), & non solum unum ens, sed totum systema mundanum producere decreverit, tantum de perfectionibus accidentalibus cuilibet enti largitur, quantum intuitu & ipsius entis, & omnium re-

liquarum circumstantiarum finibus intermediis & ultimo convenire judicat. Ex his facile solvi possunt, quæ Cerdoniani, Marcionitæ, Theocatagnostæ contra Divinam bonitatem possent objicere. Vid. S. Irenæum in libr. *adv. hær.* & Tertull. in libris *contra Marcion.* in mea Analys. PP.

Schol. 3. Quia vero Deus bonitatem suam pro capacitate subjectorum exercet, mirum non est, quod pii actiones suas ad Divinam gloriam & Legem conformantes magis bonitate Divina fruantur, quam impii, qui propter peccata sua exercitio Divinæ bonitatis se indignos & incapaces reddunt, & justitiæ Divinæ punitivæ subsunt. Sæpe tamen Deus erga impios majorem bonitatem in hac vita exercere videtur, quam erga pios: cujus rationes reddit S. Scriptura in sana etiam ratione fundatas. Scilicet Deus 1. impios beneficiis suis ad pietatis viam revocare cupit, *ad Rom.* 2. *v.* 4. Quo respectu Deo Longanimitas *ad Rom.* 2. *v.* 4. & Patientia *ad Rom.* 9. *v.* 22. & Expectatio tribuitur, 1. *Petr.* 3. *v.* 20. 2. Sæpe rebus secundis impios frui patitur, ut si Divinam patientiam negligant, in graviorem perniciem ruant & pœnam meritam solvant, *Ps.* 73. *v.* 2. 20. *Jer.* 12. *v.* 1. 3. Pios autem Deus sæpe malis affligi patitur, ut hæc mala apparentia vel illis sint media ad bona majora, si non in hac, saltem in altera vita, obtinenda, 1. *Petr.* 4. *v.* 12. 13. vel aliis in commodum cedant, exemplo Pauli *ad Philipp.* 1. *v.* 12. 14. vel ut per hæc mala minora a majoribus malis detineantur, exemplo Lothi, *Gen.* 19. *v.* 15. 16. semper autem honor Dei amplificetur, *ad Philipp.* 1. *v.* 20. *Cur Deus impiis bona faciat?*

§. 115. Cum Deus non solum bene velit hominibus (§. 114.), sed etiam benefaciat (§. 114. Schol. 1.), ideo non solum bonus, sed etiam *beneficus* dicitur, *Ps.* 118. *v.* 68. *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine:* id est juxta S. Hieronymum: *Benefecisti.* Et *humanitas* φιλανθρωπία Deo tribuitur, *ad Tit.* 3. *v.* 4. Imo Deus est summum hominis bonum. Bonum quippe nobis dicimus, quod statum nostrum perfectiorem reddit. Sed Deus est fons omnis boni & perfectionis (§. 114. cum Schol.), qui non solum pro omnipotentia sua bona nobis necessaria conferre potest (§. 109.), sed etiam propter summam bonitatem tot & tanta vult conferre, quot & quanta possumus capere (§. 114. Schol. 2.). Ergo summum nostrum bonum est. Quare Deus omnibus rebus præferendus, & omnia bona ab eo expetenda sunt. *Deus beneficus est.*

§. 116. Bonitas in misero, hoc est magnis imperfectionibus laborante exercita, dicitur *Misericordia.* *Misericordia quid?*

Deus summe miseri-cors est. §. 117. *Deus summe misericors est*. Ita S. Scriptura Ex. 34. v. 6. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis*. Item Ps. 144. v. 8. Luc. 1. v. 78. *Et misericordia ejus a progenie in progenies*. Ratio est: Deus omnium creaturarum, maxime hominum perfectionem promovere studet (§. 114.): sed miseri maxime exercitio bonitatis Divinæ indigent. Ergo Deus ad bonitatem in miseris exercendam maxime promptus, adeoque summe misericors est (§. 116.).

Schol. Deus misericordiam suam in opere Redemptionis humanæ, qua nos a reatu peccati, & pœnæ æternæ liberavit, ubi vere miseri eramus, vel maxime ostendit, unde merito Salvator hominum *ad Tit*. 3. v. 4. dicitur.

Justitia quid? §. 118. Bonitas sapienter administrata producit *Justitiam*, quæ est studium suum cuique tribuendi.

Schol. Justitia alia est *distributiva*, per quam unicuique distribuitur, quod cuivis debitum est, præmium bonis, & dicitur *remunerativa*; supplicium malis, & dicitur *vindicativa* seu *punitiva*. Alia est justitia *commutativa*, per quam unum pro alio, servata æqualitate rei ad rem, datur & accipitur.

Deus infinite justus est. §. 119. *Deus infinite justus est*. Hoc sæpissime innuit S. Scriptura Ps. 84. v. 14. *Justitia ante eum ambulabit*. Ps. 118. *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Ratio est: Deus infinite bonus (§. 114.), & sapiens est (§. 104.), & bonitatem suam pro sua sapientia dispensat (§. 114. Schol. 2.). Ergo infinite justus est (§. 11.). Vid. Tertull. *l*. 2. *cont. Marc*.

Deus judex supremus est. *Schol*. Bonitas sapienter administrata postulat, ut cum bonis actionibus præmia, cum malis pœnæ conjungantur. Ergo idem postulat justitia, quæ ex eadem ratione exigit executionem præmiorum & pœnarum, unde hujus exempla passim S. Scriptura exhibet; & quatenus Deus justitiam remunerativam vel punitivam exercet, Deus *Judex* dicitur.

Deus peccatum sine pœna non relinquit. §. 120. Sicuti Deus ob infinitam suam bonitatem & justitiam nullum bonum sine remuneratione, ita nullum peccatum sine pœna relinquit. Unde *Matth*. 16. v. 28. *Reddet unicuique secundum opera ejus*. 2. *ad Thessal*. v. 6. *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*. Et *Matth*. 10. v. 41. Christus potum etiam frigidæ aquæ uni ex minimis suis datæ se remuneraturum promittit. Ratio est, tum quia Deus odit peccatum, *Ps*. 5. v. 6. odium vero voluntatem puniendi in Deo indicat: tum quia per omne peccatum, si maneat impunitum, aliquid honori Divino detrahitur, quia peccans legem Divinam transgreditur, & summo Dei in se dominio obluctatur, & si peccatum maneat impunitum,

perinde esse judicabit, an Deo obsequatur, an obluctetur, adeoque cum hoc falsum sit, aliquid imminuit de judicio, quod de summis Dei perfectionibus ferendum est, quod est honori Dei aliquid detrahere. Per pœnam vero id, quod honori Divino detractum est, restituitur, dum peccator pœnam luens, eo ipso intelligit, perinde non esse, Deo parere aut refragari.

Schol. 1. Sociniani ut facilius necessitatem satisfactionis Christi impugnent, volunt, justitiam distributivam maxime punitivam ita in Deo liberam esse, ut ejus exercitium a libera ejus voluntate pendeat. Nam I. alias Deus non foret Omnipotens. Sed Omnipotentia ad impossibilia se non extendit (§. 110.). II. Deus ab æterno fuit justus, & tamen justitiam vindicativam non exercuit: verum hoc fuit solum ex defectu creaturæ peccantis; nam denominatio judicis petitur ex objecto creato.

Schol. 2. In Deo non est justitia commutativa in stricto ac proprio sensu, quia hæc consistit in æqualitate dati & accepti: sed nos nihil habemus ex nobis, quod Deo dare possimus, *ad Rom.* 11. *v.* 32. sed omnia nostra bona a Deo sunt. Latiori tamen sensu admitti in Deo potest justitia commutativa, quatenus opera nostra bona ex gratia elicita proportionem & æqualitatem habent cum gloria. ***An in Deo justitia commutativa?***

Schol. 3. Finis internus respectu Dei in infligenda pœna pro peccatis est restitutio ejus, quod honori Divino detractum est, & præstanda Deo satisfactio: finis vero externus est emendatio peccantis vel aliorum. Quia autem finem pœnarum internum semper Deus intendit, externum vero solum tunc, quando obtineri potest, cum non sit impossibilis casus, ut emendationi peccantis locus non amplius supersit; hinc finis pœnarum internus potest esse sine externo, uti contingit in damnatis. ***Finis Dei in pœnis infligendis.***

§. 121. Qui ad puniendum tardus est, & pœnam differt, quamdiu differri potest, is dicitur *Longanimus*. Sed Deus, cum pro infinita sua bonitate cuilibet tantum boni dare cupiat, quantum capere potest (§. 114. Schol. 2.), in pœna vero non detur bonum, sed eripiatur, ex bonitate sua pœnam semper, quoad fieri potest, differt. Ergo est summe Longanimus. Unde etiam *Longanimitas* Deo tribuitur *ad Rom.* 2. *v.* 4. Quæ etiam *ad Rom.* 9. *v.* 22. *Patientia* dicitur. ***Deus est longanimus.***

Schol. Deus pœnam differt, ut peccanti tempus emendationis relinquat: si vero peccator ex hoc occasionem arripiat de novo peccandi, putans, peccata sua nunquam puniri, & contra Divinam intentionem tempus emendationis negligat, pœnam sibi aggravat, quia omne

peccatum pœna sequitur; hinc recte dicitur, quod Deus tarditatem pœnæ gravitate compenset.

Veracitas quid? §. 122. Habitus veritatem dicendi, quando utilitas vel necessitas exigit, dicitur *Veracitas*. Arcanam enim veritatem sine utilitate revelare, vel garrulitas, vel infidelitas est.

Deus summe verax est. §. 123. *Deus summe verax est*. Sic *Ps*. 32. *v*. 4. dicitur, *rectum* seu verum *verbum Domini*. *Ad Rom*. 3. *v*. 4. *Est autem Deus verax*. Ratio est: Deus non solum pro omniscientia sua (§. 62.) omnem veritatem distinctissime cognoscit, adeoque dicere potest; sed etiam, quia omnium creaturarum, maxime hominum, perfectionem pro infinita sua bonitate vult (§. 114.), semper, quando in eorum utilitatem cedit, veritatem profitetur. Ergo summe verax est (§. 122.). Unde etiam verbis Divinis sine ulla dubitatione credendum est.

Mentiri nequit. *Schol*. Hinc Deus mentiri non potest. Jurasse tamen legitur in S. Scriptura, ut homines ad fidem verbis Divinis habendam magis moverentur.

Deus est fidelis, & severus. §. 124. Deus quatenus promissa servat, *fidelis*; quatenus comminationes exequitur, *severus* dicitur. Exempla Divinæ fidelitatis habemus in nativitate Isaac, *Gen*. 21. *v*. 1. 2. Et in Nativitate Christi secundum promissiones Divinas *ad Gal*. 4. *v*. 4. Item Fidelis vocatur, 2. *ad Cor*. 1. *v*. 18. *Fidelis autem Deus*. Et 1. *ad Thess*. 5. *v*. 24. Severitatis exempla habemus in Adamo peccante, *Gen*. 2. 3. in uxore Lothi, *Gen*. 19. *v*. 17. 26. Et Deus, *Deut*. 4. *v*. 24. dicitur ignis consumens, qui injurias sibi illatas punit. Ratio est: Qui veritatem dicit, ille vult suas promissiones boni, & comminationes mali servare; nam si non vellet, non dixisset in promittendo vel comminando veritatem: Deus igitur suas promissiones & comminationes servare vult (§. 123.) Sed qui eas vult servare, & potest servare propter suam omnipotentiam, ille servat; si enim non servaret, aut non vellet, quod immutabilitatem Dei lædit (§. 44.), aut non posset servare, quod ejus omnipotentiæ officit (§. 109.), consequenter Deus in servandis promissis fidelis, in exequendis comminationibus severus est.

Omne vaticinium a Deo datum impletur. *Schol*. Ex hoc sequitur, omne a Deo datum vaticinium impleri debere. Unde si Dei nomine vates vaticinatur, nec tamen id fiat, quod prædixit, ex hoc ipso criterio duce S. Scriptura, *Deut*. 18. *v*. 2. agnoscitur, vaticinium a Deo non profectum, sed temere a vate prolatum esse. Hæc autem impletio vaticiniorum non imponit causis liberis necessitatem, uti patet (§. 72.). Si quod vaticinium a vero Propheta profectum non imple-

tur, non absolute, sed sub conditione editum fuit; qua non impleta, nec vaticinium impleri debuit.

§. 125. *Sanctitas* Dei essentialis est separatio ab omni eo, quod essentiæ Divinæ repugnat, seu est separatio ab omni imperfectione. *Sanctitas quid?*

§. 126. 1. Deus habet essentialem sanctitatem. Ita S. Scriptura, *Exod.* 15. *Magnificus in sanctitate. Is.* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Ratio est: Deus non solum pro infinitate sua omnes summas perfectiones continet (§. 55.), sed eas etiam absolute necessario (§. 45.), æterne (§. 45.), & immutabiliter (§. 44.) possidet. Ergo ab omni imperfectione, quæ ullo modo cogitari potest, longissime abest, adeoque Sanctitatem essentialem habet (§. 125.). *Deus essentialiter sanctus est.*

2. Solus autem Deus est, cui Sanctitas essentialis competit; nam separatio ab omni imperfectione consequens infinitatis est; cum vero non detur ens infinitum, nisi Deus, hinc soli Deo sanctitas essentialis competit. 1. *Reg.* 2. *Non est sanctus, ut est Dominus.* *Et solus.*

Schol. Ex hoc infertur Sanctitas Divinæ voluntatis, utpote a qua omnis imperfectio remota est, ita ut solum verum bonum, nullum malum velit, in quo nobis sanctitas Divina imitanda est, ut bonum appetentes, malum fugiamus.

§. 127. *Deus semper vivit.* Sic 1. *ad Thess.* 1. *v.* 9. *ad Hebr.* 10. *v.* 31. *Deus vivus* dicitur. Ratio est: Vita spiritus consistit in continua ejus cogitando & volendo exercita actuositate: sed Deus ab æterno omnia possibilia distinctissime cognoscit (§. 61.), & quidquid vult, voluit ab æterno (§. 82.). Ergo Deus semper vivit, vita scilicet spiritui propria. Et quia actus intellectus & voluntatis Dei ipse Deus est (§. 53.), & Deo independentia ac Aseitas convenit (§. 40. 54.), Deus habet vitam independenter, & a se. *Deus semper vivit.*

Schol. Deus igitur immortalis est. Mors quippe vitæ opponitur, tamquam ejus privatio, unde quia Deus vivit semper & immutabilis est, non potest mori. Dicitur autem solus Deus habere immortalitatem, scilicet independentem, quo non obstante etiam Angeli & animæ rationales immortalitatem a Deo dependentem habere possunt.

§. 128. *Deus sibi sufficientissimus est.* Sic *Act.* 18. *v.* 25. dicitur *nullius rei indigens*. Et ratio est: Qui nulla re extra se indiget, sibi sufficientissimus est: sed Deus nulla re extra se indiget: non ad existendum, quia per essentiam suam existit (§. 42.) independenter ab omni alio ente (§. 54.), nec ad existentiam continuandam, quia per essentiam æternus est (§. 45.), nec ad ullam *Deus est sibi sufficientissimus.*

perfectionem sibi dandam, quia infinitus est (§. 55.), nec ad cognitionem sibi suppeditandam, aut consilium sibi dandum, quia omnia possibilia, omniaque media ad fines propositos possibilia distinctissime cognoscit (§. 62. 104.), nec ad res extra se existentes reddendas, quia per solam voluntatem omne possibile potest existens reddere (§. 110.), nec ad voluptatem percipiendam, quia ex seipso ineffabilem voluptatem percipit (§. 84.), nec ad emendationem sui, quia cognitio Dei est infallibilis (§. 64.), & voluntas ejus semper recta est (§. 81.). Igitur cum nullus casus fingi possit, quo Deus ulla re extra se indigeat, sibi sufficientissimus est.

Schol. Deus per se nulla re extra se indiget, indiguit tamen creaturis ad finem, quem sibi proposuerat, obtinendum extra se: cum enim ut finem ultimum velit manifestationem perfectionum suarum cum cultu debito (§. 105.), voluit, entia existere, quæ summas Dei perfectiones agnoscant & colant, & entia, ex quibus cognosci possent. En, cur Deus produxerit res extra se, & quidem licet per se sit sibi sufficientissimus.

Deus summe beatus est. §. 129. *Deus summe beatus est.* Dicitur enim 1. *ad Tim.* 1. *v.* 11. *Beatus Deus.* Et ratio est, quia Deus per infinitatem suam omnes, summasque perfectiones continet (§. 55.), & quidem perpetuo propter immutabilitatem (§. 44.), & quietissime propter independentiam (§. 54.); Beatitudo quippe summa consistit in perpetua & quietissima omnium summarumque perfectionum possessione.

Gloria & Majestas Dei. §. 130. Complexus omnium perfectionum Dei dicitur *gloria Dei*, vel *Majestas ejus*. Hæc si spectetur, prout est in Deo, dicitur *gloria Dei absolute spectata:* si prout a creaturis intelligentibus cognoscitur, *relative spectata*. Ex iis igitur, quæ de perfectionibus Divinis hucusque dicta sunt, satis patet, gloriam absolute spectatam Deo esse tribuendam. Unde vocatur in S. Scriptura *Deus gloriæ*, *Act.* 7. *v.* 2. Et omnis terra gloria ejus plena esse dicitur, *Is.* 6.

Schol. Gloriæ Dei absolutæ nec accedere, nec decedere quidquam potest, licet gloria Dei relative spectata major vel minor fieri possit, prout nimirum magis vel minus ab hominibus cognoscitur.

Deus affectus proprie non habet. §. 131. Deo non raro S. Scriptura *affectus* tribuit. Est autem affectus mutatio mentis vehemens, orta ex simultanea, & ideo confusa multorum bonorum vel malorum repræsentatione, quæ mutatio appetendo vel aversando se se exerit. Quia vero Deus est immutabilis (§. 44.), & nulla confusio in ejus repræsentationibus locum habet (§. 61.), in Deum proprie affectus non cadunt.

Schol. Quando ergo affectus Deo in SS. Scripturis tribuuntur, tale quid in iisdem Deo tribuitur, quod cum affectibus propriis similitudinem habet, Deoque dignum vel conveniens est, scilicet actus voluntatis & noluntatis. Ratio autem, cur S. Scriptura per ejusmodi locutiones, quæ proprium affectum denotant, de Deo loquatur, est, quia dum Deus aliquid vult cum affectu, vult vehementer, & quia vehementia non patitur simulationem, vult serio: unde ejusmodi locutiones Biblicæ denotant, quam serio, & quanto studio hoc vel illud Deus velit, aut aversetur.

§. 132. Amor Deo tribuitur tum erga seipsum, *Mal.* 2. *v.* 11. tum erga homines, & est voluntas Dei seria ex sui ipsius & hominum perfectione voluptatem capiendi: Deus ergo cum velit seipsum per voluntatem complacentiæ (§. 84.), & omnium creaturarum, præsertim hominum, perfectionem promovere cupiat (§. 114.), Deus seipsum & omnes creaturas, maxime hominem, amat. *Amor Dei quid?*

§. 133. Odium contra malum Deus sibi tribuit, *Zach.* 8. *v.* 17. Est autem odium in Deo seria aversatio a malo, qua malum non esse vult, quam summa voluntatis Divinæ perfectio involvit (§. 81.): sicuti autem amor Dei cum studio creaturis benefaciendi conjunctus est, ita, quia Deus pro summa sua justitia facere non potest, quin peccatum puniat (§. 120.), odium Dei contra malum cum studio puniendi est conjunctum. *Odium in Deo quid?*

§. 134. Hæc peccata puniendi in Deo voluntas, dicitur *ira* Dei, *Deut.* 6. *v.* 15. *ad Rom.* 1. *v.* 18. Cum enim Deo aliquid honoris debiti per peccatum detrahatur, quod per pœnam restituendum est, non potest ira Dei alio modo ipsi convenienti, nisi per voluntatem peccata puniendi explicari. *Ira Dei quid?*

§. 135. *Pœnitentiam* S. Scriptura Deo tribuit, *Gen.* 6. *v.* 6. Ubi denotat voluntatem destruendi id, quod Deus improbat. Subinde pœnitentia de Deo negatur, *Num.* 23. *v.* 19. *ad Rom.* 11. *v.* 29. ubi sermo est de pœnitentia proprie dicta, quia cum voluntas Dei sit immutabilis, pœnitentia autem, per quam pro malo habemus, quod antea bonum judicavimus, mutationem voluntatis inserat, non potest proprie ulla pœnitentia Deo competere. *Pœnitentia in Deo quid?*

§. 136. *Metus* est proprie aversatio a malo imminente. Quia vero nullum malum Deo imminere potest ob summam beatitudinem (§. 129.), nec metus Deo proprie potest competere, *Job.* 37. *v.* 24. Quando ergo metus Deo tribuitur *Deut.* 32. *v.* 26. 27. significat voluntatem Dei, quatenus malum sub certa conditione futurum improbat, aversatur, & antevertit. *Metus in Deo quid?*

§. 137. Metus, ne bonum, quod possidemus, nobis

Zelotypia in Deo quid? eripiatur, vocatur *Zelotypia*: cum autem Deo perfectiones suas nullus eripere possit (§. 129.), Zelotypia proprie in Deo locum non habet. Quia tamen fieri potest, ut summus cultus soli Deo competens, a creatura alteri, quam Deo tribuatur, & sic Deo suum eripiatur, Zelotypia Dei denotat voluntatem ejus, qua gloriam suam nemini daturus, & raptorem attentantem severe puniturus est, *Exod.* 20. *v.* 5.

Lætitia in Deo quid? §. 138. *Lætitia* Deo tribuitur, *Deut.* 28. *v.* 63. Sicuti autem lætitia est magnus voluptatis gradus ex cognitione boni ortus: ita lætitia Dei, est voluntas ejus, quatenus in bono acquiescit.

Tristitia in Deo quid? §. 139. E contra cum *tristitia* sit magnus tædii gradus ex cognitione mali ortus, tristitia Deo tributa *ad Eph.* 4. *v.* 30. denotat voluntatem Dei, quatenus malum ipsi ingratum vehementer improbat. Unde qui malum agit, Deum contristari dicitur, *Is.* 63. *v.* 10. *ad Eph.* 4. *v.* 30. quia malum Deo aversioni est (§. 81.).

CAPUT II.

De Deo Trino.

S. Scriptura Patrem, Filium & Spiritum S. Deum vocat. §. 140. Deum juxta doctrinam S. Scripturæ non tantum unum in essentia, sed etiam Trinum in Personis adoramus. Cum ergo de essentia & attributis Divinis capite præcedente actum sit, ad Trinitatem Personarum recto ordine progredimur. Scilicet, licet non sit nisi unus Deus (§. 58.), tres tamen sunt, quos verum Deum esse S. Scriptura testatur, quorum unum *Patrem*, *Joan.* 17. *v.* 3. Alterum, *Filium Dei*, 1. *Joan.* 5. *v.* 20. Tertium, *Spiritum Sanctum*, vel *Spiritum Dei* appellat, *Matth.* 3. *v.* 17. *Luc.* 3. *v.* 22. *Act.* 35. *v.* 3. 4. Filius Dei etiam dicitur *Jesus* & *Christus*, *Matth.* 16. *v.* 13. 16. Item *Verbum*, *Joan.* 1. *v.* 1.

Spiritus Dei & Spiritus S. idem sonat. *Schol.* 1. Per Spiritum Sanctum & Spiritum Dei idem subjectum denotari evidentissime patet ex *Matth.* 3. *v.* 16. & *Luc.* 3. *v.* 22. inter se collatis. Nam qui loco priore Spiritus Dei dicitur, in posteriore, nomine Spiritus Sancti denotatur.

Filius cur Verbum dicatur? *Schol.* 2. Clericus in *Comm. in Joan.* putat, S. Joannem denominasse Filium Dei *Verbum*, & hanc denominationem accepisse a Pythagoricis, & Platonicis, qui voce λόγος vel illi æquivalente νῦς ita usi fuerunt, ut Trinitatem sapere videantur. Verum cum Pythagorici & Platonici hunc modum loquendi potius a Judæis acceperint, a quibus eum in Ægyptum sciendi amore proficiscentes didicerunt, Judæi vero illum ex sacro Codice

edocti fuerint, præsertim ex illo *Ps.* 32. *v.* 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, quorum creatio *ad Hebr.* 1. *v.* 8. 10. clarissime Filio Dei tribuitur; non est ratio, cur S. Joannes Divino afflatu scribens, denominationem hanc a Græcis Philosophis mutuo acceperit, & non ex Sacro fonte Veteris Testamenti eam hauserit. Eadem ratio obstat, cur dicamus S. Joannem ex Paraphrasi Chaldaica *Gen.* 3. *v.* 8. hanc Christi denominationem non accepisse, quia hi Targumistæ eam etiam ex S. Scriptura didicerunt. Mos tamen de λόγῳ quodam Divino, licet non satis intellecto, apud Judæos & Philosophos quosdam Græcos receptus, occasionem præbere potuit S. Joanni, ut Evangelium suum hoc Filii Dei nomine exordiretur, ut per prædicata *Verbo* attributa, scilicet æternitatem, creationem mundi, Divinitatem, vivificationem, assumptionem humanæ naturæ, Judæos pariter & Græcos genuinam conditionem λόγȣ doceret, cum S. Joannes inter Judæos educatus, & Ephesi diu inter Græcos versatus fuerit. Unde porro sequitur, S. Joannem non voluisse agere interpretem Philonis, sed potius ejus & reliquorum ideam de Verbo erroneam corrigere, vel incompletam completam reddere. Et quia denominatio Filii Dei ut λόγος apud Judæos recepta fuit, etiam alii Scriptores Sacri N. T. præsertim S. Paulus *ad Hebr.* 4. *v.* 12. hoc nomine λόγος Filium Dei appellare potuerunt. Dicitur autem Filius Dei *Verbum*, quia sicuti cognitio in mente formatur, sic secunda Divinitatis Persona generatur a Patre; unde est terminus cognitionis Paternæ, & vocatur Patris Sapientia, Doctrina, Ratio, Sermo.

§. 141. *Patris Divinitatem* omnes admittunt, qui existentiam Dei concedunt, putantes nomen Patris ideo illi tribui, quod omnium rerum fons sit, & origo: unde probata existentia Dei (§. 41.), multis superfluum videtur, Patris Divinitatem ulterius probare. At vero Deus Pater relate ad creaturas, aliud quid denotat, quam relate ad Filium Divinum: unde hæc etiam Divinitas probanda est. Et quidem hanc astruit ipse Christus, *Joan.* 17. *v.* 7. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*. Et *v.* 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*. Ubi ly *solus* excludit tantum ea, quæ sunt extra Patris naturam, non Filium, qui in Patre est, sicuti Pater in ipso, non Spiritum S., qui ab utroque procedit. Ratio est: Filius Deus est, uti mox probabitur: ergo etiam Pater Deus est: nam dum Filius habet rationem Essentiæ suæ in Patre, non potest esse in Filio essentialis perfectio, quæ non ex Patre ortum traxerit: sed non posset ex Patre ortum trahere, nisi ipsi etiam Patri inesset. Ergo

Pater est Deus.

Filius Divinitate essentiali gaudere nequit, vel Essentia Deus esse, nisi etiam Pater Deus sit.

Filius est Deus. §. 142. *Christo, seu Filio Dei, competunt attributa soli Deo propria;* & 1. quidem *Aseitas:* nam qui ita vitam in seipso habet, sicuti eam Deus Pater habet in seipso, ille habet vitam a se, quia Pater tamquam verus Deus (§. 141.) eam habet a se (§. 40.). Sed Christus ita habet vitam in seipso, sicuti Pater, *Joan.* 5. *v.* 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Ergo Christus habet vitam a seipso; consequenter competit illi Aseitas. Nec obest, quod dicatur, Patrem Christo dedisse habere vitam in seipso; nam hoc solummodo indicat, quod Filius vitam quoad modum habendi non a seipso habeat, non autem quod vitam, quæ est a seipsa, non habeat, quia alias dici non posset, Filium Dei ita vitam in seipso habere, sicut eam Pater in seipso habet.

2. *Omniscientia, ad Col.* 2. *v.* 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Frustra autem dicitur, Christum tantum ex revelatione Divina omnia scivisse: nam scientia omnium rerum supponit intellectum infinitum, qui omnia possibilia distinctissime & simul repræsentet (§. 61.), in quo ipsa omniscientia consistit (§. 62.): cum igitur creatura non possit habere intellectum infinitum, utpote quod soli Deo proprium est; Christus ex revelatione omnia scire non potuit. Eamdem omniscientiam astruit S. Petrus, *Joan.* 21. *v.* 17. *Domine, tu omnia nosti;* in quo nullius erroris a Christo arguitur. Et denique cognitio cogitationum absconditarum Christo tribuitur, *Matth.* 9. *v.* 4. *Marc.* 2. *v.* 8. quod tamen soli Deo proprium est, 3. *Reg.* 8. *v.* 39.

3. *Omnipotentia, ad Philipp.* 3. *v.* 21. *Secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia,* Græce *ἐνέργειαν potentiam efficacem.*

4. *Æternitas, Is.* 9. *v.* 7. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Ubi ly אל גבור male vertit Lutherus: *Virtus, aut efficacia, & Heros;* cum tamen *Is.* 10. *v.* 21. vertat: *Deus fortis.* Nam אל per accentum distinctivum *munach* conjungitur cum גבור, adeoque est substantivum. Item male nonnulli vertunt: *Admirabilis, Deus fortis vocabit nomen ejus.* Nam Septuaginta, Symachus, Chaldaica & Arabica semper legerunt יקרא in futuro *Niphal, vocabitur,* quia subsequentia nomina sunt in Nominativo, cum alias deberent esse in Accusativo, unde falsa puncta substituta fuerunt a Masorethis. Imo etiam retentis punctis יקרא verti debet, *vocabitur,*

quia hoc verbum habet significationem passivam, uti Bonfrerius *in Præloq.* probat. Alter locus est *Prov.* 8. *v.* 22. ubi de Filio Dei dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Opera quæ in hoc capite Sapientiæ tribuuntur, nonnisi Sapientiæ hypostaticæ Divinæ competere possunt. Septuaginta quidem legunt: Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, *Dominus creavit me*. Verum LXX. legunt ἔκτισε per ω ab inusitato κτάω *possideo*, uti notat S. Hieronymus: vel si sumatur a κτίζω *creo*, hoc improprie sumitur. Item מעולם significat hic æternitatem absolutam; nam in Hebraico legitur מפעלו מאז *ante opera ejus ex tunc:* מאז autem denotat æternitatem absolutam, *Ps.* 92. *v.* 2. Tertius locus est *Micheæ* 5. *v.* 2. *Egressus ejus ab initio, & a diebus æternitatis*. Ubi vox עולם addita voci קדם anticipationem omnium temporum significat. Et Rabbenu Haccadosch notat מוצאתיו in plurali, *egressiones* significare duos Messiæ egressus, unum Divinitatis, qui est æternus, alterum humanitatis. Rursus *Joan.* 1. *v.* 1. dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Nec potest dici, Verbum ante sæcula esse creatum; alias enim ante res omnes creatas non extitisset. Nec licet interpunctiones mutare & legere: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum*. Nec potest principium prædicationis Evangelicæ per ly *in principio* intelligi, nec per ly *omnia per ipsum facta sunt* denotari, *omnes homines per ipsum regenerati sunt*. Nam hoc modo sacer Textus ab aperta verborum significatione detorquetur. Denique *Apoc.* 1. *v.* 11. 17. 18. is qui mortuus fuerat, & nunc vivus, id est Christus, dicitur α & ω, *primus & ultimus*, quæ est descriptio æternitatis Dei, *Is.* 41. *v.* 4.

5. *Immutabilitas* Christo tribuitur, *ad Hebr.* 1. *v.* 12. 6. *Immensitas*, *Matth.* 28. *v.* 20. 7. *Vita*, *Joan.* 5. *v.* 26. 8. *Justitia summa*, *ad Hebr.* 1. *v.* 8. 9. *Sufficientia summa*, dum habet omnia, quæ habet Pater, *Joan.* 16. *v.* 15. *Gloria*, *Joan.* 17. *v.* 5.

§. 143. *Christus, seu Filius Dei, dicitur verus Deus, Patri consubstantialis*. Sic S. Scriptura eum sæpissime Deum vocat, Primo. *Jer.* 23. *v.* 5. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, ubi nomen יהוה soli Deo proprium Christo tribuitur. Non potest hic, *Jehova Justitia nostra*, ad Judam & Jerusalem pertinere, & vox יקראו impersonaliter verti hoc modo: *Et hoc erit nomen ejus (Judæ) quo vocabit (quisque) eum: Jehova justitia nostra*. Nam olim legebatur יקראו, uti etiam legunt versio Chaldaica, Syriaca,

Filius est Patri Consubstantialis.

Arabica, & Rabbini in Bereschith Raba: unde mutatio in puncto facta fuit. Deinde verbum activum in tertia persona tunc solum habet significationem passivam vel impersonalem, quando Nominativus non est expressus: sed cum hic in nostro casu facillime ex antecedentibus suppleri possit, non est, cur ab activa significatione recedamus, & dicamus: *Hoc est nomen, quod* (Juda & Jerusalem) *vocabunt eum*. Secundo. *Act.* 20. *v.* 29. Deus proprio sanguine Ecclesiam acquisivisse dicitur, qui Deus non potest esse alius quam Christus, cum Pater non habeat proprium sanguinem, qui tamen hic exprimitur. Tertio. *Joan.* 20. *v.* 28. S. Thomas Christo dicit: *Dominus meus & Deus meus:* ubi S. Thomam non errasse ex tacita Christi approbatione patet: verba etiam hæc ad Christum directa fuisse probat contextus, quia illa *αὐτῷ* Christo dixit. Quarto. *Ad Rom.* 9. *v.* 5. Christus dicitur *super omnia Deus benedictus in sæcula:* ubi vox *θεὸς* licet in nonnullis codicibus desit, in pluribus tamen adest, & ipsum hoc, quod dicatur esse *Benedictus in sæcula*, ejus Divinitatem indicat. Quinto. *I. Joan.* 5. *v.* 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ubi Pater & Filius verus Deus dicitur. Sexto. Sacra Scriptura, quod in V. T. de Deo affirmat, in N. T. Christo tribuit. Nam quem Judæi in deserto tentaverunt, ille dicitur Deus, *Num.* 21. *v.* 5. Sed Christum in deserto tentarunt, 1. *ad Cor.* 10. *v.* 9. Ergo Christus est Deus; nam S. Paulus de Christo Filio Dei loquitur. Septimo. Quem Isaias vidit in gloria, cum de incredulitate Judæorum loqueretur, ille est Deus, *Is.* 6. *v.* 1. 3. *& seq.* nam quod in nonnullis codicibus legatur, *gloriam Dei*, depravationis suspicionem movet, quia illi Codices a Socinianis editi fuerunt: sed Christum vidit, *Joan.* 12. *v.* 38. 41. Ergo Christus est Deus. Eodem modo confertur *Ps.* 97. *v.* 7. cum illo *ad Hebr.* 1. *v.* 6. *Ps.* 44. *v.* 7. cum illo *ad Hebr.* 1. *v.* 8. 9. *Ps.* 101. *v.* 26. cum illo *ad Hebr.* 1. *v.* 11. 12. *Isa.* 40. *v.* 3. cum illo *Matth.* 3. *v.* 3. *Marci* 1. *v.* 3. *Luc.* 3. *v.* 4. *Joan.* 1. *v.* 23. Cum ergo Christus toties in S. Scriptura vocetur Deus, dubium non est, quin eodem sensu ei nomen Dei tribuatur, quo Patri tribuitur, scilicet propriissime, adeoque sit verus & essentialis Deus, Patri consubstantialis.

§. 144. Denique consubstantialitas Filii Dei probatur ex eo, quoniam Christo competunt opera soli Deo propria & essentialia. 1. *Creatio*, *Joan.* 1. *v.* 3. *Omnia per ipsum facta sunt*. Ubi particula *διὰ* non solam causam instrumentalem, sed principalem denotat, uti patet *ad*

Hebr. 1. *v.* 10. *Tu in principio terram fundasti*. 2. *Conservatio*, *ad Hebr.* 1. *v.* 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ*. *Joann.* 5. *v.* 17. *Pater meus usque modo operatur*, *& ego operor*. 3. *Miraculorum operatio* & mortuorum suscitatio, *Joan.* 5. *v.* 21. & *c.* 11. *v.* 41. 4. Christus est supremus Judex & Dominus, *Joan.* 5. *v.* 27. *Potestatem dedit ei*, *judicium faciendi*. 5. Denique cultus Latriæ Christo tribuitur, *ad Hebr.* 1. *v.* 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Cum ergo Christo competant opera soli Deo propria, est verus Deus, & Patri consubstantialis.

Schol. 1. Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Theodotus Christum purum hominem ex B. V. Maria & S. Josepho via ordinaria genitum asseruerunt. Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus creatus a. c. 260. & Photinus Episcopus Sirmiensis docuerunt, Christum non semper fuisse, neque ante B. Virginem verum Deum esse. Licet enim in Deo semper inhabitaret Verbum & Sapientia, tunc tamen primum hypostasim & subsistentiam a subsistentia Patris distinctam habere cœpit, cum in utero Virginis Christus formatus est; hac enim temporali missione & externa prolatione Verbum Filius factus est, qui licet sit novellus Deus, prædestinatione tamen æternus fuit. *Hæresis Cerinthi. Pauli Samosateni.*

Schol. 2. Arius Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter ambitione abreptus, quod Alexandrum sibi in Episcopatu prælatum cerneret a. c. 317. hæreses suas disseminare cœpit, quarum hæc sunt capita. 1. Deus non semper fuit Pater, sed tempus extitit, ubi non erat Pater. 2. Hic Deus antequam mundus creatus esset, naturam quamdam nobilissimam omnibus excellentiorem non ex sua substantia, neque ex aliqua materia, neque ab æterno, sed ex nihilo ante mundi Sæcula produxit; & hæc est illa natura, quam S. Scriptura λόγον & Filium Dei unigenitum vocat. Verbum vocatur, quia reliquis creaturis, quæ ratione & sapientia gaudent, & verbo proferri possunt, est excellentior: Filius dicitur, quia conditus est, ut per eum omnia crearentur, & quia hæc naturá Deum, propter essentiam ab eo acceptam, Patrem vocavit, & mundum ex mandato Dei creavit, & instar Filii Deo obedientiam præstitit: a Patre genitus dicitur, quia immediate ex nihilo ab ipso Deo factus est, reliqua vero mediante Filio, & quia hoc illi soli convenit, dicitur Unigenitus. 3. Hic Dei Filius, licet ex libero arbitrio ad malum potuisset deflectere, quia tamen Deus prævidit, eum in bono preseveraturum, illico decrevit illi dare gloriam, quam postea promeruit, ut nimirum aliquid Divinitatis participaret, ita tamen, ut nunquam plene, sed pro mensura rationis suæ Deum cognoscere potuerit. 4. Ideo autem creatus est, ut per eum omnia

crearentur, sicut etiam per eum omnia creata sunt; unde omnium rerum Creator dicitur. 5. Inter creaturas rationales homo reliquis erat vilior, qui ne de salute sua desperaret, Filius Dei dignatus est humanam carnem assumere, ut ostenderet, eo magis hominem honoratum iri, quo minus in natura accepisset. 6. Non tamen integram humanam naturam assumpsit, sed solum corpus, cui Verbum erat loco animæ. Ita systema Arianismi formatur ex S. Athanasio in disputationibus contra Arianos, & S. Augustino in *Serm. Arian.* In varias sectas abierunt Ariani. Rigidi Ariani duce Aetio & Eunomio dixerunt, Filium Patri omnino ἀνόμοιον esse, nec essentia nec donis similem, unde Anomœi dicti sunt. Semiariani duce Gregorio Laodiceno, & Silvano Tarsensi Filium Patri ὁμοιούσιον, id est in omnibus etiam in essentia per gratiam similem factum esse, licet non fuerit ejusdem naturæ, asserebant. Acaciani Filium Patri ὅμοιον dicebant, id est similem quoad voluntatis consensionem. Hæresis Arii damnata fuit in Concilio Nicæno I. a. c. 325. ubi Symbolum compositum fuit, & per vocem ὁμοούσιον prostrata fuit.

Socini hæresis & systema de SS. Trinitate. *Schol.* 3. Socinus nobilis Senensis Calvinista post varia loca peragrata Poloniam secessit, unde expulsus, Tiguri a. c. 1562. est mortuus. Is reformandæ Religionis impium consilium cepit, quod Faustus Socinus ejus ex fratre nepos adoptavit & cumulavit, edito libro: *De Jesu Christo Servatore*, in quo Christi Divinitatem evertere nititur, & hoc de SS. Trinitate systema sibi confinxit. 1. In Deo non sunt tres distinctæ Personæ, sed unus solummodo natura & persona Deus est. 2. Hic Deus solus Pater est. 3. Unde Christus est purus homo, communi more ex Maria & Josepho genitus, qui proinde non extitit, antequam ex Maria nasceretur, nisi in mente Dei per ideam & prævisionem. 4. Nihilominus Christus Deus appellari non potest non natura, sed gratia & adoptione ob excellentem virtutem & potestatem, qua a Deo Patre instructus fuit. 5. Christus quidem a Deo suscitatus, & missus fuit ad humani generis salutem, non tamen Deo pro genere humano satisfactionem proprie obtulit. 6. Spriritus S. non est vera Persona subsistens, sed tantum Dei virtus & efficacia. Socini secta plures in Anglia & nonnullos etiam in Germania Patronos invenit. Vid. P. Gazzaniga *tom.* 2.

Objectiones solvuntur. *Schol.* 4. Argumenta contra Divinitatem Verbi ab his hæreticis congesta ex S. Scriptura iis non suffragantur. I. Nam S. Scriptura dicit Filium minorem Patre, *Joan.* 14. *v.* 28. orationes ad Deum fudisse, *Joan.* 17. *v.* 1. voluntatem suam Deo subjecisse, *Matth.* 26. *v.* 39. Deo

Patri obedivisse, *ad Phil.* 2. *v.* 8. secundum humanam naturam spectatum. II. Item Christus dicit, se nescire diem judicii, *Matth.* 24. *v.* 36. scientia communicabili hominibus: dicit doctrinam suam non esse suam, id est doctrinæ Patris contrariam. Plures objectiones passim afferunt & solvunt Theologi: potiores in præcedentibus paragraphis jam præoccupatæ, & refutatæ sunt.

§. 145. Constans ab Apostolis & Patribus usque ad Concilium Nicænum fuit de Divinitate Verbi Traditio. Sæculo primo. S. Ignatius *Epist. ad Magnes.* Jesum Christum *Filium Dei* vocat, *qui est ipsius Verbum æternum non a silentio progrediens.* Sæculo secundo. S. Justinus *Apol.* 2. ait, Christianos baptizari in nomine rerum cunctarum Parentis, & *Domini Dei & Servatoris Jesu Christi*, & Spiritus S. Accedit Athenagoras *Legat. pro Christ.* Theophilus *l.* 2. qui expresse Trinitatem nominat. Sæculo tertio. S. Irenæus *l.* 2. 31. ait: *Semper est coexistens FiliusPatri.* Clemens Alex. in fine *Pedagogi* ait, *Patrem & Filium unum esse Deum, per quem est æternitas.* S. Dionysius Alex. in *Apol.* apud S. Athan. ait: *Confiteor ac credo & prædico coæternum Patri Christum Unigenitum, & Verbum Patris.* Vid. meam Analys. PP. *Divinitas Verbi constanter a PP. asserta fuit.*

Schol. 1. Sociniani contendunt, Patres Concilio Nicæno antiquiores Divinitatem Filii non agnovisse. Sed falsitas ex dictis patet. *S. Polycarpus*, quem pro se citant, distinguit Deum a Christo, non natura, sed persona & hypostasi. *S. Justinus in dial. cum Tryph.* dicit Filium Patre inferiorem solo nomine. *QQ. ad Græcos & evers. dogm. Aristot.* sunt Libri S. Justino suppositi. *Athenagoras* docet, substantiam Filii in Patre fuisse ante ejus hypostasim, non prioritate temporis, sed ratione originis. Item dicit Verbum modo prodiisse, cum mundus factus est, sed sine detrimento generationis æternæ, quia in creatione apparuit Dei sapientia. *S. Iræneus l.* 3. *c.* 8. dum Patrem solum Deum esse dicit, Filium non excludit, sed Demiurgon Gnosticorum, & Deos Gentilium. Siquid in libris *Hypothyposeon Clementis Alex.* adversum SS. Trinitati legitur, ab hæreticis interpolatum fuit, teste Photio, unde a Gelasio inter apocrypha rejiciuntur. Et quando *l.* 5. *strom.* sapientiam creatam esse dicit, vel nomine sapientiæ intelligit connexionem creaturarum, vel per ly *creatam* intelligit genitam. *Tertullianus* nonnulla duriora in hoc Mysterio protulit; potest tamen adhuc in sensu sano explicari: sic quando *adv. Praxe. c.* 6. ait, Deum in creatione mundi *primum protulisse sermonem habentem in se individuam rationem & Sophiam, ut per ipsum fierent uni-* *Solvuntur objectiones.*

versa, loquitur de generatione Verbi, quæ in rerum creatione consistit, & metaphorica est, ac æternam generationem supponit. Item quando dicit, fuisse tempus quo Filius non fuit *contra Hermogen. c.* 3. loquitur de Filio ad extra seu creaturis, ut neget æternitatem materiæ. Denique *contra Prax. c.* 9. Filio portionem Patris tribuit, id est derivationem & originem, ita ut Filius sit a Patre per generationem, & ab eo persona, non vero natura distinguatur. *Origenem* Arianis prælusisse censent S. Hieronymus *Ep. ad Avitum*, S. Augustinus *de hær. c.* 43. nam Origenes *l.* 8. *cont. Celsum* expresse ait, Patrem & Filium *duos* esse substantia, *unum* vero *concordia*, *consensu* & *voluntatis identitate*. Ita censet P. Berti, licet D. Tournely Origenem ab hæresi hac adhuc vindicare nitatur. Id quod alii ante eum strenuo præstiterunt. Vid. meam Analys. PP. tom. 4. *Eusebium Cæsareensem* a labe Arianismi liberare quidem volunt Cave, Valesius & Petitdier; sed contra certam & communem sententiam, quæ notam Arianismi in Eusebio probat, tum quia Arianos semper apud Imperatores studio & auctoritate juvabat, & nonnisi metu pœnæ Symbolo Nicæno subscripsit: tum quia post Nicænum inito cum Arianis fœdere S. Athanasium acerrime divexavit, & in historia sua hæresis Arianæ subdole non meminit, & Arianos inter fidei Doctores recenset: tum quia S. Athanasius *l. de decr. Syn. Nic.* S. Hieronymus *l.* 1. *apol. c.* 25. S. Epiphanius *hær.* 68. Arianismi Eusebium passim accusant.

Liberius P. an a fide lapsus fuerit?

Schol. 2. *Liberius* Papa primum pro fide Nicæna & S. Athanasio acerrime pugnavit, pro qua constantia Bœrœam in exilium missus a. c. 355. ibique per biennium commoratus, tandem ærumnis fractus voluntati Imperatoris consensit, S. Athanasium damnavit, & inito cum orientalibus Arianis fœdere formulæ Sirmiensi subscripsit. Erravit gravissime Liberius, S. Athanasium deserendo: an vero subscribendo Sirmiensi formulæ a fide lapsus fuerit, dubitatur. Et quidem Gorgnius Svession. Canon. *diss. critique sur le Pape Libere*, Pohl. *in hist. Eccl.* Card. Orsi *Hist. Eccl. t.* 6. Zacharias *in Act. SS. die* 23. *Sept.* Stiltingius *in Thes. Th.* & P. Gazzaniga *Præl. Th. t.* 2. omnem lapsus maculam a Liberio abstergere conati sunt. Verum Cl. P. Scholliner in doctissima *diss. de gemino lapsu Liberii* ex ep. S. Athanasii *ad Solitar.* S. Hieronymo *de script. Eccl.* &c. geminum Liberii lapsum licet quoad fidem innocuum clare demonstrat. Porro tres potissimum sunt Sirmienses fidei formulæ; quarta enim solum in Ariminensi Concilio producta fuit. Prima contra Photinum edita fuit a. 351. quæ in se qui-

dem Catholica est, ac pro tali habetur a S. Hilario *l. de Syn.* rejicitur tamen a S. Athanasio ob latentem fraudem Arianam, & omissum vocabulum ὁμοούσιον, fidei Catholicæ tesseram. Secunda formula edita fuit a. 357. quam S. Hilarius blasphemiam appellat, ubi Filius Patre minor dignitate, honore & majestate declaratur. Tertia edita fuit a. c. 359. ubi Filius dicitur esse Deus de Deo, & similis Patri, sed vox *Consubstantialis* tamquam Patribus ignota exploditur. Blondellus putat, Liberium secundæ formulæ subscripsisse, adeoque a fide lapsum fuisse. Verum cum S. Hilarius *fragm.* 6. testetur, formulam cui Liberius subscripsit conditam fuisse a Narcisso, Theodoro, Demophilo &c. qui primam formulam Sirmiensem ediderunt, non vero secundam, utpote quæ teste S. Athanasio *l. de Syn.* ab Ursacio & Valente condita fuit, Liberius secundæ formulæ Sirmiensi non subscripsit. Cum vero Constantius ad instantiam illustrium Romanarum matronarum anno 358. Liberium ab exilio Sirmium ad se vocasset, eum in Concilio Episcoporum novæ formulæ III. ex Conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum ann. 264. & 269. una cum aliis conflatæ subscribere secundo coegit, in qua vox ὁμοούσιον vel tantum suppressa, Filius tamen quoad substantiam & per omnia Patri similis dicebatur, vel in sensu Samosateni Trinitatem Personarum negantis damnata fuit: cui formulæ cum Liberius subscripsisset, ad sedem suam Romanam reverti permissus est. Vid. cit. diss. Cl. P. Schollinor. Unde Liberius in hæresim formaliter lapsus non est. S. Hilarius quidem *fragm.* 6. Liberio ter anathema dixit: sed notant nostri Maurini, S. Hilarium forte lecta epistola Liberii ad orientales raptim eam chartæ mandasse, adjecta hac indignantis animi nota: *Anathema Liberio:* quam sane suppressisset, si opus suum absolvisset, quod tamen non fecit, sed fragmenta tantum sine ordine reliquit, quæ Nicolaus Faber an. 1598. edidit. S. Hieronymus in *Cat. Script. Eccl. c.* 97. Liberium hæresis accusat, tum quia formulæ suspectæ subscripsit, & in S. Athanasium sententiam dixit, unde visus est hæreticorum partes fovere, quod est esse hæreticum interpretative, veram tamen fidem profiteri. Denique supposito etiam, quod secunda Sirmiensis formula jam condita, & Liberio ad subscribendum oblata fuisset, ei tamen non subscripsit: unde Demophilus sufficere credidit, si primam Arianos errores tegentem reciperet, quod & fecit: sed fraude detecta facti pœnitens pro fide Catholica Liberius acerrime stetit, & pro illa dure usque ad mortem a Constantio Imperatore divexatus fuit.

Hosius a fide lapsus iterum resipuit. *Schol.* 3. Hosium Episcopum Cordubensem acerrimum fidei defensorem, Arianis tandem cessisse & vi tormentorum compulsum secundæ formulæ Sirmiensi Arianæ subscripsisse apud omnes fere certum est, licèt Aguirre de hoc adhuc dubiret. Non tamen in hæresi usque ad mortem perstitit Hosius, sed eum in communione Ecclesiæ obiisse patet tum ex S. Athanasio *Ep. ad Monach.* tum ex S. Augustino *l.* 1. *cont. Parmen. c.* 4.

De Concilio Ariminensi. *Schol.* 4. Cum Ariani inter se divisi essent, Constantius an. 359. duas in tota ditione sua Synodos indixit, unam Seleuciæ in Oriente, alteram Arimini in Occidente. Ariminum convenerunt 350. Episcopi & 80. Ariani, inter quos præcipui fuerunt Valens, Ursacius, & Auxentius; Legatus etiam Papæ Vincentius Capuæ Episcopus adfuit. Petierunt Ariani, ut fidei formula III. Sirmiensis prævaleret; Catholici vero solum Symbolum Nicænum admittendum esse contendebant, & post multas concertationes Catholici Arianam hæresim cum suis sectatoribus damnarunt, & unicum Nicænum Symbolum approbarunt, quam sententiam S. Athanasius *in libr. de Syn.* refert. His a Catholica Synodo definitis, Catholici pro relatione Actorum decem Legatos ad Constantium Imper. miserunt, & Ariani totidem, qui Catholicos prævenientes id effecerunt, ut Catholici ne quidem ad Curiam Imperatoris admissi, & Patres Ariminenses Arimino discedere prohibiti sint, quos post absolutum bellum cum barbaris, ad novam fidei formulam interim a Conciliabulo Nicæno in Thracia procusam subscribendam cogere Constantius decreverat. Atque huic ipsi formulæ in altero Conciliabulo Ariminensi eodem anno Episcopi Arimini detenti subscribere vi, metuque coacti sunt, adeo ut teste S. Hieronymo, *dial. contra Lucifer.* totus pene orbis Arianum se esse miratus tunc vere ingemuerit. Verum cum hoc secundum Ariminense Conciliabulum Arianorum fraudibus regeretur: cum Liberius P. cum multis per orbem Episcopis non illi suffragati, Patres illius Catholici vi, metu, dolis ad subscribendum coacti, & decepti fuerint, hæresis accusari minime possunt. Vid. Summam Conc. Carranzæ a me editam *tom.* 1. Et Gazzaniga *Præl. Th. tom.* 2.

Auctor Hymni: Te Deum laudamus. *Schol.* 5. Hymnus: *Te Deum laudamus*, in Ecclesia cantari solitus, SS. Trinitati & Divinitati Verbi pulchre concinit. De auctore illius disputant Critici. Abbo Floriacensis in suis epistolis MSS. tribuit eum S. Hilario Pictaviensi. In antiquo Breviario Bibliothecæ Vaticanæ legitur sub nomine Abundii. In Breviario Cassinensi a. 1086. scripto, tribuitur Monacho Sisebuto, & in nonnullis Psalteriis S. Nicetio. S. Dacius Episcopus Medio-

lanensis in *Chronico* narrat, S. Ambrosium & S. Augustinum Canticum hoc alternatim cecinisse in Cæremonia Baptismi S. Augustini: sed authenticam fidem hujus Chronici passim eruditi in dubium vocant. Mabillonius noster missis Mediolanum litteris responsum accepit, hoc Manuscriptum primum ante 600. annos esse exaratum, & titulum, quo Dacio tribuitur, esse recentiorem ipso Manuscripto. Deinde verus Auctor seipsum in præfatione per litteram L designat, id est Landulphus, & in fine legitur: *Explicit liber historiarum Landulphi Istoriographi*. Denique historiam suam continuat usque ad mortem Gregorii VII. Auctor fuit Schismaticus, & liber scatet norabilibus erroribus. Melius ergo adscribitur soli S. Ambrosio, qui multa stricta oratione composuit; sapit enim stylum Ambrosianum, congruit circumstantiis temporis, in quo fides SS. Trinitatis contra Arianorum blasphemias defendenda fuit, traditio eum S. Ambrosio vindicat, nec ulla firma ratio suadet, ut simul S. Augustino tribuatur.

§. 146. Spiritui Sancto competunt attributa soli Deo propria. Primo. *Omniscientia*, 1. *ad Cor.* 2. *v.* 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Ubi ly *scrutatur* accuratissimam Dei cognitionem indicat; uti patet *v.* 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Secundo. *Immensitas*, *Sap.* 1. *v.* 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Tertio. *Omnipotentia*, *Ps.* 32. *v.* 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum*. Quarto. *Veracitas* & *Sanctitas* perfectissima, *Joan.* 14. *v.* 17. Quinto. *Vita*, 1. *ad Cor.* 15. *v.* 45. *Spiritus vivificus*. Et reliqua cap. præc. recensita, quæ omnia essentialiter, non mere per participationem creatam, illi tribuuntur. *Spiritus S. est Deus.*

§. 147. *Spiritus S. est verus Deus*. Nam *Primo* Spiritus S. in S. Scriptura vocatur verus Deus. imo *Act.* 5. *v.* 3. & 4. ex quo loco hoc argumentum formatur: Ille, cui mentitus est Ananias, est Deus, *v.* 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Sed Spiritui S. mentitus est, *v.* 3. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S.?* Ergo Spiritus S. est Deus. Non obstat, quod in græco legatur ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ Ἅγιον *mentiri, sive simulare te Spiritum S.* id est, donis Spiritus S. extraordinariis instructum: quia verbum ψεύδομαι cum Dativo & Accusativo construitur, uti patet *v.* 3. & 4. Deinde Ananias non Spiritum S. simulavit, sed partem pecuniæ retinuit, & quoad hoc dicitur esse mentitus Spiritui S. & quidem non solum Apostolis, sed etiam Spiritui S. 2do 1. *ad Cor.* 3. *v.* 16. dicitur: *Nescitis, quoniam templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in*

vobis? Undè sic: Cujus templum sunt fideles, ille est Deus: sed Spiritus S. templum sunt fideles: ergo Spiritus S. est Deus. 3tio Patet ex illis locis, ubi, quod in Veteri Testamento de vero Deo dicitur, in Novo Spiritui S. tribuitur. Sic *Isa.* 6. *v.* 9. Deus dixit Isaiæ: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere.* Sed hic Deus, *Act.* 25. *v.* 25. Spiritus Sanctus dicitur: *bene locutus est Spiritus Sanctus per Isaiam.* Ergo Spiritus S. est verus Deus. Similia habentur *Ps.* 94. collato cum *ad Hebr.* 3. *v.* 7. Et *Jerem.* 31. *v.* 31. collato cum *ad Hebr.* 10. *v.* 15.

2. Similiter Spiritui S. in S. Scriptura tribuuntur opera Dei. Primo *Creatio*, *Gen.* 1. *v.* 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, ubi Judæi male vertunt *Ventus Dei*; nam רוח additum אלהים semper significat *Spiritum Dei*, uti patet *Is.* 11. v. 2. ubi ipse R. Simeon dicit, intelligi Spiritum Messiæ. Deinde dicitur hic Spiritus מרחפת fovens, conservans universam molem, quod non potest, nisi Spiritus omnipotens creator: qui etiam cœlos firmasse dicitur, *Ps.* 32. *v.* 6. Secundo *Conservatio*, *Ps.* 103. *v.* 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Tertio *Operatio miraculorum*, *Matth.* 12. *v.* 28. *In Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Quarto *Peccatorum remissio & regeneratio*, 1. *ad. Cor.* 6. *v.* 11. Quinto *Collatio donorum*, 1. *ad Cor.* 12. *v.* 7.

3. Accedit Traditio primorum sæculorum. Sæc. secundo. S. Justinus *Apol.* 2. Spiritum S. adorandum esse dicit. Athenagoras Spiritum S. Deum appellat. Tertullianus *cont. Prax.* c. 25. Patrem, Filium & Spiritum S. habere unitatem substantiæ affirmat. Sæc. tertio. S. Cyprianus *Ep. ad Jubaj*, dicit, quod tres unum sint.

4. Cum ergo Spiritui S. competant attributa Divina (§. 146.), cum vocetur Deus (n. 1.), cum opera Divina exerceat (n. 2.), competit ei Essentia Divina, adeoque verus Deus est.

Hæresis Macedonii. *Schol.* Jam ab ipso tempore Apostolorum nonnullos circa Spiritum S. errasse testatur S. Ignatius in *Ep. ad Trall.* De Sadducæis idem affirmat S. Epiphanius; de Valentino S. Athanasius *or.* 3. *contra Arian.* Famosissimus Spiritus S. hostis fuit *Macedonius* Arianus, qui factione Arianorum in sedem Constantinopolitanam intrusus, inde jubente Imperatore Constantio a Conciliabulo Constantinopolitano ejectus ob excitatam populi seditionem ratione translationis corporis Constantini M. novam hæresim condidit a. c. 360. qua Spiritus S. Divinitatem negavit, & dixit, eum esse meram creaturam, & ministrum Dei, dignitate Deo longe inferiorem. Hæc hæresis damnata fuit in Concilio Alexandrino a. 362. duplici

Romano sub Damaso P. & Constantinopolitano œcumenico secundo a. 381. Bellum contra Spiritum S. renovarunt Sociniani, quem non natura & substantia Deum agnoscunt, sed tantum virtutem & efficaciam Dei. Dicitur quidem I. Spiritus S. in S. Scriptura donum Dei, virtus Dei, sed personalis & subsistens, non vero accidentalis: dicitur postulare pro nobis; quia facit nos postulare: dicuntur per Verbum omnia facta esse, scilicet illa, quæ facta sunt, non vero illa, quæ facta non sunt, uti Pater, Verbum, & Spiritus S. dicitur scrutari profunda Dei, id est omnia cognoscere (§. 146.). II. Nonnulli Veteres Spiritum S. quidem expresse Deum non appellarunt, sed ex prudenti œconomia ne Ariani & Macedoniani magis contra Catholicos cum aperto rei Catholicæ damno furerent, semper tamen dicebant, Spiritum S. esse unam & eamdem cum Patre & Filio substantiam, non esse creaturam, quod idem est ac Deum dicere: sicuti etiam Concilium Constantinopolitanum, licet Spiritum S. expresse Deum non vocet, profitetur tamen, eum cum Patre & Filio unam & consubstantialem habere naturam, esse cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, quod est, Deum esse. III. Christus non potest dici Filius Spiritus S. propter conceptionem suam a Spiritu S. non quoad naturam Divinam, quia Spiritus S. juxta inferius dicenda a Filio procedit, non quoad humanam naturam, quia Spiritus hanc more humano non gignere potuit, sed tantum modo miraculoso carnem Christi formavit, & Christus secundum carnem non est similis Spiritui Sancto.

Pater, Filius & Spiritus S. eamdem numero Divinam essentiam habent.

§. 148. *Pater, Filius & Spiritus S. eamdem numero essentiam Divinam habent.* Hanc essentiæ unitatem Græci vocant ὁμουσίαν & asserit S. Joannes clarissimis verbis, 1. *Ep. c.* 5. *v.* 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Pro authentia hujus textus stant 1. Optimi codices Manuscripti; nam Robertus Stephanus ex 17. Codicibus hunc versum solum in quinque desiderari invenit. Correctorium Bibliorum asservatum in Bibliotheca Sorbonica in paucis deesse testatur. Amelotius notavit, eum legi in Codice Vaticano antiquissimo. In melioribus Codicibus reperiri testatur Beza & Calvinus. Ipse Erasmus fatetur, eum haberi in vetustissimo Codice Britannico, & Simonius non negat, exstare in Manuscripto Sangermanensi ante 800. annos exarato. Grotius antiquissimum Manuscriptum penes se habuit, in quo legebatur, & Salmeron Codicem Rhodiensem & Hispaniensem citat. Plura vid. apud Calmet *diss. de tribus testibus*. 2. Stant pro veritate hujus versus Patres, in-

ter quos Tertullianus *l. adv. Prax. c.* 25., & S. Cyprianus *l. de unit. Eccl.* citant illud: *Tres unum sunt*. Eugenius Carthaginensis in *Prof. fid.* a. 484. Auctor Prologi in epistolas Canonicas, qui a nonnullis S. Hieronymo tribuitur. Victor Uticensis *de persec. Wandal. l.* 3. Virgilius Tapsensis *l. ad Varimandum* in Bibliotheca PP. *t.* 6. S. Athanasius in *Expositione symboli* edita a Blanchino ex penu Bibliothecæ Veronensis. Cassiodorus in libro *Complexionum* edito a Scipione Maffei, hunc versum tamquam Testimonium Divinum proferunt. Horum testimonia refert Tournely. 3. Authentia hujus versus ex ipsa textus cohæsione demonstratur. Nam postquam S. Joannes *v.* 6. dixerat, Spiritum S. testari, Evangelium Christi esse verissimum, rationem hujus affert, mirum non esse quod Spiritus S. hoc testetur; siquidem omnes tres in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. idem testentur, qui tres unum sunt; unde S. Apostolus per immediatam consequentiam argumentatur a quasi compositis ad divisa, & ut hoc magis confirmet, adducit tres alios testes in terra *v.* 8. scilicet, spiritum, aquam & sanguinem, quos dicit εἰς τὸ ἕν in unum esse, id est in unum testimonium conspirare. Si ergo *v.* 7. spurius esset, caderet ratio asserti *v.* 6. positi, nec versus 8. cum 6. per particulam καὶ, quæ non est particula probandi, satis cohæreret, cum e contra optime per eamdem cum *v.* 7. connectatur. Item sine ratione & inconvenienter *v.* 8. additum foret ἐν τῇ γῇ nisi hoc referatur ad tres testes ἐν τῷ οὐρανῷ, & versus octavus esset inanis repetitio versus sexti, quod dici non potest. Vid. Ludov. Rogerium *in diss. de hoc versu*, & P. de Rubeis *de tribus test.* Deinde Pater, Filius & Spiritus S. non possunt habere tres essentias infinitas, nec duo possunt habere essentias infinitas duas, & tertius finitam, quia non datur nisi unica numero essentia infinita (§. 58.). Nec tres illi possunt habere tres essentias finitas, & nullus eorum infinitam; nam sic nec Pater esset Deus, nec Filius, nec Spiritus S. contra demonstrata (§. 141. 142. 143. 147.). Nec solus Pater potest habere essentiam infinitam, reliqui finitam; quia sic Filius & Spiritus S. non essent verus Deus contra demonstrata (§. 142. 147.). Ergo omnes tres eamdem numero Divinam essentiam habent.

Solvuntur objectiones Socinianorum. *Schol.* 1. Apollinaristæ & Cononitæ videntur tres in Deo substantias & naturas admisisse. Sociniani cohærenter ad suum systema (§. 144. Schol. 3.) negant unitatem numericam essentiæ Divinæ in Patre, Filio, & Spiritu S. Unde impugnant I. authentiam citati versus *Joan.* 5. *v.* 7. quod in multis manuscriptis Græcis & Latinis non lega-

tur. Verum hoc incuria exscriptoris cujusdam facile contingere potuit, qui versum septimum scribens: *Tres sunt, qui testimonium dant*, errante oculo transivit ad versum octavum, ubi eadem verba repetuntur: uno vero Scriptore errante, alii exscriptores consequenter errarunt, cujus rei exempla proferunt nostri Maurini in *not. ad Prol. S. Hieronymi ad ep. Can.* Forte etiam Ariani eumdem versum expunxerunt, quod vitium in aliis locis illis exprobrat S. Ambrosius *l. 3. de Spir. S. c.* 10. Quare nonnulli Patres hunc versum Arianis objicere noluerunt, vel quia in eorum codicibus non legebatur; vel cum aliunde Arianos confutare possent, de authentia hujus versus contendere nolebant. II. Dicunt, in citato loco solum denotari unitatem consensus voluntatis, vel consensus in testimonio. Verum *Resp.* Cum tres Personæ & testes adducantur, qui dicuntur esse unum; quomodo sola unitas consensus voluntatis cum exclusione unitatis essentiæ asseritur, maxime cum unaquæque Persona alibi etiam verus Deus dicatur, & tamen tres Deos sana ratio non admittat? cur Apostolus non dicit, tres in cœlo testes *εἰς τὸ ἕν* in unum esse, sicuti de tribus in terra testibus *v.* 8. ait, sed *ἕν* esse, cum per priorem locutionem unitas consensus clarius exprimi potuisset? cur dicit, quod unum sint, & non, quod unum velint? sane qui consensu junguntur, non unum sunt, sed unum volunt. III. Citant pro se Patres unitatem essentiæ Divinæ in tribus Personis, comparantes unitati humanæ naturæ in multis hominibus, quæ numero multiplicatur. *Resp.* Illi solum contra Arianos volunt demonstrare, Filium esse ejusdem cum Patre substantiæ, non diversæ, sicuti Filius in creatis; circa unitatem vero essentiæ comparationem non instituunt. Alii unitatem Personarum contra Sabellianos solum negant, & nomine substantiæ more Græcorum Personam intelligunt. Certe fidem nostram tenuerunt omnes Patres etiam primorum Sæculorum. Sæculo secundo. S. Justinus *dial. cum Tryph.* Sæculo tertio. Tertullianus unitatem in Trinitate confitetur, & dicit, Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres *non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma .... unius autem substantiæ*. Sæculo quarto. S. Athanasius *l. de Syn.* & S. Augustinus *l.* 2. *contra Maxim. c.* 10. ait: *Simul hi tres unus Deus*.

Schol. 2. Hanc essentiæ Divinæ in Patre, Filio & Spiritu S. numericam unitatem & identitatem Ecclesia Græca voce *ὁμουσίας* expressit. Vocabulum hoc a Nicænis Patribus inventum non est, sed eo jam ante usi fuerunt Dionysius Alexan. in *ep. ad Paulum Samosatenum*, Pamphylus M. in *apologia*, Tertullianus initio libri *adv. Prax.* *Vox ὁμουσίας explicatur.*

Significat autem *Consubstantialitatem*, id est identitatem essentiæ & naturæ: unde quando Filius Patri ὁμοούσιος seu ὁμούσιος dicitur, sensus est, Filium eamdem numero essentiam habere, quam habet Pater, essentiam Filii simul esse essentiam Patris, & utriusque non duas, sed unam numero essentiam esse. Patres quidem Concilii Antiocheni a. 269. Filium Patri ὁμοούσιον esse negarunt, sed eo sensu, quo Paulus Samosatenus Filium Patri ὁμοούσιον dixerat, id est specie tantum, non numero. Quare Catholici Semiarianorum ὁμοιουσίαν, seu similitudinem in substantia rejecerunt, quia similitudinem solum in qualitatibus, consensu voluntatis & doctrinæ designant. Nonnulli tamen antiqui Patres, præsertim S. Meletius putarunt, etiam per vocem ὁμοιουσίαν Nicænam fidem satis exprimi; quia tamen sensum omnino Catholicum huic voci tribuebant, unitatem numericam essentiæ per illam sufficienter exprimi credebant, & vocem ὁμοούσιον solo pacis amore sileri posse volebant, a fide Catholica non aberrarunt, teste S. Athanasio *l. de Syn.* licet S. Hilarius *l. de Syn.* hæresis eos suspicionem incurrisse testetur.

Processio quid? §. 149. *Processio* est productio, seu origo unius ab alio.

Quotuplex? *Schol.* Processio in genere significat originem, emanationem, emissionem, productionem unius ab alio, vel juxta S. Irenæum *l. 2. adv. hær. c.* 28. prolationem, nuncupationem, adapertionem, quæ omnia sunt synonima. Processio alia est *immanens*, quæ habet terminum suo principio insitum & immanentem: alia *transiens*, quæ habet terminum a producente distinctum & extra illum positum. Item Processio alia est *perfecta*, cujus terminus est subsistens, & ejusdem cum principio producente naturæ & substantiæ: alia est *imperfecta*, cujus terminus vel non est quid subsistens, vel si est quid subsistens, habet diversam numero a producente naturam.

προβολὴ quid? Græci Processionem προβολὴν vocant, id est, interprete Tertulliano *l. adv. Prax. c.* 8. prolationem rei alterius ex altera. Hanc vocem nonnulli Patres orthodoxi, uti S. Irenæus *l. 2. c.* 48. & S. Cyrillus Alex. *in hom. Paschæ* 12. rejecerunt, quia suspecta erat, & usurpabatur a Valentino ad significandam propagationem seu productionem, quæ sit a pluribus, decerpta quadam parte a singulis, & in unum collecta. Nihilominus hæc vox ab aliis Catholicis Doctoribus in sensu Catholico retenta fuit. Ariani etiam simularunt, se ex odio Valentini detestari vocabulum προβολὴν, & Orthodoxos erroris Valentini arguebant, quod dicerent Filium a Patre genitum seu prolatum. Verum fucum faciebant; nam ideo solum vo-

cem προβολὴν refugiebant, quia substantialem productionem exprimebat. Praxeani etiam & Sabelliani Processionis seu Prolationis substantialis nomen in Deo rejiciebant, quia distinctionem realem Personæ procedentis, & illius a qua procedit, quam illi negabant, denotat.

§. 150. *Datur in Deo vera & proprie dicta Processio.* Hoc *Primo* patet ex S. Scriptura, *Joan.* 8. *v.* 42. inquit Christus: *Ego ex Patre processi, & veni.* Et *Joan.* 15. *v.* 26. de Spiritu S. dicitur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* *Secundo* hoc probant antiqui Patres ex fœcunditate Divina. Sic S. Cyrillus *l. Thesaur.* ait: *Si Deo ademeris Patrem esse, fœcunditatem a Divina natura sustuleris, ita ut perfectus nequaquam sit, cum generandi facultate careat.* Et S. Damasc. *l.* 1. *de fid. c.* 8. *Nefas est dicere, Deum fœcunditate naturali caruisse.* *Tertio* Sacra Scriptura testatur, Filium & Spiritum S. esse verum Deum (§. 142. 147.). Sed Filius & Spiritus S. ab alio procedunt, uti inferius patebit. Ergo datur in Deo vera & proprie dicta Processio (§. 149.). *Datur in Deo vera Processio.*

Schol. 1. Sabelliani, qui distinctionem realem Divinarum Personarum negarunt, consequenter dixerunt, non esse in Deo veras ex Divina substantia Processiones. *Sabellianorum heresis.* Probant hoc ex eo, quia omnis Processio involvit aliquam imperfectionem; scilicet dependentiam, prioritatem, partitionem ac divisionem naturæ, potentiam passivam, quæ omnia enti a se repugnant. Verum hæ imperfectiones a Divinis Processionibus longissime absunt: nam dependentia procedentis a producente in Divinis non datur, quia una Persona ab alia necessitate Divinæ naturæ ab ejus infinita perfectione profluente procedit. In Deo est sola prioritas originis, sine omni imperfectione: nam non est prioritas temporis, quia Processiones sunt æternæ: non prioritas naturæ & causalitatis, quia una Persona non est causa alterius: non prioritas dignitatis, quia omnes Personæ habent unam numero & eamdem essentiam. Nec in Deo est ulla naturæ divisio, quia est simplicissima eadem in tribus Personis, & natura nec producit, nec producitur, sed solum Persona. In Deo non datur potentia passiva, quia nullam perfectionem suscipere potest, cum sit perfectissimus. Denique Deus est ens a se ratione naturæ & essentiæ, quæ nec generat, nec generatur: ratione vero Personæ est quidem a se per exclusionem veræ causæ ac dependentiæ; per exclusionem tamen originis & Processionis Pater est quidem a se, non vero Filius & Spiritus S.

Schol. 2. Processiones Divinæ sunt veræ & propriæ dictæ actiones immanentes ac vitales: nam Persona sub- *Processiones Divinæ*

sunt veræ actiones. sistens debet produci per veram actionem, quia terminus substantialis non est nisi per se primo terminans actionem: sed Processiones Divinæ producunt Personas subsistentes: ergo sunt veræ & propriæ actiones.

Duplex datur in Deo Processio. §. 151. Duplex tantum est in Deo Processio, quarum una *Generatio*, altera *Processio* vel *Spiratio activa* dicitur. Sic S. Scriptura Verbum Divinum vocat Filium Unigenitum, *Joan.* 1. *v.* 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Spiritus S. nunquam genitus dicitur, sed simpliciter procedens, *Joan.* 15. *v.* 26. *Cum venerit Paraclitus... qui a Patre procedit.* 2*do.* Tot sunt Processiones in Deo, quot sunt Personæ procedentes (§. 149.). Sed duæ tantum sunt Personæ procedentes, nempe Filius & Spiritus S. (§. 142. 147.). Ergo etiam duæ tantum Processiones ad intra. Item in Deo est intellectus, & voluntas (§. 60.). Ergo etiam intellectio & volitio, hoc est duæ Processiones sive origines a duobus Principiis, quanquam per solum intellectum inter se distinctis.

Valentinianorum hæresis. *Schol.* Valentiniani numerum Processionum in Deo multum auxerunt; nam *Pleroma*, hoc est plenitudinem & complementum Divinitatis invisibile ex 30. *Æonibus* constituerunt sibi conjugio copulatis, & vel ut Patres, vel ut Matres gignentibus, quos rursus in quaternationes, octonationes, decades & duodecades diviserunt; proles vero Æonum diversæ naturæ a Patre esse dixerunt. Inanes fabulæ, quas fuse refert, & solide refutat S. Irenæus in suis libris *adv. hæres.* Vid. meam Analys. PP. tom. 2.

Deus Pater generavit Filium. §. 152. Deus Pater generavit Filium. Testatur hoc *Primo* S. Scriptura, *Ps.* 2. *v.* 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hæc verba de Christo, non vero de Davide agere docent antiqui Rabbini Abenezra, David Kimchi, Saadias Gaon &c. & S. Paulus *Act.* 13. *v.* 32. & *ad Hebr.* 1. *v.* 4. hunc Psalmum Christo accommodat; quod sane non fecisset, si eo tempore de Messia communiter intellectus non fuisset: sane prædicata *v.* 8. 9. 11. 12. nonnisi Christo conveniunt. Referuntur quidem citata verba a S. Paulo *Act.* 13. ad Resurrectionem; & *ad Hebr.* 5. ad Sacerdotium Christi, & bene; nam ex hac æterna generatione tamquam fundamento omnis excellentiæ Resurrectio & Sacerdotium rite deducitur. In Novo Testamento quoties Deus Pater, Patris, & Filius nomine Filii denotatur, toties asseritur propria Filii generatio. *Secundo.* Generatio est origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ ex vi Processionis. Sed Pater in Divinis vita Divina est præditus, dum tamquam

Deus (§. 141.), intelligit & vult (§. 127.), & eamdem vitam largitus est Filio, *Joan.* 5. *v.* 26. idque in similitudinem naturæ (§. 148.), & vi Processionis; alias enim Patri nomen Patris, & Filio nomen Filii non competeret. Ergo Deus Pater generavit Filium.

In quo principium generationis remotum & proximum consistat?

Schol. Principium quod generationis Filii in Divinis, esse Personam Patris nemo dubitat: cum vero in Persona Patris inveniatur non tantum relatio, sed etiam natura Divina aliæque perfectiones absolutæ, quæritur in Scholis, in quo principium quo remotum & proximum generationis consistat, & consequenter quomodo Pater Filium generet. Ubi iterum communiter docent Theologi, *principium quo remotum* generationis esse essentiam Divinam Patris; nam in hac radicatur principium formale quo proximum, & mediante hoc generatio Divina activa, & Filius assimilatur Patri in natura: unde essentia Divina non generat quidem ut quod, generat tamen ut quo. Circa *principium formale quo proximum* Durandus putat, illud esse essentiam Divinam quatenus fœcunda & infinita est, non quatenus est intelligens aut volens. Verum in hac sententia ægre salvatur Definitio Concilii Lateranensis *c. firmiter*, dicentis, quod essentia Divina nec producat nec producatur, quia inter essentiam Patris, Filii & Spiritus S. nulla est distinctio, quam tamen admittere deberet Durandus, si essentia Divina generaret essentiam Filii, cum inter generantem & genitum sit distinctio. Ergo essentia Divina non potest esse principium quo proximum generationis Filii. Quare dum Patres dicunt, Filium procedere a tota substantia Patris, & dari in Deo naturam generantem, agunt contra Arianos, & volunt, totam naturam Divinam Filio communicari, & naturam generantem sumunt pro Persona Patris. S. Bonaventura solam relationem originis pro principio quo proximo generationis Filii assignat. Verum cum Filius genitus non conveniat nec assimiletur Patri generanti in relatione, sed potius in natura, sola relatio principium quo proximum esse nequit. Melius igitur dicitur, *principium quo proximum* & immediatum generationis Filii esse intellectum, prout in obliquo connotat relationem Patris per modum complementi intrinseci. Nam Filius, *Joan.* 1. appellatur Verbum: sed hoc proxime & immediate est ab intellectu, quia est terminus cognitionis Paternæ, per quem, & in quo Pater semetipsum & omnia a se distincta cognoscit: Patres etiam communiter Filium Verbum vocant. Ergo intellectus est principium quo proximum generationis Filii. Deinde principium quo generationis debet esse distinctum a termino producto, & assimilativum;

sed solus intellectus non distinguitur a Filio, imo illi cum Patre communis est: nec sola relatio est assimilativa; imo per relationem Filius a Patre distinguitur: ergo intellectus simul & relatio est principium quo proximum generationis; alioquin non esset distinctio inter principium quo & principium quod.

Pater intelligendo seipsum generat Filium.

§. 153. Deus Pater intelligendo & cognoscendo seipsum generat Filium. Nam *Joan.* 1. Filius dicitur *Verbum*. Sed Verbum est terminus cognitionis Paternæ, seu formalis repræsentatio objectorum, quæ a Deo cognoscuntur. Ergo Pater intelligendo & cognoscendo seipsum generat Filium. Unde S. Augustinus *l.* 15. *de Trin. c.* 10. ait: *Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, Verbum est, quod in corde dicimus.* Rursus Filius Dei dicitur *ad Col.* 1. *v.* 15. *Imago Dei invisibilis.* Ad imaginem vero requiritur, ut perfecte conveniat cum archetypo, & quidem ut in natura conveniat, si sit imago naturalis; vel in externis lineamentis, si sit imago artificialis; vel in objecti repræsentatione, si sit imago intentionalis; ut producatur ab eo, cujus est imago, & ut sit similis vi processionis formaliter. Sed Filius ratione essentiæ est imago naturalis Patris, quæ una est in Patre & Filio (§. 148.), & Filio communicatur prout relationem connotat; ratione vero Personæ est imago intentionalis, ac Verbum formaliter Patrem repræsentans. Ergo per cognitionem Patris generatur. Quare S. Augustinus *l.* 15. *de Trin. c.* 14. *Seipsum dicens Pater genuit Verbum per omnia æquale sibi. Non enim seipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid amplius aut minus esset in ejus Verbo, quam in ipso.* Ratio est: Deus est Spiritus (§. 47.). Sed Spiritus non potest alio modo generare sibi simile, nisi intelligendo se, quomodo format sui sibi ideam & imaginem, & quidem si sit Spiritus perfectissimus, subsistentem; quæ est ipse Filius. Ergo Pater intelligendo se generat Filium.

Per quem actum intelligendi Filius generetur?

Schol. 1. Quærunt hic Scholæ, per quem actum intelligendi Filius generetur, an per illum actum, qui essentialis dicitur, & communis est tribus Personis, an vero per intellectionem personalem propriam Patri: sive an intellectio Patris quid speciale habeat, ut Verbum producat, quod non habet intellectio Filii. Communior sententia tenet, intellectionem hanc non esse actum virtualiter adæquate distinctum ab intellectione essentiali, quia intellectio personalis, & essentialis habent idem objectum formale, cum Verbum Divinum procedat ex cognitione intuitiva essentiæ Divinæ, quæ est ipsa intellectio essentialis. Consistit ergo dictio in ipso essentiali actu intelligendi, eique solum addit relationem Patri, sive dicen-

tis, quia intelligere non est productivum Filii, nisi prout est in Patre; alioquin etiam Filius & Spiritus S. producerent Verbum. Ergo solum per modum complementi connotat relationem Patris: unde præter ordinem, quem intellectio dicit ad objectum cognitum, intellectio personalis seu dictio alium ordinem habet ad terminum productum: simul enim versatur circa objectum cognoscendo, & circa terminum producendo; cognoscendo enim producit, & producendo cognoscit. Terminus autem adæquatus generationis Paternæ, est ipsa Persona seu Filius: formalis vero est ipsamet essentia, quæ communicatur, prout connotat relationem.

Schol. 2. Ulterius quærunt Scholæ, ex quarum rerum cognitione Verbum Divinum procedat. Respondent communius, Verbum Divinum formaliter & essentialiter procedere ex cognitione eorum, quæ sunt formaliter & necessario in Deo, scilicet Essentiæ, Attributorum, Personarum Divinarum, & Creaturarum possibilium. Nam Verbum Divinum procedit ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ, quod non fieret, nisi per se formaliter repræsentaret, quæ sunt in Deo formaliter. Deinde in instanti, quo Pater generat Filium, cognoscit Divinam Naturam ut fœcundam. Ergo cognoscit Filium & Spiritum S. qui sunt termini subsistentes illius fœcunditatis ad intra. Ex cognitione tamen futurorum contingentium tum absolutorum, tum conditionatorum Verbum Divinum non procedit per se, quia non sunt absolute necessaria, sed tantum ex suppositione Decreti, nec habent necessariam connexionem cum Divina Essentia: unde hæc ad productionem Verbi mere concomitanter se habent. Ex dictis autem non potest inferri, in hac sententia Verbum ex tribus Personis procedere: nam aliud est procedere ex cognitione rei alicujus, aliud procedere ex re ipsa: prius sonat, rem esse terminum seu objectum cognitionis, posterius rem esse principium productionis Verbi. Verbum procedit ex cognitione Verbi & Spiritus S. tamquam ex rebus cognitis, seu objecto Paternæ cognitionis, non vero procedit a se vel Spiritu S. tamquam a principio; unde ex defectu hujus processionis, Filius nequit dici imago Spiritus S. Et Verbum ratione originis est prius Spiritu S. licet ratione repræsentationis terminative sumptæ possit dici posterius, quia objective procedit ex cognitione Spiritus S. hæc tamen omnia instantia originis tantum sunt pro imperfecto nostro modo concipiendi; nam simul eadem cognitione Verbum cognoscitur & producitur. Denique quia Verbum ex cognitione creaturarum possibilium procedit, non sequitur, quod illarum sit imago: nam Verbum

Ex quarum cognitione Filius generetur?

non originatur a creaturis, nec illas imitatur, cum scientia Divina, ex qua Verbum procedit, a creaturis non sit desumpta: quatenus tamen Verbum Divinum repræsentat creaturas, potest dici illarum Verbum. Hucusque Scholæ, quarum opiniones ad explicandum Trinitatis Mysterium & Patrum dicta intelligenda non penitus prætereundæ erant.

Generatio hæc est necessaria. §. 154. *Proprietates* Generationis Filii in Divinis sunt. 1. Est *necessaria*. Nam Deus est absolute necessarius (§. 43.). Ergo etiam Filius Dei absolute necessarius esse debet (§. 142.). Sed Filius generatur a Patre (§. 152.). Ergo etiam generatio absolute necessaria esse debet. Unde non ex consilio & voluntate Patris Verbum producitur, uti dicebant Ariani, sed ex ejus substantia, voluntaria quidem propensione, sed necessaria, non libera.

Æterna. 2. Est *æterna*, *Mich.* 5. *v.* 2. *Egressus ejus ab initio, & a diebus æternitatis.* Ubi מוצאות significat, nativitatem, non vero antiquam familiam, quia additur *ab initio & a diebus æternitatis;* nam vox עולם adjuncta voci קדם significat anticipationem omnium temporum, *Ps.* 90. *v.* 2. Unde & Rabbini hunc locum de æterna generatione Messiæ explicant. Ratio est: Oppositum absolute necessarii nullo modo esse potest, & hinc quod absolute necessarium est, nec principium, nec finem durationis habet. Sed hoc est æternum (§. 45.). Ergo cum generatio Filii Dei sit absolute necessaria (n. 1.), erit æterna. Unde etiam generatio hæc semper durat, & semper est consummata, sicuti Deus omnia semper sibi repræsentat, & tamen repræsentatio ejus est consummata, quia est actus necessarius.

Immanens. 3. Est *immanens*, quia terminus productus seu Filius est in Deo, *Joan.* 10. *v.* 38. *Pater in me est, & ego in Patre.* Ratio est: Principium quo proximum generationis Filii est intellectus (§. 152. Schol.). Sed intellectus habet terminum immanentem. Ergo est immanens.

Perfectissima. 4. Est *ab omni imperfectione generationis humanæ remotissima.* Nam 1. non fit per concursum utriusque sexus, quia fit per intellectum (§. 153.). 2. Non fit per mutationem, quia est æterna (§. hoc n. 2.). 3. Non multiplicat numero essentiam, quia Pater & Filius habent eamdem numero essentiam (§. 148.). 4. Est absolute necessaria (n. 1.). 5. Non fit in tempore, utpote æterna (n. 2.), quæ omnia generationi humanæ non competunt.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Ex his solvi possunt variæ hæreticorum cavillationes. Sic quando dicunt: I. Pater volens genuit Filium. Ergo Filius non esse potuit. *Respondetur*, Patrem voluntate necessaria, non libera Filium genuisse.

II. Quod genitum est, incepit esse; ergo & Filius in Divinis. Sed fallit hoc in generatione æterna. III. Quando Filius genitus est, vel erat: & sic frustra erat genitus; vel non erat: & sic non est æternus, nec Deus. *Respondet* S. Basilius: *Non erat, antequam gigneretur, sed erat, cum gigneretur:* semper autem genitus est: semper igitur fuit. IV. Sic Filius non haberet vim generandi, adeoque non haberet omnem perfectionem, & sic Deus non esset. *Resp.* Cum Filius habeat essentiam Divinam eamdem cum Patre, æque perfectus est ac Pater; nam omnis Divinarum Personarum perfectio est ab essentia, non a Personalitate: quod enim Filius intelligendo aliud Verbum non producat, est ex infinita naturæ Divinæ perfectione, cujus tota fœcunditas in intelligendo, unius Verbi infiniti productione exhauritur. Illud solummodo dici potest, quod Filius careat perfectione relativa Patris, quæ Filio plane competere non potest: unde minus perfectus dici nequit, quia Filiatio æque summe perfecta est in Filio, quam Paternitas in Patre propter summam Divinarum relationum in Divina essentia identitatem, a qua omnis perfectio in Divinis Personis fluit. V. Si Filius ex essentia Patris, quæ eadem numero est cum essentia Filii, genitus est, Filius ex seipso genitus est. *Resp.* Hoc argumentum ruit, si consideremus, quod Filius non sit genitus ex essentia Patris, quatenus hæc Patri & Filio communis, sed quatenus Patris hypostasi terminata est.

Schol. 2. Pater est *Principium* Filii in Divinis; nam mediante generatione rationem Filii in se continet, cum ex generatione illa cognosci possit, cur sit Filius. Unde Filius non est quidem a seipso quoad modum habendi essentiam Divinam, *Joan.* 17. *v.* 29. habet tamen essentiam, quæ est a se, *Joan.* 5. *v.* 26. (§. 142.), & quia non habet essentiam numero ab essentia Patris distinctam (§. 148.), & quoad ipsam essentiam suam est a se (§. 142.), neutiquam a Patre proprie dependens dici potest; nam juxta Philosophos: quidquid est dependens, habet essentiam numero distinctam ab eo, a quo dependet. Græci Patres Patrem interdum causam Filii appellant, sed principium originis intelligebant, quia vox *αἰτία* latius patet, quam vox *causa*. Pater vero causa Filii proprie dici non potest; nam causa dicitur ens, quod continet in se rationem existentiæ alterius entis, essentia vel numero ab illo diversi: Filius Dei autem eamdem numero cum Patre essentiam habet. Denique Filius, quatenus a Patre tamquam principio suo est, in operando ad extra ita progreditur, ut nihil a seipso, omnia a Patre agat, quia Pater intelligens se, gignit Verbum,

illique suam visionem & actionem hoc ipso communicat. *Joan.* 5. *v.* 19. *c.* 14. *v.* 10.

Spiritus S. a Patre & Filio procedit. §. 155. Spiritus Sanctus a Patre & Filio procedit. Ita testatur *Primo* S. Scriptura, ubi Spiritus S. dicitur mitti a Filio: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Sed missio supponit, unam Personam ab alia procedere ex sua definitione, quia Missio in Divinis neque per imperium, neque per consilium, sed per solam originem fieri potest. Ergo Spiritus S. a Patre & Filio procedit. Deinde Spiritus S. dicitur a Filio accipere, *Joan.* 16. *v.* 14. *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Unde sic arguit Joannes Theologus in Concilio Florentino: Spiritus S. a Filio accipit. Sed non aliter una Persona ab alia in Divinis accipit, quam via originis & processionis. Ergo Spiritus S. etiam a Filio procedit. Item Spiritus S. dicitur *Spiritus Christi* seu *Filii*, *Act.* 16. *v.* 7. *ad Gal.* 4. *v.* 6. Sicuti ergo Spiritus S. dicitur Spiritus Patris, *Matth.* 10. *v.* 20. quia a Patre procedit, sic dicitur Spiritus Filii, quia a Filio procedit. *Secundo* ita docent Patres Græci & Latini. Tertullian. *cont. Prax. c.* 4. *Spiritum a Patre per Filium* dicit. S. Athanasius *or.* 3. *contra Aria.* ait, *Spiritum a Filio accipere.* S. Hilarius *l.* 2. *de Trin. Patrem & Filium auctores Spiritus S.* vocat. S. Basilius *l.* 3. *contra Eunom.* Spiritum S. *esse a Filio* habere ait. S. Augustinus *l.* 4. *de Trin. c.* 20. aperte dicit, Spiritum & a Filio procedere. Et S. Anselmus integrum tractatum de hac materia scripsit. *Tertio* hoc definierunt Concilia: Toletanum I. a. 400. *assert. fid.* Tolet. XI. a. 675. Gentiliacense a. 767. Aquisgranense a. 809. Barense a. 1098. Lateranense IV. a. 1215. cap. 2. Lugdunense II. a. 1274. Can. 1. Florentinum a. 1429. in decr. union. *Quarto* ratio est: Pater, Filius & Spiritus S. eamdem numero essentiam habent (§. 148.): solus autem Pater eam habet sine principio (§. 154. Schol. 2.). Ergo Spiritus eam ab alio sibi communicatam habet. Sed non habet eam a solo Patre, quia Pater & Filius arctissime inter se uniti sunt, *Joan.* 17. *v.* 10. 11. nec a solo Filio propter eamdem rationem, & quia nihil a se, omnia a Patre agit. Ergo Spiritus S. a Patre & Filio procedit.

Græcorum error de Processione Spiritus Sancti. *Schol.* 1. Vetus est Græcorum adversus Latinos expostulatio de Processione Spiritus S. cum Græci eum a solo Patre procedere contendant. Bellarminus Auctorem hujus erroris facit Theodoretum, quem tamen alii excusant. Illud certum est, circa annum 640. hunc errorem apud Græcos invaluisse: cumque Sæculo octavo pugna acrius exardesceret, habitum est Concilium Gentiliacense

prope Lutetiam anno 767. sub Pipino Francorum Rege, deinde Forojuliense anno 791. & Francofurdiense anno 797. Sæculo nono eadem quæstio ventilata fuit in Concilio Aquisgranensi anno 809. & Arelatensi anno 813. Tandem anno 863. agente Photio Patriarcha Constantinopolitano res in Schisma erupit, & utramque Ecclesiam cœpit dividere. Cœptum Schisma perfecit Michael Cœrularius Patriarcha Constantinopolitanus dicens, Latinos ab Ecclesia esse exclusos, quod Symbolo particulam *Filioque* addere præsumpsissent. Ad conciliandos animos Concilium Barense sub Urbano II. anno 1098. celebratum fuit, in quo S. Anselmus contra Græcos strenue decertavit. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. Constantinopolitanus & Jerosolymitanus Patriarcha cum multis aliis Græcis Præsulibus in concordiam cum Latinis redierunt, & in Concilio Lugdunensi anno 1274. pax cum illis redintegrata fuit, qui etiam Symbolum cum particula *Filioque* inter Missarum solemnia decantarunt. Sed Græcis ad suum errorem redeuntibus anno 1439. celebratum est Concilium Florentinum, cui interfuerunt Eugenius IV. P. Joannes Palæologus Græcorum Imperator, & Patriarcha Constantinopolitanus, qui cum multis Græcis Episcopis Ecclesiæ Latinæ consenserunt, excepto Marco Ephesino, qui ad suos reversus plures quidem in antiquum errorem induxit; statuta tamen Concilii Florentini nulla publica fidei confessione impugnata sunt: unde hic error est personalis, non totius Græcæ Ecclesiæ. Rationes sui erroris Græci petunt I. a S. Scriptura, *Joannis* 15. *v.* 26. ubi Spiritus S. dicitur a Patre procedere. *Resp.* Implicite ibi Processio a Filio asseritur: Concilia vero antiquiora ideo Processionis Spiritus S. a Filio non meminerunt, quia nulla lis de ea mota fuerat. II. Nonnulli Patres dicunt, Spiritum S. a Filio tamquam a principio sine principio, quale est Pater, non procedere. Theodoretus vero solum negat, Spiritum S. ex Filio extantiam habere in sensu Eunomii, qui hoc modo loquendi Spiritum S. creaturam esse innuebat. Theophylactus, qui Schismatis tempore vixit, attendi non debet.

An particula Filioque Symbolo bene addita fuerit?

Schol. 2. Ex his sequitur, particulam *Filioque* merito Symbolo Constantinopolitano additam esse, cum antiquam fidem solum explicet, & nullibi prohibeatur Ecclesiæ, Symbolis pro necessitate temporum aliquid addere, quod fidei non est contrarium. Quo tempore vero hæc additio facta fuerit, eruditi non conveniunt. Genebrardus Auctorem additionis facit Damasum P. S. Antoninus Nicolaum I. P. anno 858. Baronius Synodum VII. generalem anno 787. Illud certum est, additionem hanc apud

Hispanos obtinuisse Sæculo sexto, teste Concilio Toletano anno 589. celebrato. In Galliis & Germania modo recepta fuit post Synodum Aquisgranensem anno 809. sed quo tempore universalis Ecclesia hanc additionem probaverit, definiri vix potest. Vid. P. de Rubeis in dissertatione de hac re edita.

Schol. 3. Spiritus S. potest dici a Patre per Filium procedere, quatenus Filius essentiam Divinam a Patre acceptam communicat Spiritui Sancto, non vero quatenus etiam ipse Pater immediate spirat Spiritum S. Denique Scholæ probabilius docent, Spiritum S. a Filio non distinctum iri, si ab eo non procederet, quia in Processione fundatur distinctio.

Pater & Filius mutuo amore spirant Spiritum Sanctum.

§. 156. Pater & Filius mutuo amore se prosequendo spirant & producunt Spiritum S. Nam Spiritus S. a Scriptura & Patribus vocatur *Amor*, *ad Rom.* 5. quia ab amore procedit, & vi processionis formaliter est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris & Filii; unde etiam dicitur *Unio*, *Communio*, *Amplexus*, *Osculum*, *Nexus*, Ratio est: Spiritus S. a Patre & Filio procedit (§. 155.). Sed non procedit per intellectionem, alias foret Filius (§. 153.). Ergo per volitionem seu mutuum Patris & Filii amorem.

Quare Spiritus S. vocetur Spiritus?

Schol. 1. Modus, quo Pater & Filius essentiam Divinam per amorem communicant, si ad Spiritum S. respicias, bene exprimitur per *Processionem* a Patre & Filio: si autem ad Patrem & Filium respicias, per *Spirationem*, unde etiam Spiritus oris Patris dicitur, *Ps.* 32. *v.* 6. Igitur non dicitur *Spiritus* propter immaterialitatem; hæc enim etiam Patri & Filio competit, sed quia est terminus mutui amoris Patris & Filii, cujus amoris proprium est, impelli & inclinari in rem amatam, qui impulsus est subsistens & personalis in Deo. Spiritui additur *Sanctus*, quia Sanctitas accommodatur Spiritui S. sicuti Potentia Patri, & Sapientia Filio. Vocatur etiam *Donum* & quidem Personale, quia est res alicui ab aliquo data, & ex proprio charactere ad donandum inclinatio. *Paracletus* vero dicitur, quia gratiam in cordibus nostris diffundit, quæ nos consolatur.

Principium quo proximum Processionis Spiritus Sancti.

Schol. 2. Principium quo proximum Processionis Spiritus S. est voluntas, prout in obliquo connotat relationem Patris & Filii per modum complementi intrinseci (§. 152. Schol.). Volitio autem illa, per quam Spiritus S. a Patre & Filio procedit, seu spiratio activa consistit formaliter in amore essentiali, eique solum addit relationem Spiratoris (§. 153. Schol. 1.). Procedit autem Spiritus S. ex amore essentiæ Divinæ, Attributorum, trium Personarum per se & essentialiter; ex amore vero

creaturarum futurarum non necessario, sed tantum ex hypothesi Divini decreti procedit. Creaturas vero mere possibiles utpote nunquam futuras Deus non amat, quia illis nullum bonum nec existentiam vult, adeoque ex earum amore Spiritus S. nequit procedere (§. 153. Schol. 2.).

Discrimen inter generationem Filii, & Processionem Spiritus Sancti.

Schol. 5. Quærunt etiam Scholæ, quodnam sit discrimen inter generationem Filii, & Processionem Spiritus S. Richardus a S. Victore discrimen hoc in eo ponit, quod Filius accipiat a Patre naturam fœcundam ad producendum Spiritum S. Spiritus S. vero naturam exhaustam fœcunditatis expertem. Sed hoc modo Spiritus S. non esset in natura perfecte similis Patri & Filio, nec Filius Patri, quia non haberent naturam illam fœcundam, cum Spiritus S. nullum terminum, nec Filius alium Filium producat. Vasquez discrimen in eo statuit, quod Filius sit perfecta imago Patris, Spiritus S. vero per modum imaginis non procedit. Verum hæc sententia non explicat, quid ratio imaginis addat supra similitudinem perfectam in natura, quam etiam habet Spiritus S. Suarez hoc discrimen assignat, quod Verbum procedat per intellectionem actualem, quæ est ultima differentia naturæ Divinæ; Spiritus S. vero per voluntatem sub ratione amoris actualis, qui amor supponit Divinam naturam jam constitutam. Sed hæc sententia laborat in falso supposito, nempe actualem intellectionem esse ultimam differentiam naturæ Divinæ (§. 41. Schol. 6.). Thomistæ volunt, ideo Processionem Filii esse generationem, quia fit per intellectum, cujus proprium est assimilare sibi terminum; Processio vero Spiritus S. fit per voluntatem, quæ ex natura sua non tendit ad similitudinem, sed solum ad unionem. Sed ex hoc sequeretur, Spiritum S. vi Processionis non esse formaliter Deum Patri & Filio consubstantialem, quia vi suæ Processionis non procedit ut similis in natura Patri & Filio, cum procedat per voluntatem, quæ ex se ad similitudinem non tendit; unde solum Patri & Filio esset consubstantialis identice & subjective, quia in Deo & a Deo procedit, quod etiam concedunt Sociniani. Dicamus ergo cum S. Joanne Damasceno *l.* 1. *de fide c.* 8. *Generationem inter & Processionem discrimen intercedere edocti sumus; ceterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus.*

Spiratio hæc est necessaria.

§. 157. Proprietates Spirationis in Deo sunt. 1. Est *necessaria*. Nam Deus est abolute necessarius (§. 43.). Sed Spiritus S. est verus Deus (§. 147.). Ergo absolute necessarius esse debet. Cum autem essentiam suam a Patre & Filio habeat per spirationem (§. 155. Schol. 1.),

Spiratio ipsa absolute necessaria esse debet (§. 144.). Unde etiam Spiratio ex ipsa Patris Filiique natura fluit.

Æterna. 2. Est *æterna*. Nam Spiratio, qua Spiritus S. spiratur, est absolute necessaria, adeoque æterna, nec principium nec finem durationis habens (§. 45.). Attamen ne imperfecte adhuc spiratus Spiritus S. dicatur, consummata semper est.

Immanens. 3. Est *immanens*. Quia principium quo proximum Spirationis est voluntas (§. 156. Schol. 2.), quæ habet terminum immanentem.

Pater & Filius sunt unum tantum principium Spiritus Sancti. §. 158. Pater & Filius sunt principium, & quidem unum tantum Spiritus S. Ita docet Concilium Lugdunense *c. fideli*, *de sum. Trinit.* ubi damnantur illi, qui temerario ausu asserere præsumpserint, quod Spiritus S. a Patre & Filio tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno procedat. Et in Concilio Florentino definitur, quod Spiritus S. a Patre & Filio tamquam *ab uno Principio & unica spiratione* procedat. Idem affirmat S. Basilius *l.* 2. *cont. Eunom.* S. Augustinus *l.* 5. *de Trinit. c.* 14. & S. Anselmus *l. de Proc. Spirit. S.* Ratio est: quia Pater & Filius rationem Spiritus S. mediante spiratione in se continent, cum ex spiratione cognoscatur, cur Spiritus S. sit (§. 155. 156.). Ergo possunt dici Principium Spiritus S. sed non principia, quia eadem numero virtute Spiritum S. necessario & ab æterno in æternum producunt (§. 157.): ex unitate enim numerica influxus, unitas Principii solet æstimari.

Quomodo prædicatio fiat in materia SS. Trinitatis? *Schol.* 1. Durandus putavit, Patrem & Filium duo Spiritus S. principia dici posse: sed notant communiter Theologi, hanc opinionem esse erroneam & temerariam. Ut ergo intelligatur, quomodo Pater & Filius inter se realiter distincti possint dici unum principium Spiritus S. notandum, quod hæc nomina substantiva: Principium Spiritus S. & Spirator, immediate denotent quoddam quasi individuum, quod est commune Patri & Filio, & nostro modo intelligendi ex essentia & spiratione activa constituitur. Non tamen ideo putandum est, quatuor esse Divinitatis Personas, Patrem, Filium, Spiritum S., & Spiratorem; nam Spirator non est nova persona, sed complectitur duas Personas Patris & Filii quatenus sunt Spiritus S. correlatum. Nec sequitur, Spiritum S. nec a Patre, nec a Filio immediate procedere, sed ab illo Spiratore; quia ipse hic Spirator Patrem & Filium includit. Ut igitur caute in hac materia loquamur, serventur sequentes regulæ. 1. Ut nomina substantiva dicantur pluraliter, requiritur & pluralitas suppositorum seu Personarum, & significati formalis seu essentiæ. 2. Ut nomina adjectiva dicantur pluraliter vel verba, satis est

pluralitas suppositorum. Sic bene dicimus, Pater, Filius, & Spiritus S. creant mundum: male vero dico: sunt creatores mundi; sed dicendum est, sunt creator mundi, ne pluralitas essentiæ creatoris inferatur. Item male dico: Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres Dii: bene vero: sunt Deus. Eodem modo male dico: Pater & Filius sunt Principia Spiritus S. quia licet duæ sint Personæ, significatus tamen formalis principii seu essentia non multiplicatur; sed debeo dicere: sunt principium. Hinc quando in Symbolo S. Athanasii dicitur: unus omnipotens, non tres omnipotentes, ly omnipotens substantive sumitur. Porro cum Pater & Filius absolute necessario Spiritum S. spirent (§. 157.), patet non propter insufficientiam virtutis in Patre, Filium etiam ad spirationem concurrere, sed quia juxta essentiam Divinam non aliter est possibile: imo si Spiritus S. a Filio non procederet, non distingueretur ab eo realiter, quia oppositio relativa inter spirantem & spiratum cessaret: ubi autem in Divinis non obviat relativa oppositio, ibi nulla est distinctio realis. Quando vero nonnulli antiqui dicunt: Patrem & Filium esse auctores Spiritus S. ly auctores sumunt adjective, id est spirantes, non vero substantive, id est Spiratores, ob rationem jam allatam.

Schol. 2. Licet igitur Spiritus S. ut verus Deus est (§. 147.), habeat essentiam, quæ est a seipsa, cum eadem numero cum Patre essentia gaudeat (§. 148.); quoad modum tamen eam habendi non est a seipso, sed Patrem & Filium pro Principio suo agnoscit: nec tamen dependens a Patre & Filio, nec Pater & Filius causa Spiritus S. dici possunt (§. 154. Schol. 2.). Et quia Spiritus S. est a Patre & Filio; hinc interna ejus proprietas in opera externa ita profluit, ut Spiritus S. a se non agat quidquam, sed a Patre & Filio, uti testatur Christus *Joan.* 16. *v.* 13. Qua ratione Pater, Filius & Spiritus S. ita agunt, ut Pater per Filium in Spiritu S. agat, *ad Rom.* 11. *v.* 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

§. 159. Deus Pater essentiam Divinam, quoad modum etiam habendi, habet a seipso. Nam Deus Pater sæpissime in S. Scriptura legitur *Filium generare*, *mittere* (§. 152.), *Joan.* 7. *v.* 28. 29. 33. & *mittere Spiritum S. Joan.* 14. *v.* 26. & per eos *operari* (§. 154. Schol. 2. §. 158. Schol. 2.), *Ps.* 32. *v.* 6. Nullibi tamen Pater a Filio & Spiritu S. esse, mitti, nec hi per illum operari dicuntur. Ergo Pater essentiam Divinam, quæ a seipsa est, habet etiam quoad modum habendi a seipso. Ratio est: Pater communicat essentiam Divinam Filio & Spiritui S. (§. 153. 155.). Ergo non potest illam vicissim a Filio

Pater essentiam Divinam quoad modum etiam habet a seipso.

& Spiritu S. communicatam accipere, quia alias circulus oriretur. Porro hæc *aseitas* Patris non confundenda est cum aseitate essentiæ Divinæ. Nam cum Pater, & Filius, & Spiritus S. eamdem numero essentiam Divinam habeant (§. 148.), & Deus sit ens a se (§. 40.), omnes habent eam essentiam, quæ est a seipsa, sed solus Pater eam habet a seipso. Unde aseitas Patris, quatenus est Pater, non essentiam, sed modum eam habendi respicit.

Quomodo Pater sit principium Divinitatis? *Schol.* Ex hoc colligere licet, quomodo Pater principium totius Divinitatis possit appellari. Nempe si per totam Divinitatem intelligatur essentia Divina, secundum quam Deus est Spiritus a se, Pater non potest dici principium totius Divinitatis; nam essentia Divina non habet ullum sui principium, alias non esset Spiritus a se, & quia Pater est Spiritus a se habens essentiam Divinam, nequit fieri, ut idem sit sui ipsius principium. Nec Pater potest dici principium totius Divinitatis, si per Divinitatem intelligantur tres Personæ Divinitatis, alias Pater sui ipsius principium dicendus esset. Dicitur igitur principium totius Divinitatis, quia omnes Deitatis Personæ, quæ non sunt Pater, a Patre procedunt, & Pater earum rationem in se continet. Porro aseitas Patris, prout Pater est, in operibus externis etiam se debet exerere, ita ut agat a se: hinc dicitur Pater agere a se per Filium in Spiritu S. qualis modus agendi nulli ex Divinitate præter Patrem competit, 1. *ad Cor.* 8. *v.* 6. *ad Rom.* 11. *v.* 36. & particula diacritica Patri attributa ibi est, ly *ex*, licet subinde propter Patris cum Filio & Spiritu S. consubstantialitatem cum alia particula, *per*, commutetur.

Ratione ordinis in subsistendo in Divinitate primus est Pater, secundus Filius, tertius Spiritus Sanctus. §. 160. Ratione ordinis in subsistendo & operando, primus in Divinitate est Pater, secundus Filius, tertius Spiritus S. Hic ordo inter Patrem, Filium & Spiritum S. sæpe diserte in S. Scriptura retinetur, v. g. *Matth.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Et S. Justinus *Apol.* 2. ait: *Jesum agnoscimus, veri Dei Filium, & loco secundo colimus, tertiumque ordine Spiritum Propheticum.* Ratio petitur ex dictis, quia Pater essentiam Divinam etiam quoad modum habendi habet a se (§. 159.), & Pater agit a se (loc. cit. Schol.); Filius vero essentiam Divinam quoad modum habendi habet a Patre communicatam (§. 153.), & omnia a Patre agit (§. 154. Sch. 2.). Spiritus S. a Patre & Filio essentiam communicatam habet (§. 155.), & a Patre & Filio agit (§. 158. Schol. 2.).

In tribus §. 161. In tribus Divinis Personis non datur ordo per-

fectionis, nec virtutis agendi ad extra, nec temporis, nec dignitatis; sed in omnibus essentialibus attributis, vi agendi, duratione & cultu inde resultante omnes tres Personæ omnino æquales sunt. Nam Filius æque ac Pater & Spiritus S. sunt verus Deus (§. 141. & seq.), adeoque omnium attributorum Divinorum omnes sunt participes: ergo ratione perfectionis æquales sunt. Deinde virtus agendi ad extra sequitur perfectiones essentiales: sed in his Pater præ Filio & Spiritu S. præcellentiam non habet: ergo nec ratione virtutis ad extra operandi. Rursus sicuti Pater est ab æterno, ita etiam Filius & Spiritus S. (§. 142. 146.). Ergo ratione temporis sunt æquales. Item sicuti Pater cultu Divino est prosequendus (§. 141.), ita etiam Filius (§. 143.), & Spiritus S. (§. 147.). Ergo ratione dignitatis sunt æquales. Unde Symbolum S. Athanasii: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*. Quippe æqualia dicuntur, quæ eamdem habent quantitatem; quæ autem eamdem quantitatem habent, sunt idem: ergo cum Pater, Filius & Spiritus S. in omnibus essentialibus sint idem (§. 148.), in omnibus perfectionibus essentialibus eamdem quantitatem scilicet infinitam habere debent. Igitur solus ordo originis in tribus Divinis Personis admitti potest. *Divinis Personis non datur ordo perfectionis, nec virtutis agendi ad extra, nec temporis, nec dignitatis.*

Schol. Cudworthus & Bullus Angli, & Episcopius ac Limbrochius Arminiani inæqualitatem inter Personas Divinas in perfectionibus essentialibus defendunt; quam opinionem alii *subordinationem*, alii Arianismum mollem appellant. Sed hoc modo nec Filius nec Spiritus S. Deus forent, quod est contra demonstrata (§. 143. 147.).

§. 162. Pater, Filius & Spiritus S. sunt realiter invicem distincti. Ita docet *Primo* S. Scriptura N. T. ubi *Matth.* 3. *Marci* 1. *Luc.* 3. tres Personæ in Baptismo Christi fuerunt declaratæ. *Pater & Filius* cœlesti illa voce: *Hic est Filius meus dilectus*; & *Spiritus S.* dum super Christum descendit corporali specie sicut columba. Non designatur hic per Filium Filius adoptivus, & per Spiritum S. tantum gratiæ plenitudo, uti volunt Sociniani. Nam de Filio naturali agi probat emphasis textus Græci: ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, quod de nullo alio legimus. Item Evangelista S. Lucas expresse asserit *c.* 3. *v.* 22. Spiritum S. descendisse *corporali specie sicut columba*. Ergo veram Personam sicuti in Filio designat. Deinde *Matth.* 28. *v.* 19. dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* ubi sane frustra a Christo tria diversa nomina, quorum cuilibet peculiaris significatio subest, fuissent adhibita; *Pater, Filius & Spiritus S. sunt realiter distincti.*

frustra articulus emphaticus τοῦ esset additus; frustra bis repetita esset particula copulativa καὶ, nisi realis esset illorum trium distinctio. Rursus *Jo.* 5. *v.* 7. tres esse in cœlo testimonium dantes dicuntur, licet hi tres essentia unum sint (§. 148.).

Secundo. Ad hanc realem Patris, Filii, & Spiritus S. distinctionem indicandam Patres Ecclesiæ, ipsa S. Scriptura præeunte *Joan.* 14. *v.* 16. dixerunt, quod in Trinitate detur ἄλλος καὶ ἄλλος ὑποστατικὸς, licet non ἄλλο καὶ ἄλλο οὐσιωδῶς. Hæc quippe ipsorum mens est, alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum S. esse in respectu personali, non autem aliud essentia. Unde S. Aug. *l.* 1. *de fide c.* 1. *Una est Patris & Filii, & Spiritus S. essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.* Ratio est, quia illa vocamus distincta, in quorum uno est aliquid, quod non est in altero: sed in generante aliquid aliud est, quam in generato, quia generans dat vitam generato, generatus accipit (§. 152.): ergo generans & generatus debent esse realiter distincti, & consequenter Pater & Filius in Divinis sunt realiter distincti. Eodem modo cum in spirante debeat esse aliquid aliud, quam in spirato; spirans & spiratus debent inter se realiter distingui: adeoque cum Pater & Filius Spiritum S. spirent (§. 155.), Spiritus S. a Patre & Filio realiter distinguitur.

Sabellianorum objectiones solvuntur.

Schol. 1. Noetus circa annum 245. asserebat, Patrem, Filium & Spiritum S. non solum natura, sed etiam Persona unum Deum & singularem esse, cujus Patronus famosissimus fuit Sabellius, a quo dicti sunt Sabelliani, quotquot post eum realem distinctionem Personarum in Deo rejecerunt. Opponunt I. illa loca S. Scripturæ, ubi Deus unus dicitur; *Deut.* 6. *v.* 4. Solus Pater Deus. *Resp.* In priori loco unitas Dei in natura, non vero unitas Personæ designatur: in posteriori idola a ratione veri Dei excluduntur. II. Opponunt illud *Joan.* 10. *v.* 30. *Ego & Pater unum sumus.* Et *Joan.* 14. *v.* 9. *Qui videt me, videt & Patrem. Resp.* Prior locus de unitate essentiæ; posterior de effectibus externis miraculosis intelligitur, in quibus est eadem virtus Patris & Filii. III. Opponunt distinctionem realem Personarum in Deo inferre compositionem, ens aggregatum per accidens, & majus incrementum ex tribus Personis emergens. *Resp.* Primum non sequitur, quia nihil est in Deo per modum potentiæ, quod perficiatur, nil per modum formæ, quod perficiat. Non secundum, quia ad ens aggregatum per accidens requiritur, ut ex pluribus nullam inter se connexionem habentibus fiat; Personæ vero Divinæ summam

naturæ unitatem habent. Et quia tres Personæ majorem perfectionem non afferunt, quam totam habent ab una & singulari essentia, majus incrementum non faciunt.

Schol. 2. Realis distinctio Personarum Divinarum non tollit unitatem essentiæ (§. 148.). Unde Deus recte *Triunius*, seu *Trinitatis*, seu *Trini* nomine designatur: male vero diceretur in Divinis esse Ternio, Ternitas, Triplicitas, Triformitas, quia hæc nomina trium rerum substantialiter distinctarum numerum & compositionem important; licet possit dici triplex Persona. Item non potest dici, Filius esse diversus, divisus, alienus, dispar & differens a Patre, quia sic naturæ diversitas indicatur: dici tamen potest alius, distinctus, & quoad relativam proprietatem differre a Patre, quia sic denotatur Personalis ejus distinctio. Ly solus tantum conjungi potest termino personali, quando prædicatum in propositione est proprium soli Personæ, quæ est subjectum: v. g. solus Pater generat. *Trinitas quid?*

§. 163. Trinitas in veteri etiam Testamento fuit cognita. Nonnulli hoc probant ex *Gen.* 1. *v.* 1. *In principio creavit Deus cælum & terram:* ubi אלהים in plurali conjungitur cum ברא in singulari, ad innuendam pluralitatem Divinarum Personarum. Verum cum alii interpretes cum Bellarmino velint, hanc solum esse proprietatem linguæ Hebraicæ, nolumus hic ex re incerta argumentum ducere. Unde melius probatur ex *Gen.* 1. *v.* 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et *c.* 3. *v.* 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Et *c.* 11. *v.* 7. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Ubi in plurali dicitur: *faciamus*, *unus ex nobis*, *descendamus*, ad designandam Personarum pluralitatem; in singulari vero: *ad imaginem*, ut denotetur unitas essentiæ. Nec est cur dicatur, ideo hæc in plurali dici, ut Majestas Divina indicetur: quia alias etiam Deus in Legis promulgatione, *Exod.* 20. ubi vel maxime majestatem suam Deus ostendebat, de se in plurali loqui debuisset: sane stylus majestaticus ne quidem in omnibus locum habere potest, uti *Gen.* 3. *v.* 22. ubi fit partitio, realem pluralitatem supponens. 2*do*. In V. T. Deus a Deo distinguitur, *Gen.* 19. *v.* 24. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino*: ubi יהוה non solum repetitur, sed etiam cum præpositione מאת *a*, *ex domino*, ad denotandum Filium Dei, quia nomen יהוה soli Deo tribuitur. 3*tio*. Ex iis locis, ubi nomen Sanctus vel Deus ter repetitur, *Is.* 6. *v.* 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, ubi unitas exprimitur in voce יהוה, & Trinitas in trina repetitione, *Sanctus*. Unde etiam R. Si- *Trinitas in V. T. fuit cognita.*

meon ita explicat: *Sanctus, hic est Pater: Sanctus, hic est Filius: Sanctus, hic est Spiritus S.* Et R. Jonathan Filius Uziel: Chaldaice sic habet, *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S.* Quæ testimonia quidem in recentioribus editionibus horum Rabbinorum omissa sunt, ea tamen in antiquis manuscriptis legit Galatinus. Quod vero hac repetitione superlativum juxta phrasim linguæ Hebraicæ non designetur, patet ex *v.* 8. ubi dicitur: *Quem mittam?* en unitas essentiæ: *Et quis ibit nobis?* en Personarum pluralitas. Et *Ps.* 66. *v.* 7. dicitur: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus:* ubi *Deus noster* in medio ponitur, quod optime ad Filium Dei propter assumptam humanitatem refertur. Alia testimonia pro Divinitate Filii & Spiritus S. dedimus (§. 142. 147.).

Quibus revelata fuerit? *Schol.* In Veteri Testamento solis Patriarchis, Prophetis & viris Sanctis aperta Mysterii SS. Trinitatis revelatio concessa fuit, uti innuit Christus, *Matth.* 13. *v.* 17. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Sane desiderium Incarnationis illis revelatæ Mysterium SS. Trinitatis supponit. Communi tamen vulgo Judæorum aperta revelatio Mysterii SS. Trinitatis merito denegata fuit, tum ut Polytheismi occasio tolleretur, tum ut Novo Testamento utpote perfectiori hæc revelatio a Christo facienda reservaretur. Unde vulgus Judæorum imperfectam solum Divinitatis Messiæ notitiam habuit, quem tantum ut regem præpotentem sibi exhibuit. Quia tamen fides in Christum mediatorem omni tempore necessaria erat ad salutem, Judæi justi fidem saltem implicitam in Christum Deum habuerunt. Inter legisperitos vero semper subobscura quædam de SS. Trinitate Traditio viguit, quia aderat Traditio de Divinitate venturi Messiæ, quæ confusam SS. Trinitatis notitiam includit: sane si Messiam Deum esse non agnoscerent, frustra eos Christus ad probandam suam Divinitatem ad Scripturas remisisset, si eam ex Prophetis discere non potuissent.

Deus est substantia singularis completa communicabilis. §. 164. Sanctissimæ Trinitatis mysterium hucusque ad S. Scripturæ ductum explicavimus. Quia vero ad solvenda varia adversariorum Sophismata, & vindicandum verum S. Scripturæ sensum varii in Ecclesia recepti sunt termini, restat, ut eos ad altissimum hoc mysterium in sequentibus applicemus. Igitur *Deus est substantia, & quidem communicabilis, singularis, & completa.* Nam substantia est ens, quod non existit in alio tamquam subjecto, seu ens per se existens. Sed cum Deus sit ens a se (§. 40.), existeret, etsi nullum aliud adesset ens,

adeoque non est in alio tamquam in subjecto. Ergo est *substantia*. Deinde substantia, quæ pluribus potest competere, dicitur *communicabilis*. Sed cum Pater æque ac Filius & Spiritus S. sint verus Deus (§. 141. 143. 147.), Deus est substantia pluribus competens. Ergo *communicabilis*. Rursus substantia *singularis* dicitur substantia omnimodo determinata: cum autem omne ens existens omnimodo determinatum sit, siquidem quidquid de eo cogitari potest aut ei competit, aut non, per ipsum principium contradictionis, sequitur, omnem substantiam existentem esse substantiam singularem: sed Deus est substantia existens (§. 41.): ergo est substantia *singularis*. Denique substantia, quæ ex natura sua non ordinatur ad constituendum cum altero tertium, est *completa*. Sed Deus est substantia, quæ est a se (§. 40.), adeoque ad tertium constituendum ex natura sua non ordinatur. Ergo est substantia *completa*.

Schol. Non est repugnantia secundum diversum respectum, Deum dici substantiam communicabilem, & sinlarem, seu incommunicabilem. Deus enim dicitur substantia singularis, quatenus omnimodo jam determinatus est, ad quod etiam pertinet, ut sit Pater, Filius & Spiritus S. Communicabilis autem substantia dicitur, quatenus ille abstractive ab eo, quod Pater, Filius & Spiritus S. sit, consideratur; sed his tribus essentia Divina communis esse debet.

§. 165. Deus non est *suppositum*, nec *unica Persona*. Nam suppositum est substantia singularis & incommunicabilis. Sed essentia Divina non est incommunicabilis (§. 164.). Ergo non est *suppositum*. Deinde suppositum intellectu præditum dicitur Persona. Sed essentia Divina non est unicum suppositum. Ergo nec *unica Persona*. *Deus non est suppositum nec unica Persona.*

Schol. 1. *Persona* juxta Boetium est naturæ rationalis individua substantia, id est subsistentia; quæ definitio cum nostra quoad rem coincidit, ubi Personam concretive sumimus, quo modo substantiam, quod est ejus materiale, & subsistentiam cum intellectu, quod est ejus formale, includit. *Persona* autem abstractive sumpta, hoc est Personalitas, est substantiæ intelligentis substantia. *Subsistentia* est modus existendi, quo substantia singularis existit complete & incommunicabiliter. Græci Personam vocant ὑπόςασιν. Olim inter Græcos & Latinos controversia fuit de his vocibus, *Persona* & ὑπόςασις. Latini putantes, nomen ὑπόςασις idem significare ac essentiam, Græcos tres ὑποςάσεις in Deo admittentes Arianos vocabant: Græci putantes, Personas solum dici πρόσωπα, id est quales personas homines in comœdiis exhibent, ac *Persona quid? Subsistentia.*

proinde in Divinis unam Personam sub varia repræsentatione multorum officia sustinere, Latinos Sabellianos vocabant, de qua re S. Damasus S. Hieronymum consuluit, qui voluit taceri tres hypostases, quia, ait, nomen non bonæ suspicionis est, & venenum sub melle latet. Nunc autem plene nota utriusque nominis significatione, utroque indifferenter utitur Ecclesia: οὐσία licet proprie naturam seu essentiam significet, a nonnullis tamen antiquis S. Gregorio Nisseno & Epiphanio pro Persona sumitur; quod tamen hodie non amplius licet. Similiter nomen φύσις essentiam significat; ab antiquis tamen etiam pro Persona accipiebatur; quod hodie omnino obsolevit. Item ὕπαρξις subinde pro natura, subinde pro Persona olim usurpabatur, & ipsum nomen substantiæ cum nomine subsistentiæ confundebatur.

φύσις. *ὕπαρξις.*

Quot sint subsistentiæ in Deo? *Schol.* 2. Cajetanus quatuor in Deo subsistentias admittit, tres relativas & unam absolutam. Verum hæc sententia non placet, tum quia natura Divina præcisis per mentem relationibus non est ultimo completa & incommunicabilis, imo a Patre communicatur Filio & Spiritui S. tum quia si talis absoluta subsistentia admittatur, admittenda esset in Deo Persona communis & absoluta, & sic quatuor in Deo essent Personæ. Non obest I. quod subsistentia sit perfectio simpliciter simplex. *Resp.* Hoc falsum est de subsistentia absoluta, quia est incompossibilis cum alia Dei perfectione, scilicet communicabilitate Divinæ naturæ. Non obest II. quod Deus præintellectus suis relationibus operetur, intelligat, velit, creet, conservet, sit perfectus, infinitus, subsistens. *Resp.* Deus non operatur ad intra vel extra, nisi quatenus subsistit in tribus Personis: est perfectus & infinitus perfectione essentiæ, non vero personali: est subsistens, hoc est existens, non vero incommunicabiliter.

Pater, Filius & Spiritus S. sunt tria supposita. *§. 166. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tria supposita. Quippe Deus est substantia (§. 164.). Sed Pater, Filius, & Spiritus S. sunt verus Deus (§. 141. 143. 147.). Ergo Pater, Filius & Spiritus S. sunt substantia. Rursus omnis substantia existens est substantia singularis (§. 164.). Sed Pater & Filius & Spiritus S. existunt; sunt enim verus Deus existens (loc. cit.). Ergo sunt substantia singularis. Porro Pater est substantia completa, quia Divinam essentiam habet a se (§. 159.), adeoque non producitur ad constituendum cum altero tertium (§. 164.); similiter Filius quidem a Patre generatur, & Spiritus S. a Patre & Filio spiratur, sed non eo fine, ut Filius cum Patre & S. Spiritu, & Spiritus S. cum Patre & Filio totum Deum constituant, sed absolute necessario (§. 154. 157.), quæ necessitas excludit finem,

Ergo Filius est substantia completa, sicuti & Spiritus S. (§. 164.). Denique Pater tamquam generans realiter distinguitur a Filio generato, & Filius a Patre tamquam generante, & Pater & Filius tamquam spirantes a Spiritu S. spirato, & Spiritus S. a spirante Patre Filioque (§. 162.). Ergo Pater non potest competere Filio, nec Spiritui S. nec Filius Patri aut Spiritui S. nec Spiritus S. Patri aut Filio, adeoque Pater æque incommunicabilis est reliquis, ac Filius & Spiritus S. (§. 164.). Quare cum Pater sit substantia singularis, completa & incommunicabilis, sicut Filius & Spiritus S. hinc Pater est suppositum, sicuti & Filius & Spiritus S. (§. 165.). Ergo Pater & Filius & Spiritus S. tria sunt supposita.

Schol. Dum Patrem dicimus esse substantiam, uti & Filium & Spiritum S. facile patet, non tamen tres substantias a nobis admitti, quemadmodum nec tres Deos admittimus, licet quilibet eorum sit verus Deus. Eadem enim substantia Divina, sed sub diversis relationibus, omnibus tribus competit. Et quando Patrem Filio & Spiritui S. incommunicabilem dicimus, non contradicimus superioribus, ubi Patrem cum Filio & Spiritu S. essentiam Divinam communicare demonstravimus (§. 154. Schol. 2. 157. Schol. 2.): nam distinguendum est inter communicationem essentiæ Divinæ, quam supra asseruimus, & Paternitatis, quam negamus.

§. 167. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres Personæ. Ita aperte hæc Trinitas Personarum in Deo elucet ex ipsa formula Baptismi, *Matth.* 28. *v.* 16., ubi Christus baptizare jubet *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Cum ergo certum sit ex ipsa confessione adversariorum, Patrem, in cujus nomine baptizare jubemur, esse Personam, cur idem non dicendum erit de Filio & Spiritu S.? Certe si Spiritus S. non esset nisi affectio Patris, v. g. ejus omnisapientia vel omnipotentia, ridicula foret locutio, si juberemur baptizare in nomine Patris & Filii, & omnipotentiæ Patris, siquidem Patre nominato ipsa ejus omnipotentia indicatur. Deinde Deo competit intellectus (§. 60.), adeoque etiam Patri, Filio, & Spiritui S. intellectus debet competere (§. 141. 143. 147.). Cum ergo Pater sit suppositum intelligens, sicuti & Filius & Spiritus S. (§. 166.), Pater est Persona, sicuti Filius & Spiritus S. (§. 165.). Et quia licet alias personis multiplicatis essentiæ multiplicentur, hic in Divinitate eadem numero essentia manet omnibus tribus Personis communis (§. 148.), Deus sicuti essentia unus (§. 58.), ita Personis Trinus est.

Pater Filius & Spiritus S. sunt tres Personæ.

Schol. 1. Sabelliani & Sociniani, qui Trinitatem negant, varia dubia contra eam movent, quorum fons est,

Solvuntur ob-

sessiones. quod Deum modo sumant pro essentia Divina omnes tres Personas complectente, vel abstrahente a relationibus personalibus, modo personaliter pro certa Divinitatis Persona. Quare si hæc bene distinguamus, non sequitur I. contradictio, quod sit unus summus Deus, & tamen quælibet Persona Deitatis sit summus Deus. Nam unus summus Deus est in essentia, & trinus in Personis, quia una essentia in tribus Personis subsistit. II. Nullus est hic syllogismus: Unus ille Deus est Pater. Sed Filius etiam est unus ille Deus. Ergo Filius est Pater, quia constat ex meris particularibus, quia Deus semper sumitur personaliter. III. Male dicitur: Pater est summus Deus. Sed etiam Filius & Spiritus S. est summus. Ergo tres sunt summi Dii: nam essentia Divina in tribus Personis non multiplicatur. IV. Non sequitur, quamlibet Personam esse Trinam in Personis, quia quælibet est summus Deus: nam si Deus sumatur communiter, est trinus in Personis; non vero si sumatur specialiter pro hac vel illa Persona. Eodem modo alia sophismata solvi possunt.

An dentur in Deo tres substantiæ relativæ? *Schol.* 2. Durandus & Scotus putant, unicam dari in Deo subsistentiam absolutam, per quam tres Personæ in se subsistant, non vero in alio; quod vero incommunicabiles sint, hoc putant haberi ab incommunicabilitate relativa. Communior est sententia, tres esse in Deo subsistentias relativas. Ita S. Ambrosius *in Symb. Apost. c.* 2. S. Cyrillus Alexandrinus *de Trin. l.* 3. S. Athanasius *de Deipara*. Et ratio est, quia in Deo sunt tres Personæ: ergo tres subsistentiæ, per quas velut formas Personæ constituuntur, & a se distinguuntur.

Schol. 3. Personæ Divinæ ex essentia & relationibus analogice vel quasi compositæ concipiuntur. Unde duo in qualibet Pessona attendi debent: 1. essentia omnibus tribus Personis communis: 2. relatio cuilibet Personæ propria, uti in Patre essentia Divina & Paternitas, in Filio essentia & Filiatio, in Spiritu S. essentia & spiratio passiva. Item Personæ Divinæ constituuntur & a se invicem distinguuntur proprietatibus non absolutis, sed relativis, scilicet Pater est Pater, quatenus generat Filium: Filius est Filius, quatenus a Patre generatur: Spiritus S. est Spiritus S. quatenus a Patre & Filio spiratur. Unde sit

In Deo sunt Relationes reales. §. 168. In Deo sunt *Relationes reales originis*, essentiales, internæ & subsistentes, & quidem tantum quatuor, scilicet: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva. Nam in Deo sunt tres Personæ (§. 167.) realiter distinctæ, Pater, Filius & Spiritus S. (§. 162.): sed hæc sunt nomina relativa, & Personæ non distin-

guntur per essentiam, quæ in omnibus eadem est (§. 148.). Ergo per *Relationes reales*. Deinde Relationes sunt Divinarum Personarum constitutivæ (§. 167. Schol. 3.), & cum natura Divina realiter identificatæ (§. 53.). Ergo sunt *essentiales* & *subsistentes*, quia hoc exigit summa Dei perfectio (§. 40.). Denique duæ tantum sunt in Deo Processiones (§. 151.). Sed ex duabus his Processionibus necessario quatuor relationes resultant; ubi enim sunt duæ productiones, ibi sunt duæ relationes Personarum producentium, & duæ productarum: sic in Patre est relatio ad Filium, nempe Paternitatis; in Filio Filiationis ad Patrem; in Patre & Filio Spirationis activæ ad Spiritum S. in Spiritu S. Spirationis passivæ ad Patrem & Filium. Ergo *quatuor* tantum sunt *Relationes*.

Schol. Relationes etiam secundum esse *ad* spectatæ, sunt veræ & reales perfectiones, ea perfectione, qua Divina essentia perfecta est, quia Deus non solum est perfectus, quia Deus est, sed etiam quia Pater est. Ita contra multos Thomistas probat Tournely: qui etiam contra Durandum ostendit, Spirationem activam non distingui realiter a Paternitate & Filiatione, sed tantum virtualiter, quia inter Spirationem activam, & Paternitatem ac Filiationem non obviat relativa oppositio. Ergo nec realis distinctio. Denique Persona Divina in ratione communi Personæ considerata constituitur per relationem, prout est forma hypostatica, v. g. Pater per Paternitatem, quia Persona sic spectata non sonat quid relativum, sed tantum naturam rationalem individuam subsistentem: si vero Persona consideretur in ratione quasi specifica talis Personæ, constituitur per relationem, quatenus respicit terminum, v. g. Pater per respectum ad Filium; ab hoc enim talis Persona denominatur. *An relationes in Deo sint perfectiones?*

§. 169. Quæcumque in Deo sunt absoluta, tribus Divinis Personis sunt communia. Testatur hoc Christus, *Joan.* 16. *v.* 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*. Ratio est: Ubi est eadem singularis & numerica essentia, ibi sunt omnes illius essentiæ proprietates essentiales: sed in tribus Divinis Personis est eadem singularis & numerica essentia (§. 148.). Ergo sunt in illis omnes illius proprietates. Unde commune Theologorum effatum: *Omnia in Divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio*. *Absoluta in Deo sunt communia.*

Schol. 1. Nonnullæ proprietates absolutæ certis Personis speciali quadam ratione tribuuntur; & accomodantur. Hoc ita exponit S. Thomas 1. *p. q.* 39. *art.* 8. In consideratione Dei, qua Deus absolute secundum esse suum consideratur, Patri æternitas, Filio species, usus *Nonnullæ proprietates absolutæ certis*

Personis accommodantur. vero Spiritui S.: in consideratione vero Dei, qua Deus unus consideratur, Patri unitas, Filio æqualitas, Spiritui S. concordia vel connexio: in consideratione vero Dei secundum rationem causalitatis, Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui S. bonitas attribuitur: in consideratione vero Dei, ut suos respicit effectus, appropriatur Patri a quo, Filio per quem, Spiritui S. in quo. Ex quo sequitur, quod opera externa SS. Trinitatis sint indivisa.

An in Deo detur existentia communis & relativa? *Schol.* 2. Datur in Deo *absoluta & communis existentia*, quia necessitas existendi, ab ingenita nobis Dei idea nequit separari (§. 41. 42.). Præter hanc tamen existentiam absolutam *tres relativas existentias* in Divinis admittere expedit, tum quia cum Pater Filium producit, debet aliqua existentia produci; nam productio terminatur ad existentiam: tum quia unaquæque Persona ab alia distinguitur; ergo habet existentiam relativam sibi propriam. Thomistæ communius tenent contrarium, & probant I. Quia in Deo est una & simplex natura: ergo unica existentia. *Resp.* Hæc natura in tribus Personis subsistit realiter a se invicem distinctis, quarum unaquæque propriam habet existentiam. II. Sic eadem res haberet plures existentias. *Resp.* Hoc solummodo fit sub diverso respectu, & pro vario modo existendi. Relationibus, prout ab essentia non distinguuntur, sufficit absoluta naturæ Divinæ existentia; prout vero sibi opponuntur & distinguuntur, sua cuique existentia est necessaria. III. Non datur in Deo subsisrentia communis & absoluta: ergo nec existentia communis. *Resp.* Subsistentia communis & absoluta est inutilis & periculosa, quia naturam incommunicabilem & quartam Personam infert; non vero existentia.

Schol. 3. In sano & Carholico sensu bene dici potest, in Deo esse tres res relativas, tria entia relativa, quia in Deo sunt tres Personæ, quæ habent tres relationes realiter distinctas, quæ sunt reales, adeoque tres res, & tria entia dici possunt. Item dici potest, in Deo esse tres unitates relativas, tres veritates & bonitates relativas, quia tres relationes reales realiter distinctæ faciunt numerum ternarium; ergo possunt dici tres unitates: sunt veræ & perfectæ; ergo possunt dici tres veritates, tres perfectiones, addendo tamen relative: melius tamen ob offendiculum ab his locutionibus abstinemus. Non potest autem dici, esse in Deo tria individua; nam plura individua dicuntur ad unam specie naturam, diversam tamen numero; Divina vero natura in tribus Personis una & eadem est.

Datur §. 170. Datur in Divinis *Circuminsessio*, & mutua Di-

vinarum Personarum inexistentia. Nam *Joan.* 14. Christus probat, se unum esse cum Patre, & eadem facere cum Patre, quia in Patre est, *v.* 11. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est*. Ratio est, quia tres Divinæ Personæ habent unam & eamdem numero essentiam (§. 148.). Ergo ratione ejusdem mutuo sibi inexistunt, non vero ratione relationum, in quibus opponuntur: unde Paternitas non est formaliter in Filio, nec Filiatio in Patre: sed cum Paternitas sit in essentia Divina, sicut & Filiatio, dici potest, Paternitatem identice & quasi materialiter esse in Filio, & Filiationem in Patre ratione essentiæ Divinæ, quæ in utroque una & eadem est; & hinc fit, ut quidquid perfectionis habet Paternitas, sit etiam in Filio, in quo est Divina essentia, quæ est omnis perfectio. *In Divinis Circumincessio.*

§. 171. Quia in Deo sunt plures Personæ realiter distinctæ (§. 167.), quæ proprias habent personales proprietates (loc. cit. Schol. 5.), quibus in se constituuntur, a se invicem distinguuntur (§. 168.), & a nobis cognoscuntur; ideo *Notiones* in Divinis rite ponuntur. *Notiones in Divinis recte ponuntur.*

Schol. 1. Notio in Mysterio SS. Trinitatis est character peculiaris, per quem Divinas Personas cognoscimus, & a se invicem distinguimus. Re ipsa notiones Divinæ non differunt a proprietibus personalibus, sed tantum penes modum significandi: proprietas enim personalis latius patet, quam notio, quæ non semper est proprietas personalis. Ad veram notionem sequentes conditiones requiruntur. 1. Non debet esse perfectio communis tribus Personis, sed ad originem unius Personæ ab alia pertinere; unde attributum absolutum non dicitur notio. 2. Debet esse forma realis, quæ independenter a præcisione mentis nostræ Personis conveniat. 3. Debet esse ratio adæquata ejusdem completæ proprietatis personalis. 4. Debet perfectionem & dignitatem Personæ importare. 5. Proprietas personalis per notionem expressa, non debet significari per modum viæ & tendentiæ ad aliud, sed per modum formæ permanentis; unde actus personales vel notionales, uti generatio & spiratio, non sunt notiones. *Quid sit notio, & quot sint?*

Schol. 2. Non conveniunt Scholæ, quot notiones in Deo sint admittendæ: Scotus sex admittit, scilicet: Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam, Spirationem passivam, & Inspirabilitatem in Filio. Alii vero hunc numerum minuunt. Nobis placet cum Tournely, quinque notiones in Deo statuere, quæ sunt: Innascibilitas & Paternitas in Patre, Filiatio in Filio, Spiratio activa in Patre & Filio, Spiratio passiva *Quot sint?*

in Spiritu S. Hoc modo Personæ sufficienter a se invicem distinguuntur, per Paternitatem Pater a Filio, per Filiationem Filius a Patre, per Spirationem activam Pater & Filius a Spiritu S., per Spirationem passivam Spiritu S. a Patre & Filio. Deinde per has notiones certus Personarum numerus contra hæreticos statuitur; nam ad hoc servit Innascibilitas, qua fit, ne plures Processiones quam duæ in Deo cogitentur, & ne plures quam tres Personæ admittantur; ad hoc enim debet Pater esse innascibilis, quia Paternitas præcise hoc non exprimit, cum Pater possit esse productus; hinc merito etiam Innascibilitas assignatur, quo nomine negationem Processionis exprimimus, & quæ quoad rem significatam positivam perfectionem denotat, licet ex defectu vocum per negationem exprimatur. Inspirabilitas passiva in Filio pro notione non requiritur, cum Spiritus S. utpote infinitus totam vim spirandi exhauriat, adeoque alter Spiritus S. dari non possit.

Datur Missio in Divinis. §. 172. Sacra Scriptura docet, dari Missionem in Divinis. *Joan.* 3. *v.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret... Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et *c.* 6. *v.* 58. *Sicut misit me vivens Pater.* Item de Missione Spiritus S. dicitur, *Joan.* 14. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo.* Et *c.* 15. *v.* 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.*

Missio quid, & quotuplex? *Schol.* *Missio* in genere significat egressionem unius ab alio, cum destinatione ad certum effectum seu locum. Hinc quatuor ad eam requiruntur. 1. Persona mittens. 2. Persona missa. 3. Terminus, ad quem. 4. Egressio ejus, qui mittitur. *Missio* tripliciter fieri potest: vel per imperium, sicuti Dominus mittit servum in villam: vel per consilium; sicuti medicus mittit regem ad balnea: vel per originem, sicut flos emittitur ab arbore. *Missio* Divinarum Personarum alia est *visibilis*, quæ fit in effectu aliquo sensibiliter apparente & repræsentante Personam missam, sive creatura visibilis in unitatem Personæ assumatur, uti in Incarnatione, sive in illa solum tamquam in signo sanctificationis, quam facit Persona missa, manifestetur: uti quando Spiritus S. in specie ignis super Apostolos apparuit. Alia est *Missio invisibilis*, quæ fit in aliquo effectu spirituali & invisibili, uti in Justificatione. In missione visibili mittitur & manifestatur una Persona sine alia, in invisibili nunquam una Persona sola mittitur, sed duæ procedentes; & licet Pater non mittatur, quia non habet principium, a quo sit, venit tamen, & communicat se

animæ; juxta illud *Joan.* 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Porro hæc missio non arguit inferioritatem in eo, qui mittitur, sed tantum originem unius Personæ ab alia, quæ non fit ex imperio, sed ex communicatione ejusdem naturæ. Effectus extra Deum in missione consistit in intima Personæ missæ quoad substantiam præsentia, ex qua certus effectus exurgit, qui Personam substantialiter præsentem constitueret, si per immensitatem suam præsens non esset. Sic quando homo justificatur, Persona Spiritus S. fit ipsi intime præsens, non simpliciter quoad substantiam, sed quoad gratiam & Charitatem, seu specialem modum, quo justum afficit, & in eo habitat.

Mysterium SS. Trinitatis sola ratione evidenter demonstrari nequit.

§. 173. Mysterium SS. Trinitatis, quod hucusque ex S. Scriptura vocatis subinde in subsidium principiis rationis derivatum fuit, sola ratione duce demonstrari evidenter non potest. Ita testatur ipse Christus, *Matth.* 11. *v.* 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et *c.* 16. postquam S. Petrus Christum Filium Dei professus est, respondit Christus: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Secundo* idem docent Patres. S. Hilarius *l.* 3. *de Trin.* ait: *Hæc Philosophia non sapit.* S. Augustinus *l.* 15. *de Trin. c.* 6. *Quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendent, quomodo sit Trinitas? Tertio* ratio est: omnis demonstratio vel est a priori per causas, vel a posteriori per effectus. Sed Trinitatis existentia nequit probari a priori, quia sui causam non habet: neque a posteriori, quia creaturæ non dependent a Deo, quatenus trinus, sed quatenus omnipotens est, quæ omnipotentia signum distinctionis inter Personas non infert. Ergo ratione humana evidenter demonstrari nequit.

Refutantur adversarii.

Schol. 1. Raymundus Lullus & plures alii Trinitatem ex solis rationis principiis derivare conati sunt. Verum hanc sententiam P. Gonet erroris nota inurit. Kekermannus *l.* 1. *Syst. Theol. c.* 3. Trinitatem ex perfectissimo intellectu & voluntate deducturus ita ratiocinatur: Deus ut perfectissimus intellectus ab æterno seipsum intelligit, & perfectissima voluntate seipsum ab æterno amat: ergo in intellectu Dei est imago ab æterno genita, quæ est Filius Dei; & impetu voluntatis procedit perfectissimus amor, qui est Spiritus S. adeoque habentur tres Personæ, & una numero Divina essentia, quia plures Deos recta ratio non admittit. Verum juxta hoc argumentum plures, quam tres Divinitatis Personæ essent statuendæ; nam Filius etiam seipsum cognoscendo,

sui iterum sibi formaret imaginem, quæ esset Filius Filii: & Spiritus S. seipsum amando, aliam rursus Divinitatis Personam produceret, cum & Filius & Spiritus S. sit verus Deus. Alii a summa Dei beatitudine ad Personarum Trinitatem concludunt hoc modo: Ad perfectam beatitudinem societas plurium requiritur. Sed in Deo utpote agente spirituali nonnisi per intellectum & voluntatem plures esse possunt, adeoque duæ Personæ procedentes, & Pater, a quo procedant. Ergo Trinitas in Deo esse debet. Sed cum Deus sit ens infinitum, independens & æternum, & solus sibi sufficientissimus ad beatitudinem suam nulla societate indiget, & saltem numerus ternarius Personarum non ex societate elicitur. Nicolaus Smiterus pluralitatem Personarum in Deo hoc modo probare conatur: Omni existenti competit aliqua productio, activa, passiva, vel utraque. Ergo etiam Deo: & quia activa est perfectissima, Deo ab æterno competere debuit; quæ cum ad mundum, qui æternus esse non potest, terminari non potuerit, maxime cum hæc productio non sit omnium perfectissima, talis esse debet, ut sit eadem producentis & producti essentia. Porro Trinitatem ita ostendit: In Deo est productio perfectissima. Ergo in eo datur producere & produci simul. Sed hæc est SS. Trinitas, in qua Pater est producens simpliciter, Spiritus S. productus simpliciter, Filius productus & producens simul. Ad quartum autem extendi non potest, cum productio perfectissima ulterius extendi non possit. Sed hæc probatio est precaria: nam ubi est productio, producens & productum realiter inter se distincta adesse debent, non vero requiritur, ut tertium, quod simul sit producens & productum adsit, & sic duæ tantum Divinitatis Personæ essent. Deinde si Deo productio activa necessario competit, non apparet, cur Spiritui S. qui etiam verus Deus est, productio activa non competat, & sic plures, quam tres Personæ forent. Alii Trinitatem ex fœcunditate naturæ Divinæ demonstrare volunt. Sed natura Divina etiam competit Spiritui S. qui tamen aliam Personam non producit. Denique SS. Trinitatem aliqui ideo ex ratione humana demonstrari posse sentiunt, quia in scriptis gentilium quædam illius vestigia se invenisse credunt. Demus autem, in scriptis Philosophorum gentilium, ejusmodi loca, quæ Trinitatem sapiunt, deprehendi, de quo multi dubitant, non sequitur quod ex ratione hauserint, quin potius ex traditione & conversatione cum Judæis illa edocti fuerint. Nihilominus quibusdam similitudinibus Mysterium SS. Trinitatis a Patribus illustratur, uti exemplo animæ, cujus esse, velle & nolle distinguuntur, cum tamen

una sit animæ substantia: exemplo fontis, fluvii & potionis ex una aqua: solis & radii, caloris & splendoris: trium lucernarum idem cubiculum illuminantium. Verum quantum hæc exempla distent a distinctione reali Divinarum Personarum in unitate ejusdem essentiæ, nemo non intelligit. Trinitas ergo est supra, sed non contra rationem, quia veritatibus rationis absolute necessariis non repugnat. Canon certe ille Logicus: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, pro universali axiomate etiam in Divinis tenente a multis Philosophis non admittitur; ab aliis vero solum intelligitur de tertio communicabili, quo modo Pater & Filius & Spiritus S. sunt idem in natura Divina illis communi & eadem. Est igitur Trinitas in Deo Mysterium, non tamen ideo neganda, quia rationem transcendit, cum multa etiam in rerum natura nobis exempla occurrant, quorum existentiam ex sensuum testimonio novimus, modum eorum ignoramus. Credamus ergo, & devotissimo cordis affectu SS. Trinitati cum Ecclesia canamus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. sicut erat in principio, & nunc, & semper & in sæcula sæculorum. Amen.*

CAPUT III.

De Angelis.

§. 174. Absolutis, quæ spectant ad Processiones in Deo ad intra Divinarum Personarum, dicendum est de processionibus creaturarum a Deo, quæ transeuntes, & ad extra vocantur. Cumque Fidei nostræ symbolum creaturas in duas classes distribuat, invisibiles scilicet & visibiles, seu spirituales & corporales, pure spirituales, quos *Angelos* Sacra Scriptura vocat, hic contemplabimur.

Schol. Vox *Angelus* derivatur a verbo Græco Ἀγγέλλω *nuntio, mitto*, & est nomen officii, non naturæ, ac Nuntium, Missum vel Legatum significat. Hebræi etiam proprium nomen Angeli non habent, sed Angelos vocant communiter מלאכים a radice Æthiopica לאך *legavit*. Quare vox *Angelus* significat 1. *Legatum quemcumque vulgarem:* sic *Gen.* 32. *v.* 4. 7. Jacob dicitur מלאכים legatos misisse ad Esau. Et *Luc.* 7. *v.* 18. 24. S. Joannes Baptista Ἀγγέλους legatos misit ad Christum discipulos suos. 2. Significat *legatum* Dei, ad voluntatem Divinam hominibus nuntiandam missum, licet sit merus homo. Sic Sacerdos & Doctor Ecclesiæ dicitur Angelus, *Mal.* 2. *v.* 7. 3. Significat ipsum *Filium Dei*, Mal. 3. *v.* 1. *Angelus Testamenti*. Et *Apoc.* 10. *v.* 1. qui locus a mul- *Etymon vocis Angeli.*

tis de Christo intelligitur. 4. Significat *Spiritum finitum* ab anima hominis diversum, quo modo Angelum hic contemplamur: qui proinde ita definiri potest:

Angelus quid? §. 175. Angelus est substantia spiritualis completa, regendo vel informando corpori non destinata.

Dantur Angeli. §. 176. Dantur Angeli. Ita docet S. Scriptura, *Ps.* 103. *v.* 4. *Facit Angelos suos Spiritus*, רוחות. Hic vox רוח non potest ventum significare; nam S. Paulus hæc verba repetens & vertens dicit Angelos πνεύματα λειτουργικὰ, *administratorios Spiritus, in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, quod de vento dici nequit. Ergo Angeli sunt substantia spiritualis, & quidem finita & creata, quia solus Deus infinitus esse potest (§. 58.). Deinde per Angelos non potest intelligi ipse Filius Dei, tum quia multorum Angelorum fit mentio, Filius autem Dei unicus est, tamquam verus Deus (§. 145.), tum quia Angeli ad laudandum Deum excitantur *Ps.* 148. *v.* 2. quod de Filio dici non potest, utpote qui *ad Hebr.* 1. *v.* 6. potius ab Angelis laudandus esse dicitur. Nec potest intelligi homo vel anima hominis, quia homines ut distincti ab Angelis ad laudem Dei invitantur, *Ps.* 148. *v.* 11. 12. 13. Ergo per Angelos in citato loco Spiritus a Deo diversi adeoque finiti & creati, & ab anima hominis distincti intelliguntur. Ergo Angeli dantur (§. 175.). Alibi etiam passim in S. Scriptura Angelorum mentio occurrit, præsertim *Matth.* 18. *v.* 10. *c.* 25. *v.* 31. &c. Recte igitur definivit Concilium Lateranense *c. firmiter de sum. Trin.* quod Deus *ab initio temporis utramque creaturam condiderit, scilicet spiritualem & corpoream, hoc est Angelicam & mundanam. Secundo* accedunt Patres. Auctor *de cæl. Hier. c.* 14. S. Augustinus, qui *in Ps.* 103. ait: *Angelos novimus ex fide.*

An ratione naturali Angelorum existentia demonstretur? *Schol.* Sadducæi existentiam Angelorum negarunt, *Act.* 23. *v.* 8. Existentiam Angelorum ratione naturali evidenter demonstrari non posse communiter docent Theologi: nihilominus tamen nonnullis rationibus satis probabilibus suaderi potest, inter quas hæc præferenda videtur. Non est contradictorium existere Spiritus anima hominis nobiliores, seu Angelos, quorum vis mentis quoad claritatem & distinctionem repræsentationum vim mentis humanæ superet: ergo quia Deus vult omne bonum (§. 81.), sicuti voluit existentiam animæ humanæ, ita etiam existentiam Angelorum ad manifestandam suam gloriam per omnia genera entium voluit.

Angeli a Deo creati sunt. §. 177. Angeli a Deo in tempore creati sunt. Sic Apostolus Angelorum creationem tribuit Deo Patri, *ad Hebr.* 1. *v.* 7. uti legenti totum contextum apparet. Et

ad *Col.* 1. *v.* 16. dicuntur per Filium Dei omnia creata esse, quæ sunt in cœlis & super terram, visibilia & invisibilia, sive *Throni*, *sive Dominationes*, *sive Principatus*, *sive Potestates:* qui sunt Angeli. Et *Ps.* 32. *v.* 6. Spiritu oris Dei omnis virtus seu exercitus cœlorum factus esse dicitur, sub quo cœlorum exercitu Angelos etiam comprehendi patet ex 1. *Reg.* 22. *v.* 19. & *Luc.* 2. *v.* 13. Ergo Angeli a Deo & SS. Trinitate creati sunt. Ratio est: Ens a se nonnisi unicum est, scilicet ipse Deus (§. 58.). Ergo Angeli, qui existunt (§. 176.), tamquam entia finita (§. 175.), non possunt esse entia a se, & consequenter sunt producti ex nihilo, quia sunt Spiritus (§. 175.), adeoque entia simplicia, quæ nonnisi ex nihilo oriri possunt. Ergo a Deo sunt creati; nam creatio est actio soli Deo propria (§. 144.). Atque ex hoc fluit, Angelos in tempore creatos esse, quia creatio ab æterno juxta principia Philosophica esse nequit.

Schol. 1. De origine malorum Angelorum multa fabulantur Hebræi, quæ per otium apud D. Calmetum *Diss. in bonos, malosque Angelos* legi possunt. Circa tempus creationis Angelorum Philo & Eucherius *in* 1. *Gen.* putant, Angelos creatos esse post mundum visibilem conditum: Prudentius in Apotheosi rem dubiam relinquit: & S. Augustinus aliquando perplexe de hac quæstione loquitur. Plerique Patres Græci, Origenes, S. Basilius, S. Gregorius Naz. S. Chrysostomus, S. Damascenus; et ex Latinis S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Isidorus & Cassianus Angelos ante conditum mundum corporeum multo, vel saltem aliquo tempore creatos esse docent. Verior sententia tenet, Angelos simul cum mundo visibili creatos esse. Nam *Gen.* 1. dicitur: *In principio*, id est antequam quid aliud creatum fuerit, *creavit Deus cœlum & terram.* Et *Exod.* 20. *v.* 11. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Ergo & Angelos, qui aliqua hujus molis parte continentur. Unde ait Concilium Lateranense, Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, Angelicam & mundanam, & idem docet S. Epiphanius *hær.* 65. Hoc tamen nondum est de fide, quia locus citatus Genesis & Exodi possunt accipi de principio durationis rerum corporalium, quarum narrationem Moyses tantum instituit, unde etiam creationis Angelorum mentionem non fecit. In Concilio vero Lateranensi, ly *initio temporis* primario solum denotat, Angelos non esse æternos. Et particula *simul* innuit, Deum utramque creaturam pariter creasse, contra eos, qui negabant, Deum esse conditorem singularum creaturarum.

Quando Angeli creati sint?

Quo die? *Schol.* 2. Angeli primo die creati esse videntur, quia *Jobi* 38. *v.* 4.-7. dicuntur laudasse Deum, quando ab illo die quarto sydera creata sunt. Item creati sunt in cœlo Empyreo sede Beatorum, ex quo Satan cecidisse dicitur *Luc.* 10. & *Apoc.* 12. Quod tamen iterum non esse de fide, notat P. Berti, quia loca S. Scripturæ citata adhuc salvantur, si dicatur, Angelos post suam creationem modo in cœlo esse collocatos.

Angeli sunt Spiritus. §. 178. Angeli sunt substantiæ spirituales & omnis corporis expertes. Hoc innuit S. Scriptura, *Ps.* 103. et *ad Hebr.* 1. *v.* 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Et de malis Angelis dicitur *Matth.* 12. *v.* 43. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine.* Ubi Angeli appellantur simpliciter Spiritus, cum tamen substantia corpore & spiritu constans, non simpliciter spiritus, sed habens spiritum appelletur. Accedunt *Secundo* Concilia. Synodus VII. *act.* 4. ait: *Veneramur imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum.* Concilium Lateranense citatum Angelicam creaturam spiritualem ab illa, quæ corpore & anima constat, aperte distinguit. Patres etiam S. Ignatius *Ep. ad Trall.* S. Basilius *de Spiritu S. c.* 1. S. Ambrosius *in Ps.* S. Gregorius M. *l.* 4. *mor.* 19. Angelos incorporeos esse docent.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Origines, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Methodius, Cassianus, Gennadius, & ex Protestantibus D. Schubert docent, Angelos æthereis & elementaribus corporibus, nostris longe subtilioribus, præditos esse. Sed licet non sit de fide, Angelos esse incorporeos, uti ipse S. Thomas *l. de malo*, *quæst. de dæm. a.* 1. & Salmanticenses docent, quia S. Scriptura forte eos per Synecdochen, sumendo partem pro toto, Spiritus vocat, & Concilium Lateranense non definivit, spiritualia nullo etiam remissimo corpore esse circumscripta: certum tamen esse videtur, temerarium esse asserere, Angelos habere ejusmodi corpora. Non obstat I. quod in Synodo VII. *act.* 5. dicatur, Angelos pingendos esse, quia corporei sunt. *Resp.* Hæc ratio allata fuerat a Joanne Thessalonicensi, quam Synodus non approbavit, imo expresse dixit, Angelos esse incorporeos, & solum statuit, Angelos pingendos esse. II. Manducatio & bibitio Angelorum, cujus subinde in S. Scriptura fit mentio, fuit solum secundum speciem externam in assumptis ex nescio qua materia ab iis corporibus. III. Deus Angelis malis horrorem quemdam indidit, quo nonnullas res materiales ut naturæ suæ contrarias refugiant, v. g. fumum jecoris piscis cujusdam, *Tob.* 6. *v.* 8. quod illis se tamquam substantias superiores in pœnam peccati subjectos cognoscant. Delectantur etiam quibusdam odoribus ob

cultum sibi a perditis hominibus per illos exhibitum. IV. Angeli non egent corporibus, ut alia corpora moveant, vel mandata Divina ad homines deferant, uti vult D. Schubert; utrumque enim sine corpore præstare possunt, uti ex dicendis patebit.

§. 179. Angeli sunt incorruptibiles, immortales & in perpetuum extituri. Ita *Primo* docet S. Scriptura, *Luc.* 20. ubi nobis promittitur vita æterna cum Angelis. Et *Matth.* 25. diabolo & Angelis ejus assignatur ignis æternus. Ergo sunt immortales & in æternum extituri. *Secundo* Patres asserunt, Angelos esse immortales. S. Athanasius *l. de com. Essent. Divinit.* S. Basilius *in Ps.* 44. S. Cyrillus Alex. *l.* 8. *thesauri*, idemque est sensus omnium fidelium, quem Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus expressit in epistola lecta in Synodo VI. *act.* 11. ubi tam Angelos, quam animas hominum immortales esse docet. *Tertio* ratio est: Angelus est Spiritus (§. 178.), adeoque ens simplex: sed Ens simplex utpote partibus carens juxta principia physica interire nequit, sed tantum a Deo annihilari potest. Ergo Angelus est immortalis. Sed nec a Deo annihilabitur: nam bonus Angelus Deum laudare, ejusque bonitatem manifestare, malus vero Justitiam Divinam ostendere potest. Ergo cum gloria Dei sit æterna, oportet, ut Angeli ad gloriam Dei creati, in æternum perdurent. *Angeli sunt incorruptibiles.*

Schol. Vasquez putat, Angelos non ex natura sua, sed ex solo Dei beneficio esse immortales. Verum allatæ rationes probant, eos etiam esse immortales ex principiis suis intrinsecis, licet non sint immortales absolute ratione potentiæ Dei extraordinariæ, qua Deus agit præter exigentiam causarum naturalium. Sicuti enim Deus Angelos libere produxit, ita productos libere conservat, ita ut possit non conservare, qua conservatione cessante in nihilum abirent. *Ex natura sua.*

§. 180. Angeli sunt Spiritus (§. 178.): sed Spiritus est ens intellectu & libera voluntate præditum (§. 47. Schol.), hoc est facultate possibilia sibi distincte repræsentandi, & pro arbitrio suo appetendi & aversandi pollens. Ergo Angeli intellectu & voluntate sunt præditi. Et quia ex repræsentationibus distinctis, quæ ad intellectum spectant, oritur conscientia sui, Angeli etiam sunt sibi conscii. *Angeli intellectu & voluntate gaudent.*

§. 181. Angeli cognoscunt Deum, *Jac.* 2. *v.* 19. *Matth.* 18. *v.* 10. Unus alterum, utpote inter se colloquentes, *Is.* 6. *v.* 3. Homines & eventus mundanos, *Job.* 1. *v.* 7. *Luc.* 15. *v.* 10. Alias res creatas, v. g. lapides &c. *Matth.* 4. *v.* 3. *& seq.* Futura necessaria in suis causis. *Quid cognoscant?*

Schol. Angeli abstractivam Dei cognitionem habent ex *Quomo-*

do cognoscant? clara rerum naturalium notitia, & quidem longe perfectiorem, quam homines, tum quia intellectus Angelicus quoad vim intelligendi est perfectior, tum quia plures & nobiliores creaturas cognoscunt. Deinde Angeli seipsos cognoscunt sine ulla idea, quia cum objectum per se est intelligibile & unitum, facultati intellectivæ superflua est illius idea; Angelus vero est intelligibilis, & aliunde sibi intime præsens. Unde multi etiam docent, Angelos non indigere ideis ad cognitionem aliorum Angelorum & rerum spiritualium sibi immediate præsentium, quia hoc modo objectum est illis proportionatum. Ad cognoscendos vero Angelos & res spirituales a se distantes; item ad cognoscendas alias res corporeas & singulares Angeli indigent ideis, quia sine ideis non sunt intellectui eorum proportionatæ & præsentes. Ideæ autem hæ probabiliter sunt innatæ, & ab Auctore Deo ab initio intellectui Angelorum infusæ, cum illæ neque a rebus materialibus produci possint, quæ non possunt physice agere in Spiritus: nec possint tamquam proprietates emanare a substantia Angelica, quæ sic non semper foret eadem, si res materiales a Deo mutarentur, siquidem etiam proprietates ejus sive ideæ emanantes mutari deberent. Porro ex his fluit

Angeli sunt hominibus perfectiores. §. 182. Angeli sunt hominibus perfectiores. Ita constat ex S. Scriptura, *Ps.* 8. *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*. Unde Apostolus *ad Hebr.* 1. *v.* 4. *& seq.* concludit, Christum esse Angelis præstantiorem, quia verus Deus est, & ideo verum Deum esse, quia est Angelis præstantior; quod argumentum sane non concluderet, si homines Angelos perfectionibus superarent. Et *c.* 2. *v.* 7. ait, Filium Dei infra Angelos se dejecisse, cum humanam naturam assumpsit. Hinc S. Augustinus *l.* 11. *de Civ. c.* 5. ait: ***Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.***

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Dignitati Angelicæ naturæ non obstat I. quod dicantur *administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. *Resp.* His verbis non dicitur, quod hominibus serviant, unde potius pro Spiritibus Deo, a quo mittuntur, servientibus habendi sunt, quod eorum præ hominibus præstantiam non destruit. II. Non obstat, quod homines custodire dicantur: custodia enim hominum etiam Deo tribuitur, sine diminutione infinitæ suæ perfectionis, *Ps.* 120. *v.* 5. Nec III. dici potest, Apostolum in citato loco *ad Hebr.* 1. *v.* 5. loqui de Angelis in statu gloriæ constitutis; nam quia Apostolus *v.* 7. verba *Ps.* 103. de creatione Angeli agentia adducit, patet, Angelos ex conditione creationis suæ esse hominibus præstantiores, & ideo subinde *Ps.* 96. *v.* 7. coll. *ad Hebr.* 1. *v.* 6. Dii vocantur.

Schol. 2. Angeli excellunt supra hominem 1. in substantia, quia Spiritus est melior corpore. 2. In potentia exequendi. 3. In vi intelligendi; nam intellectus Angelicus superat humanum, tum activitate, siquidem intellectus Angelicus semper est in actu, cum non sit sensibus & materiæ alligatus, non attendit tamen semper ad omnia, sed transit ab uno actu ad alium: tum capacitate plura objecta cognoscendi: tum ratione cognoscendi; nam rerum naturalium naturas cognoscit sine discursu, sed cognoscit conclusiones in principiis, causas in effectibus, & effectus in causis: non tamen repugnat, quin Angeli aliquando discurrant, & ex quibusdam signis colligant, quæ sibi sunt occulta.

§. 183. Licet autem intellectus Angelicus humanum multis modis antecedat, non tamen est omniscius, sed limitatus, & Angeli multa ignorant. Et 1. quidem non cognoscunt certo futura contingentia libera, utpote quæ scientia soli Deo propria est, *Is.* 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Et ratio est, quia illa non possunt cognoscere in seipsis, cum non sint ipsis præsentia: nec in suis causis, quæ ad utrumlibet sunt indifferentes; & ideo effectum non magis exhibent futurum, quam non futurum. *Angeli multa ignorant.*

2. Angeli naturaliter secreta cordium, & cogitationes occultas sive humanas sive Angelicas cognoscere non possunt. Nam hæc notitia iterum soli Deo a S. Scriptura tribuitur, 1. *Reg.* 16. *Homo videt ea quæ parent, Deus autem cor intuetur.* Cujus ratio est, quia cogitationes secretæ necessario non spectant ad ordinem universi, cum non habeant connexionem & dependentiam a causis necessariis, sed a causa libera seu voluntate.

3. Angeli propriis naturæ viribus non possunt cognoscere mysteria gratiæ, sive futura, sive facta sint. Nam 1. *ad Cor.* 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ratio est, tum quia mysteria gratiæ, utpote ordinis supernaturalis, non sunt proportionata activitati naturali intellectus Angelici, tum quia illa ex sola voluntate Dei pendent, quam Angelus sine revelatione non novit.

Schol. Durandus putavit, Angelos cognoscere naturaliter secretas hominum & Angelorum cogitationes: sed hæc sententia est hæresi proxima; quæ enim occulta cordium subinde dæmones revelant, ex signis externis colligunt, sicuti etiam prædictiones futurorum contingentium liberorum vel conjecturaliter solum ominantur, vel si procul dissita sint, mox ut evenerunt, antequam rumor ad alia loca perveniat, in alio loco velut futura nuntiant, vel per revelationem bonorum Angelorum a

Deo edoctorum didicerunt; plerumque etiam sunt meræ conjecturæ, & sæpe falsa vaticinia.

Possunt in cognitione crescere. §. 184. Angeli in cognitione crescere possunt. Nam *ad Eph.* 3. *v.* 10. dicitur: *Ut innotescat Principatibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei*. Ratio est: Omne ens intelligens, cujus intellectus est limitatus & non omniscius, in sua cognitione potest crescere; semper enim quædam ignota, ad quorum cognitionem pervenire potest, illi supersunt. Sed Angeli non sunt omniscii (§. 183.). Ergo in cognitione crescere possunt.

Quomodo crescant? *Schol.* 1. Angeli in cognitione crescere possunt 1. Per experientiam, dum cognoscunt res extra se, cum quibus versantur (§. 181.). 2. Per discursum ex cognitis quibusdam signis ad cognitionem incognitorum procedendo (§. 182. Schol. 2.). 3. Per revelationem Divinam immediatam. 4. Per mutuum inter se commercium, uti ex dicendis patebit.

Errare possunt. *Schol.* 2. Cum Angeli non sint omniscii (§. 183.), hinc non omnia sibi distinctissime repræsentant (§. 62.); adeoque multarum rerum repræsentationes confusas tantum & obscuras habent: & quia ex his error oriri potest (§. 61. n. 5.), possibile est ut errent: cum vero error non sit necessarium notionum confusarum consequens, error in Angelis non est necessarius. Quare Angeli sive boni sive mali circa res, quæ naturaliter cognoscunt, quia perfecto modo omnia penetrant; item Angeli boni circa res supernaturales & liberas, prout subsunt Divinæ dispositioni, non falluntur: nam ante revelationem sibi factam non judicant, rem ita esse absolute, sed solum ex signis probabilibus censent, ita evenire posse, quia sciunt per Divinam dispositionem aliter fieri posse, & sic non falluntur. Angeli vero mali circa res supernaturales, & liberas, prout subsunt Divinæ dispositioni, plerumque falluntur; quia ex pravitate suæ voluntatis ad Divinam sapientiam nolunt attendere, & secundum conjecturas absolute judicant.

Angeli libera voluntate gaudent. §. 185. Angeli libera voluntate gaudent. Nam S. Scriptura docet, Angelos meruisse gloriam, peccasse &c. uti ex decursu patebit, quæ sine libertate stare non possunt. Ratio est: Angeli habent perfectam rationem & intelligentiam (§. 180.). Ergo etiam libertatem, quæ spectat ad perfectionem naturæ intellectualis.

Amant se. *Schol.* 1. Angeli seipsos amant amore naturali necessario tum quoad speciem, tum quoad exercitium: necessario enim seipsos cognoscunt, & non est ulla causa, cur ex cognitione sui tamquam boni amor non oriatur; nonnulla tamen etiam bona volunt libere, v. g. scien-

tiam rerum incognitarum; Deum vero ut auctorem naturæ, naturali dilectione plus diligunt, quam seipsos, quia tamquam pars universi plus diligunt totum, quam partem, siquidem toto pereunte etiam pars a toto dependens perire deberet. Unde nec dæmones volunt se non esse absolute, sed tantum in quantum non esse ad liberationem a suo supplicio illis bonum est: nec Deum odio habent ut bonum commune, sed solum ut suum Judicem.

Schol. 2. Multi Theologi cum Philosophis docent, connaturale esse Angelo, ita immobiliter adhærere objecto, quod semel deliberate amplexus est, ut ab ejus volitione non amplius recedat, quia Angelus deliberate apprehensa penetrat, & novas rationes mutandi voluntatem non invenit. *Immobiliter objecto adhærent.*

Schol. 3. Cum non omnes obscuræ & confusæ repræsentationes ab Angelis absint (§. 184. Sch. 2.), & inclinatio ad bonum confuse ut tale cognitum, possit vocari appetitus sensitivus (§. 51.), appetitus sensitivus etiam Angelis tribui potest. Et quia affectus sunt vehemens appetitus sensitivus, vel vehemens aversatio sensitiva (loc. cit.), quorum ille cum voluptate, hæc cum tædio conjungitur, Angelos affectibus commoveri possibile est; unde Angelis *desiderium*, 1. *Petri* 1. *v.* 12. & *gaudium*, *Luc.* 15. *v.* 10. tribuitur. *Affectus habent.*

§. 186. Angeli in corpora agere, eaque movere possunt. Hoc docet S. Scriptura. *Matth.* 8. *v.* 32. dæmones porcos in mare trusisse dicuntur. *Jobi* 1. *v.* 7. corpus Jobi Satan ulceribus excruciabat. *v.* 12. ejus bona igne & vento destruebat. *Act.* 12. *v.* 7. Angelus Dei Petrum e carcere educturus latus ejus, ut a somno suscitaretur, percussisse dicitur, græce πατάσσειν, quæ vox non solum ex etymologia sua, cum ex radice inusitata פטש, unde פטיש *malleus*, descendat; sed etiam *Luc.* 22. *v.* 49. 50. *Num in gladio percutiemus*, πατάξομεν, corporalem percussionem significat. Et *Matth.* 28. *v.* 2. Angelus bonus lapidem a sepulchro Christi revolvisse narratur. Sed hæc omnia sine actione in corpus fieri non potuerunt. Ergo Angeli in corpora agere, eaque movere possunt. *Angeli in corpora agere possunt.*

Schol. De modo possibilitatis operationum Angelicarum in corpora Philosophi disputant. D. Schubert, qui subtilia corpora Angelis affingit, facile hoc quidem exponit, cum nemo dubitet, corpus in corpus agere posse. Verum hæc hypothesis & corpora Angelica non stant cum testimoniis S. Scripturæ & Traditionis (§. 178.). D. Calmet in *diss. de ver. fictisque prodigiis* censet, Angelos per hoc agere in corpora & illa movere, quod *Quomodo agant in corpora?*

Deus voluerit & statuerit, ut ad eorum variam voluntatem variis quoque motionibus corpora agitarentur. Certe anima in corpus sibi unitum, dum vult, agit: sed quomodo? hoc Philosophi necdum detexerunt; arcanum est, quod nec systema influxus physici, nec systema causarum occasionalium, nec systema Harmoniæ præstabilitæ sufficienter explicat, uti Philosophi observant. Unde nec de modo possibilitatis operationis Angelicæ in corpora multum solliciti simus; sufficit nobis, quod eam nobis S. Scriptura credendam proponat.

Angeli potentia magna gaudent. §. 187. Angeli gaudent *potentia*, eaque humana majori. Hinc *Ps.* 103. *v.* 20. vocantur גברי כח *potentes virtute*. Et *Matth.* 12. *v.* 29. ἰσχυροί. Et effectus stupendi illis tribuuntur, 2. *Reg.* 24. *v.* 16. & *Actor.* 12. *v.* 7. 11. 23. Ratio est: Qui pollet facultate, possibilia extra se existentia reddendi, ille gaudet potentia: sed Angelus, agendo in corpora (§. 186.), hac facultate gaudet: ergo etiam potentia. Deinde Angeli sunt hominibus præstantiores (§. 182.). Ergo potentia humana majori gaudent.

Mirabilia efficere possunt. *Schol.* Ex hoc sequitur, Angelos mirabilia efficere posse, cum illa, quorum rationem non perspicimus, Angelis tamen ob perfectiorem intellectum sunt cognita, præstare possint. Inter quæ fuit eductio Habacuc per aerem: & liberatio Petri e carcere firmissime clauso, *Act.* 12. *v.* 6. &c.

Angeli hominibus visibiliter apparere possunt. §. 188. Angeli hominibus *visibiliter apparere* possunt. S. Scriptura plena est apparitionibus Angelorum. *Gen.* 18. *v.* 2. Abrahamo, & *v.* 22. Lotho Angeli apparuerunt. David Angelum occisorem, 2. *Reg.* 24. *v.* 17. Zacharias nativitatis S. Joannis, *Luc.* 1. *v.* 11. Beatissima Virgo Nativitatis Christi, *Luc.* 1. *v.* 26. Pastores Christi nati, *Luc.* 2. *v.* 9. Mulieres Resurrectionis Christi Angelum nuntium videbant. Idem docet S. Augustinus *l.* 10. *de civ. c.* 13. cui præivit S. Cyprianus *de Card. Christi oper.* &c. Ratio est: Angeli sunt entia intelligentia, & in corpora agere possunt (§. 186.). Ergo ex certa materia illis bene nota corpus visibile sibi formare, & in eo hominibus se conspiciendos præbere possunt.

Quomodo apparere possint? *Schol.* Angeli boni visibiliter apparentes corpus aliquo modo vere tale assumunt, ex quacunque demum materia confectum sit; neque enim hæc corpora illusoria & præstigiosa esse possunt, utpote quæ a pluribus visa esse, & quidem sensibiliter, & non mere imaginarie a S. Scriptura referuntur. Non sunt tamen hæc corpora humana organizata, sed corporis humani effigies, tantum sufficiens ad operationes ab Angelo exercendas, quia plus illis non est necessarium. Item Angeli boni, quando visibiliter apparent, juxta Bordonum *de mirac. me-*

dit. 13. miraculose apparent, uti etiam censet SS. D. Benedictus XIV. *de Beatif. l. 4. p.* 1. *c.* 52., quia ad talem apparitionem, & operationem, quæ Angelis non est naturalis, specialis Dei ordinatio requiritur: quod tamen alii cum P. Suarez negant, quia effictio corporis ad apparitionem sufficiens non videtur Angeli vires naturales a Deo aliqualiter adjutas excedere. Interim tali corpori assumpto non uniuntur unione informativa, ita ut unum cum illo suppositum, vel compositum efficiant, sed unione assumptiva, qua assumpto corpori sunt intime præsentes, & ita illo utuntur, quasi velut principum intrinsecum in illo operarentur. Quare operationes Angelorum in assumptis corporibus, v. g. videre, loqui, edere &c. non sunt vitales ex defectu principii vitalis informativi, sed solum similes operationibus vitalibus, in quantum sine principio vitali intrinseco fieri possunt. Hinc Angelus Tobiæ comes dicebat: *Videbar vobiscum manducare, Tob.* 12. *v.* 19. Ex his objectiones, quæ contra apparitiones Angelorum fieri possunt, facile solvi poterunt: plura videri possunt in meis *Inst.Theol. myst. tom.* 2. §. 487. *cum Schol.* ubi etiam de visione & apparitione imaginaria & intellectuali tractatur, & regulæ pro discernendis veris vel Divinis a falsis apparitionibus traduntur.

Non sunt omnipotentes: §. 189. Licet autem magna potentia Angeli polleant, non tamen sunt omnipotentes, quod soli Deo competit (§. 109.). Unde 1. non possunt aliquid creare: nam vis creandi supponit omnipotentiam. 2. Pariter cum productio verorum miraculorum sit opus soli Deo proprium (§. 112.), Angeli vera miracula præstare non possunt. 3. Nec generare possunt, *Luc.* 20. *v.* 35. dum organis ad generandum necessariis, utpote corpore destituti, careant (§. 178.).

Ex uno in alium locum se movere possunt. §. 190. Angeli tamen ex uno loco in alium se transferre possunt, *Matth.* 8. *v.* 51. & interdum loco cedere jubentur, *Matth.* 4. *v.* 10. Item solida corpora penetrare possunt; sicut Angelus per foras carceris clausas ad S. Petrum venit, *Act.* 12. *v.* 6.

Mortuos suscitare non possunt, Vampirii quid? *Schol.* 1. Hominem mortuum ad vitam revocare esse verum miraculum omnes fatentur. Verum cum nostri temporibus Vampiriorum rumor in Hungaria increbuerit, qui dicuntur homines defuncti, aliquando citius aliquando serius e suis sepulchris ad vivos revertentes, iis visibiliter apparentes, januas cum impetu pulsantes, & sanguinem vivis exsugentes, a quo malo vivi liberari non poterant, nisi effossa Vampiriorum corpora vel capite truncarent, vel transfigerent vel comburerent: unde suboriri posset scrupulus, annon Angeli hos homines ad vitam revocent, adeoque verum miraculum patrent.

D. Calmet hanc materiam pertractat in opusculo *de apparitionibus Spirituum* edito, ubi varios modos hanc rem explicandi refert. Supposita veritate harum apparitionum putant nonnulli, hos Vampirios vere mortuos non fuisse, sed vivos inhumatos, qui deinde a suo somno extatico excitati modo naturali e suis sepulchris emergunt, & ad vivos revertuntur, qui terrore nimio correpti impedito sanguinis fluxu enecantur. Sed inconceptibile videtur, quomodo in sepulchris suis respirare & vivere potuerint; fluiditas enim sanguinis in eorum corporibus reperta, ex medicorum sententia in corporibus etiam mortuis est possibilis. Alii putant, animas Vampiriorum ex permissione Dei ad sua corpora denuo inhabitanda redire. Sed probatio hic iterum deficit. Recurrunt alii ad lusum phantasiæ hominum immodico terrore correptorum, falso sibi persuadentium se a spectro terreri, & hinc motu sanguinis impedito illum sibi exsugi. Sed cur non aliis phantasticis, nisi in Hungaria hæc acciderunt? Potest dici, apparitiones illas esse meram illusionem diabolicam, vel dum dæmon, ejusmodi spectra hominibus objicit, vel dum eorum phantasiam turbat, ut ea sibi occurrere imaginentur; unde ob impeditam per subitum terrorem sanguinis circulationem mortem sibi accersunt. Hinc Doctores Sorbonici declararunt, monendos esse homines a Vampiriis infestatos, ut spiritualibus mediis ab Ecclesia approbatis se præmuniant, & graviter prohibuit, nequid in mortuorum corpora attentent.

Quomodo sint in loco? *Schol.* 2. Angeli sunt in loco formaliter per operationem virtualiter transeuntem: in loco vero violento per passionem ex parte eorum se tenente. Unde Angelus naturaliter non potest esse in duobus locis virtuti suæ adæquatis, bene vero supernaturaliter per replicationem: potest tamen naturaliter esse simul in duobus locis virtuti suæ inadæquatis, & plures in eodem loco materialiter spectato esse possunt. Hæc crisi & otio Scholarum Philosophicarum relinquamus.

Numerus, & Ordo Angelorum. §. 191. 1. Ingens est *Numerus* Angelorum, *Apoc.* 5. *v.* 11. Omnes autem in *novem Ordines* distribuuntur, quos indicat S. Scriptura: 1*mo.* Seraphim, *Is.* 6. *v.* 2. 6. 2*do.* Cherubim, *Ezech.* 10. 3*tio.* Throni, *ad Col.* 1. *v.* 16. 4*to.* Dominationes, *ad Col.* 1. *v.* 16. 5*to.* Principatus, *ibid.* 6*to.* Potestates, *ibid.* 7*timo.* Virtutes, *ad Rom.* 8. *v.* 38. 8*vo.* Archangeli, 1. *ad Thess.* 4. *v.* 15. 9*no.* Angeli, *ad Rom.* 8. *v.* 38. memorantur.

Hierarchiæ. 2. Hos ordines in *tres Hierarchias* dividit Auctor *de cæl. Hierarchia*, & cum eo omnes Theologi Catholici. Prima Hierarchia continet Seraphim, Cherubim, Thro-

nos. Secunda, Dominationes, Principatus, Potestates. Tertia, Virtutes, Archangelos & Angelos. Auctor *de cæl. Hier.* Virtutes ad secundam, Principatus ad tertiam Hierarchiam refert.

Schol. 1. Nonnulli Patres, S. Hilarius, Cyrillus Jeros. &c. putarunt, eam esse rationem multitudinis hominum ad numerum Angelorum, quæ esset unius ad nonaginta novem, ex parabola centesimæ ovis perditæ inventæ, *Luc.* 15. *v.* 4. Alii statuerunt, Angelorum numerum triplo majorem esse numero hominum electorum, tertiam partem Angelorum lapsam esse, ad quam ruinam instaurandam totidem homines assumpti sunt. Verum numerus Angelorum a nobis definiri non potest.

Schol. 2. D. Schubert cum Calvino & Beza Ordines Angelorum & Hierarchias omni fundamento carere, & naturæ rerum vult repugnare. Nam I. ex Archangelis singularis Ordo constituitur, cum tamen duces & principes omnium Angelicorum Ordinum sint. Sed licet Angelorum Princeps etiam per vocem Archangeli designari possit, specialem tamen Angelorum Ordinem Archangelos constituere Traditio veterum, S. Ignatii *Ep. ad Trall.* S. Irenæi *l.* 2. *c.* 54. & Auctoris *de cæl. Hierar.* ac S. Gregorii M. *hom.* 34. docet. II. Angeli juxta D. Schubert male dicuntur singularem Ordinem constituere distinctum a Thronis, qui etiam sunt Angeli. Verum cum Apostolus Angelos a Principatibus & Virtutibus *ad Rom.* 8. *v.* 38. & has a Thronis *ad Col.* 1. distinguat, non est frivola hæc distinctio, & clare innuitur, nomen Angeli tum esse genericum supremum, omnibus Angelis, & specificum seu genus infimum ultimo Ordini conveniens. Denique Apostolus Thronos, Principatus & Potestates &c. pro singularibus Ordinibus sumit, quia *ad Col.* 1. & *ad Rom.* 8. numerans plures creaturarum species non minus distinguit inter Dominationes & Principatus, quam inter visibilia & invisibilia. Cæterum notandum est, quod negare divisionem Angelorum in Ordines & Hierarchias assignatas sit temerarium, utpote contra communem Theologorum, cui subscribit usus Ecclesiæ.

Solvuntur objectiones.

Schol. 3. Proprietates Ordinum Angelicorum recensitorum sunt: Seraphim eximia charirate: Cherubim mira scientia: Throni securissima pace: Dominationes insigni in res creatas potentia: Potestates peculiari in dæmones virtute: Principatus quadam Majestate in executione mandatorum Dei: Virtutes ministerio in patratis miraculis eminent: Archangeli majora: Angeli minima nuntiant. Princeps omnium SS. Angelorum censetur S. Michael, qui in S. Scriptura dicitur Princeps populi Israe-

Proprietates Ordinum Angelicorum.

litici, Custos Ecclesiæ, Victor diaboli, quem sub titulo Principis omnium Angelorum veneratur Ecclesia.

An omnes specie differant? *Schol.* 4. An Angeli specie differant, res est nobis prorsus incognita, cum nulla occurrat auctoritas sive S. Scripturæ, sive Traditionis. Unde diversimode hic Scholæ sentiunt. Alii putant, omnes Angelos esse ejusdem naturæ specificæ, & differre solum accidentaliter ratione diversorum ministeriorum, uti in republica civili sunt Principes, Magistratus, alii aliis superiores, & plebeji, omnes in natura similes, gradu dispares. Alii cum S. Thoma *q.* 50. *a.* 2. censent, omnes Angelos specie differre. Verosimilius videtur, Angelos ejusdem Ordinis convenire in natura specifica, differre vero ab aliis, maxime si sint distinctæ Hierarchiæ: quia hæc diversitas specifica magis elevat pulchritudinem & decorem universi.

Angeli sibi colloquuntur. §. 192. Angeli habent commercium inter se, & inter se *loquuntur*. Ita testatur S. Scriptura, *Is.* 6. *v.* 2. 3. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ratio est: Angeli perfectam inter se societatem habent, & sunt præcipui cives cœlestis Jerusalem: item servant inter se ordinem imperantium & parentium. Sed ad hoc locutio requiritur. Ergo inter se loquuntur.

Quomodo? *Schol.* 1. Quomodo Angeli inter se loquantur, non convenit inter Theologos. Rabbini nonnulli volebant, linguam Hebraicam, quæ brevioribus verbis, quam aliæ linguæ, plura exprimit, Angelis in cœlo esse usualem, unde Jochanan filius Zochai, jactitabat se, quod nosset linguam Angelorum bonorum & malorum, quos exorcizabat, & adjurabat. Alius quidam Rabbinus putabat, Angelos loqui instrumento alarum, verbis *Ezech.* 1. persuasus: *Audiebam sonum alarum*. Verum hæ fabellæ seipsas refellunt. Alii putant, Angelos loqui sibi invicem per certa signa spiritualia vel corporalia, v. g. per certos characteres cœlo impressos, unde alter alterius conceptus legere possit. Sed sic secreto sibi loqui non possent. Alii putant melius, Angelum alteri Angelo loqui, ordinando conceptum suum per voluntatem ad eum, cui loquitur. Hoc quippe modo illi conceptum suum manifestat, & ille ponitur intra sphæram potentiæ intellectivæ alterius.

Quomodo unus alterum illuminet? *Schol.* 2. Angelus superior inferiorem illuminat de rebus naturæ, gratiæ & gloriæ: hæc illuminatio fit per modum artificiosi magisterii, quatenus superior proponit inferiori objectum incognitum modo illi proportionato, ostendendo medium proportionatum illud cognoscendi.

§. 193. Omnes Angeli in primo creationis suæ instanti habitualem *sapientiam intellectus & rectitudinem voluntatis* a Deo acceperunt. Hinc S. Scriptura, *Ezech.* 28. de Lucifero sub figura Regis Tyri dicit: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: Quod SS. Ambrosius, Gregorius & Bernardus &c. de donis gratiæ interpretantur. Idem docet S. Basilius *in Ps.* 32. S. Damascenus *l.* 2. *de fide* c. 3. Et S. Hieronymus *super Osee* ait: *Dæmones in magna pinguedine Spiritus creati sunt*: Ratio est: Deus creavit Angelos, ut Deum colant, & suam aliorumque perfectionem promoveant. Sed ad hoc requirebatur habitualis sapientia & rectitudo voluntatis. Ergo eam in creatione acceperunt. Deinde Angeli sunt Spiritus, adeoque intellectu & voluntate præditi, & quidem præstantiori, quam sit in homine (§. 182.). Ergo si homo ex alibi dicendis, etiam Angeli cum habituali sapientia intellectus & rectitudine voluntatis creati fuerunt.

An Angeli in rectitudine intellectus & voluntatis creati sint?

Schol. Hugo Victorinus, & Magister sententiarum docent, Angelos in justitia quadam naturali creatos fuisse sine ullo gratiæ supernaturalis dono. Hæc sententia non est quidem contra fidem Catholicam, uti bene notat P. Berti; interim tamen argumenta modo allata non solummodo rectitudinem seu sanctitatem naturalem Angelis in sui creatione concessam probant, sed illos etiam gratiam sanctificantem, & consequenter justitiam & sanctitatem accepisse evincunt. Nec obstat I. quod *Jobi* 4. in Hebraico legamus: *In Angelis suis non posuit lucem* תהלה: nam retinenda est lectio Vulgatæ: *In Angelis suis reperit pravitatem*, cum תהלה etiam *stultitiam* significet. Deinde Chaldæus textus Hebraicum exponit: *Prophetis non credet arcana*: II. S. Augustinus *l.* 2. *de gen. c.* 1. ait, Angelicam naturam informiter creatam esse, non relate ad gratiam, sed plenitudinem beatitudinis. Et S. Gregorius *l.* 32. *mor. c.* 18. ait, Angelum malum non esse creatum cum Charitatis ornamento & signaculo: scilicet cum Charitate consummata in patria & permanente. Eodem modo intelligitur Canon: *Visis literis*; *caus.* 16. *q.* 2.

An in gratia sanctificante?

§. 194. Angeli ab initio tanta sapientia & rectitudine ac gratia a Deo ornati erant, ut in officio, quo fungi debebant, constantes permanere potuissent (§. 193.); non omnes tamen in statu gratiæ permanserunt, sed quidam *peccando* inde exciderunt. Nam S. Scriptura, *Judæ* 6. testatur, quosdam Angelos non retinuisse suum principatum. Et 2. *Petri* 2. mentio fit *Angelorum peccantium*. Hi dicuntur Angeli mali lapsi & diaboli. Princeps autem eorum dicitur *Diabolus*, *Matth.* 25. v. 41. *Draco*

Angeli aliqui peccarunt.

magnus, *serpens antiquus & Satan*, *Apoc.* 12. *v.* 7. 9., & *cap.* 20. *v.* 2. Et a Judæis *Beelzebub*, *Luc.* 11. *v.* 15. Quod nomen vi originis denotat Dominum muscarum, vel quia idolum Accaron, de quo 4. *Reg.* 1. figuram muscæ habuit, teste S. Nazianzeno *cont. Julian.* vel quod ex agro Ekron crederetur muscas arcere, vel quod Philisthiim & Phœnices idolum suum vocarent Deum cœli, quem Judæi irridendo Deum muscarum appellabant. Et *Is.* 14. dicitur *Lucifer*.

Quodnam primum eorum peccatum fuerit?

Schol. 1. Quodnam primum Angelorum peccatum fuerit, cum S. Scriptura sileat, disputant Theologi, quorum sententias collegit Petavius *de Ang. l.* 3. Clemens Alexand. *l.* 3. *strom.* censet, Angelis mulieribus, quarum pulchritudine capti erant, stuprum intulisse. Sed hoc sine corpore, quod Angeli non habent (§. 178.), fieri nequit. Alii putant, diabolum primis hominibus Divinam imaginem, ad quam conditi erant, invidisse. Rursus alii statuunt, Angelos unionem hypostaticam homini invidisse. Sed invidia superbiæ soboles est, adeoque eam ante se supponit. Hugo Victorinus putat, Angelos peccasse appetendo absolutam æqualitatem cum Deo. Sed hanc ut possibilem apprehendere non potuerunt, cum bene sciverint, se tamquam entia per participationem & creata non posse esse entia a Deo independentia & per essentiam, sicuti Deus. Carpovius in *Theol. Rev. p.* 2. *c.* 5. putat, seductionem protoparentum nostrorum primum diaboli peccatum fuisse, quia Christus, *Joan.* 8. *v.* 44. ait, diabolum ab initio homicidam & mendacem fuisse. Sed cum hæc seductio animum a Deo aversum a diabolo jam supponat, nam ex hoc illam seductionem molitus est, primum peccatum esse nequit. Probabilius primum Angelorum peccatum fuit superbia, consistens in inordinato appetitu suæ beatitudinis naturalis, non ordinando illam in finem supernaturalem ipsis revelatum. Nam *Is.* 14. de Lucifero dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua*. Et *Ezech.* 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam in decore tuo*. Ubi juxta S. Ambrosium *in Ps.* 118. S. Augustinum *l.* 12. *de Civ. c.* 1. & S. Leonem *Ep.* 93. primum diaboli peccatum adscribitur cumulo perfectionum ejus naturalium. Ex hac porro superbia diaboli invidia erga hominem prodiit.

Ex quo eorum peccatum provenerit?

Schol. 2. Primum Angeli peccatum provenit ex inconsideratione, quatenus nimirum sine consideratione legis Divinæ prohibentis amare beatitudinem naturalem, sine ordine ad Deum ut finem supernaturalem, in naturali beatitudine inordinate sibi complacuit. Item Angeli ceciderunt quidem in magno numero, minori tamen eorum, qui steterunt. Et quidem Lucifer ex ordine Seraphino-

rum cecidisse videtur, qui nullum Angelum se superiorem habuit, quia a Patribus eminentissimus, primus & altissimus Angelorum dicitur. Angeli cæteri, si non ex singulis, saltem ex pluribus Ordinibus illi adhæserunt, & lapsi sunt, quia Apostolus *ad Eph.* 6. dicit, nobis colluctationem esse adversus Principes & Potestates. Denique Lucifer aliis Angelis causa ruinæ fuit; nam *Apoc.* 12. Draco dicitur tertiam partem secum traxisse. Et *Is.* 14. dicitur: *Tu populum tuum occidisti.*

Per peccatum statum gloriæ perdiderunt.

§. 195. Angeli peccantes in pœnam perdiderunt statum gloriæ & visionis Dei obtinendum. Nam Deus Angelis obedientiam sibi præstantibus gloriam & visionem beatificam in præmium promisit, & obedientibus re ipsa præstitit, *Matth.* 18. *v.* 10. Ergo Angeli refractarii in pœnam statum gloriæ & visionis beatificæ obtinendum perdiderunt.

Et in infernum sunt detrusi.

§. 196. Præterea 2. *Petri* 2. *v.* 4. *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Et S. Judas in *Epistola sua v.* 6. ait: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Ex quibus clare patet, Angelos peccantes statim post peccatum non solum jus ad gloriam perdidisse (§. 195), sed etiam in infernum detrusos fuisse.

Schol. Quæritur hic, quid nomine *tartari* S. Petrus intellexerit. Plerique tartarum interpretantur aerem hunc caliginosum, in quem velut in carcerem detrusi sunt dæmones, & in quo detinentur usque ad extremum judicium. Et Carpovius in *Theol. Rev.* docet, dæmones modo non sentire pœnam ignis, utpote quæ illis post extremum Judicium sustinenda erit. Verum contra hos sit

Et quidem statim post peccatum.

§. 197. Dæmones statim post commissum peccatum in ignem infernalem sunt dejecti, ubi damnationis suæ & ignis pœnam etiam ante extremum Judicium patiuntur. Nam primo *tartarus* in citato loco S. Petri infernum damnatorum significat, *ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, *Job.* 10. maxime cum verbum *tartarus* a ταράττον derivetur: quem locum aliæ Scripturæ *abyssum* vocant, *Luc.* 8. *ad Rom.* 10. *Apoc.* 9. 11. 17. 20. qui postremus locus Apocalypsis quia & catenæ & alligationis meminit, hanc quam probamus *tartari* significationem non parum confirmat. Abyssus porro non locum aeris, sed locum inferorum profundissimum denotat. Deinde S. Petrus ait, dæmones esse *in tartarum detractos cruciandos*, quod verbum quidem in Græcis codicibus, paucis exceptis, non habetur;

legitur tamen a S. Augustino *l.* 11. *de Civ. c.* 33. & S. Fulgentio *l.* 2. *ad Trasim. c.* 2. adeoque olim sane legebatur, & denotat specialem pœnam, qua dæmones in inferno torquentur, maxime cum in inferno ignem esse ex paullo post dicendis patebit. Certe animæ damnatæ statim pœnam peccatis debitam in inferno patiuntur. Ergo & dæmones.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Bellarminus *l.* 1. *de SS. beatitud. c.* 6. notat, sententiam asserentem dæmones modo post extremum judicium in infernum detrudendos, & igne cruciandos esse, ab errore vindicari non posse; & P. Berti vocat eam falsissimam & erroneam. Nec obest, quod *Matth.* 8. dæmones Christo dicant: *Venisti ante tempus torquere nos.* Et *Matth.* 25. ignis tantum *paratus* esse dicatur diabolo, & 1. *ad Cor.* 6. *Angeli judicandi* dicantur. Nam triplex distingui potest Angeli damnatio: Prima, qua ab initio in infernum dejectus est: Secunda, qua per Christum sua potestate in hominines spoliatus est, *Joan.* 12. Tertia, qua in extremo judicio ad pœnam ejus essentialem fiet accidentalis accessio, cum ejus malitia toti mundo manifestabitur, & a sanctis hominibus judicabitur, & de tertia hac damnatione loca S. Scripturæ intelliguntur. II. Non obest auctoritas S. Justini, S. Irenæi, S. Epiphanii, Eusebii & Œcumenii, qui in hac parte deserendi sunt; alii vero Patres loquuntur de pœna accidentali, quæ dæmones in extremo judicio expectat.

Nonnulli sunt dæmones in aere: *Schol.* 2. His tamen dictis non obstantibus, communis est Theologorum cum S. Augustino *l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 26. docente, spectare ad fidem Apostolicam, quod multi dæmones in aere, & supra terram vagentur. Innuit hoc Apostolus *ad Eph.* 2. dicens: *Aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, Spiritum, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Et Auctor *Commentariorum in Ep. ad Eph.* inter opera S. Hieronymi ait: *Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste plenus est contrariis fortitudinibus.*

Pœnam damni & sensus patiuntur. *Schol.* 3. Ex his colligi posset, dæmones & pœnam damni, quæ consistit in jactura boni, scilicet gloriæ & visionis beatificæ (§. 196.), & pœnam sensus, quæ in malis sufferendis consistit, scilicet tormento ignis, modo tolerare.

Dæmones vero igne materiali torquentur. §. 198. Dæmones & damnati *igne vero & proprie dicto materiali & corporeo* in inferno cruciantur. Nam S. Scriptura ignem in inferno ardere constanter asserit, *Eccli.* 21. *v.* 10. *Consummatio eorum flamma ignis. Is.* 33. *v.* 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiter-*

nis? Et *Matth.* 25. *v.* 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Cum in his & aliis locis tam clare dicatur, ignem esse in inferno, sine omni ratione ad metaphoram detorquetur, maxime cum Patres S. Basilius *Hom.* 1. *in Ps.* 28. S. Gregorius *l.* 15. *Mor. c.* 17. & S. Augustinus *l.* 2. *de Civ. c.* 10. ignem infernalem corporeum expressis verbis dicant. Sane æquissimum est, ut Spiritus peccans recedens a suo Creatore puniatur per creaturam corpoream, tum ut creatura honorem sui Creatoris ulciscatur, tum ut superbia rebus illa vilioribus & inferioribus subjiciatur.

Schol. 1. Origenes, teste S. Hieronymo *apol.* 2. *cont. Ruff.* & Theophylactus *in c.* 9. *S. Marci*, ac Catharinus *l. de præm. bon. & suppl. mal.* volunt, ignem infernalem non esse corporeum, nec aliud significare, quam stimulantem peccatorum conscientiam, sicuti etiam vermis, *Marci* 9. oculi & lingua divitis Epulonis, *Luc.* 16. & aquæ nivium in inferno, *Job.* 24. metaphorice sumuntur. Verum licet hæc sententia nondum sit expresse contra Fidem, ob defectum apertæ Ecclesiæ definitionis, est tamen omnino temeraria, teste Isamberto. Oculi, lingua &c. damnatæ Epulonis animæ adscripta per se metaphoram produnt, quia Spiritui convenire non possunt. Aquas nivium pro torquendis damnatis vere tales in inferno admittit S. Hieronymus in citatum Jobi locum, & vermem in sensu litterali intelligit S. Basilius *in Ps.* 33. Alii vero per nives culpas præsentis vitæ intelligunt, per vermem angorem conscientiæ damnatorum denotari volunt, de igne vero proprie dicto omnes conveniunt. *An sit hoc de fide?*

Schol. 2. Potissima difficultas est, quomodo ignis corporeus dæmones & animas damnatas torqueat. Notat hinc Alfonsus a Castro *l.* 1. *cont. hær. c.* 9. si quis credat, ignem inferni esse similem huic, aut dissimilem, quem apud nos hic cernimus, non censebitur hæreticus, eo quod lis est adhuc sub Judice. Nobis probabilius esse videtur, esse ejusdem naturæ cum nostro igne elementari, quia absolute sine addito in S. Scriptura ignis vocatur: quoad accidentia tamen multum a nostro differt, tum quia lucem non spargit, positus est in loco infimo, pabulo non eget, est inextinguibilis, & agit in Spiritus, acerrime eos cruciando. Sed quomodo? Respondet Bellarminus *l.* 2. *de Purgat.* certum esse ex S. Scriptura, ignem vere & realiter cruciare Spiritus; quomodo autem id fiat neque revelatione innotescere, nec ratione posse investigari. Guillielmus Paris. putat, ignem torquere Spiritus, dum eum ut sibi contrarium & nocivum apprehendunt. Verum hoc modo Spiritus a sola *Quomodo ignis torqueat Dæmones?*

apprehensione torquerentur. Suarez vult, ignem producere supernaturalem qualitatem, quæ Spiritibus dolorem inferat. Sed ipse fatetur, hanc opinionem non satis fundatam esse. Putamus, Spiritus ab igne infernali torqueri, quatenus illi insolubiliter alligantur; nam a S. Petro & S. Juda locis citatis alligationis expressa mentio occurrit: quæ alligatio summe afflictiva est; vi hujus enim ita igni conjunguntur, ut locum mutare non possint, & de miserrimo statu suo semper cogitare debent. Præterea ab igne cruciantur aliquo speciali passionis modo; nam *Luc.* 16. Dives in inferno clamat: *Crucior in hac flamma:* unde non licentiam exeundi, sed guttam aquæ petiit; in quonam autem hæc passio consistat, nescimus, & cum S. Augustino *l.* 2. *de Civ. c.* 10. confitemur, Spiritus malignos ab igne corporeo torqueri, quamvis miris & ineffabilibus, veris tamen modis.

An dæmones in aere igne torqueantur? *Schol.* 3. Cajetanus docuit *in* 2. *S. Petri*, dæmones, qui sunt in hoc aere, nondum recepisse ultimum essentiale supplicium, nec complementum infernalis tormenti. Hæc sententia juxta P. Gonet non est quidem contra fidem Catholicam, cum nec S. Scriptura, nec ullum Concilium hucusque docuerit, omnes dæmones extrema supplicia perpeti: non est tamen rationi congrua, & contra communem sensum Theologorum. Quomodo vero ignis torqueat dæmones in aere vagantes, iterum non constat. Putant nonnulli, qualitatem doloriferam ab igne impressam a Deo conservari. Alii censent, ignem supernaturaliter agere in distans. Alii docent, dæmones secum ignem deferre. Verum quo fundamento nituntur hæ sententiæ? Res nobis incomperta est: sciunt dæmones in aere ignem sibi deberi, cruciantur ab eo, quomodo? nescimus.

Infernus est locus materialis. §. 199. Quia in inferno est ignis materialis & corporeus (§. 198.), sequitur etiam *infernum esse locum materialem*. Nam S. Scriptura, *Ps.* 93. ait: *Habitasset in inferno anima mea*. *Matth.* 11. *Et tu, Capharnaum, usque in infernum descendes*. Habitare vero, & descendere locum materialem denotant. Et *ad Philip.* 2. *v.* 10. dicitur: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Ubi triplex locus animarum, cœlum, terra, & infernus designatur. Hinc S. Augustinus *l.* 2. *retract. c.* 24. infernum sub terris: Tertullianus *l. de anima c.* 51. in fossa terræ, in ipsis visceribus: S. Cyrillus Alex. *or. de exitu animæ*, in terrarum opacis esse dicit.

Supplicia damnatorum §. 200. Æterna sunt, nullumque finem habitura tum dæmonum, tum aliorum reproborum supplicia. Ita S. Scriptura illa nobis describit, *Is.* 66. *v.* 24. *Ignis eorum*

non extinguetur. *Matth.* 24. *v.* 46. *Ibunt hi in supplicium æternum*. Et 2. *ad Thess.* 1. *v.* 9. *Pœnas dabunt in interitu æternas*. Et *Apoc.* 20. *v.* 10. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Certe hic æternitas proprie & non solum pro longo tempore sumitur; quia dicitur *in sæcula sæculorum*; & non solum ignis, uti quidam exponunt, sed etiam supplicium æternum dicitur, *Matth.* 25. Deinde ita explicant omnes Patres, inter quos S. Justinus *apologia secunda*, S. Theophilus *l.* 1. *ad Autholic.* S. Irenæus *l.* 5. *adv. hær. c.* 28. Tertullianus *in apologet. c.* 48. S. Augustinus *l. de hær.* S. Hieronymus *in c.* 25. *Matth.* & *in c.* 3. *Jonæ*. S. Fulgentius *l. de fide c.* 43. ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, iniquos omnes ituros in combustionem æternam*. Subscribunt Concilia: Synodus V. teste Evagrio: Synodus VI. *act.* 18. & VII. *act.* 1. contrarium errorem damnarunt. Lateranense IV. *c. firmiter*, ait, reprobos cum diabolo in *pœnam æternam* ituros. Et Concilium Tridentinum reproborum supplicia nullum finem habitura definit *sess.* 6. *can.* 25. Ratio est: Qui graviter Deum offendit, ita est affectus, ut peccatum suum velit esse perpetuum, quia in nullo alio bono vult conquiescere. Ergo meretur supplicium æternum, maxime cum infinitam Dei Majestatem offendat.

tunt æterna.

Schol. 1. Origenes pœnarum inferni æternitatem negavit, dum omnium Apocatastasim seu restitutionem defendebat. Hunc errorem resuscitavit Joanna Leadia in suo *Evangelio æterno*, ejusque sententiæ patrocinium suscepit Petersenius, cui adstipulati sunt alii Protestantes nonnulli, quos recenset Walchius *Bibl. Theol. tom.* 2. Sociniani vero, infelices damnatos aliquando in nihilum redigendos putant, quibus Sonnerus, & Lokius subscribunt. Pœnarum æternitatem etiam impugnarunt Baelius, Spinoza, & Voltairius cum suis sequacibus fortibus spiritibus: qui contra dogma Catholicum objiciunt I. Non est proportio inter pœnam æternam & culpam transitoriæ delectationis, quam tamen servat Deus justus Judex, *Apoc.* 18. *v.* 7. *Resp.* Æternitas pœnarum servat proportionem cum offensa Dei infiniti; cum recessu ab ultimo fine in creatura male quæsito; cum prava voluntate in malo obfirmata, quam sine gratia Dei, cujus damnati sunt inimici, nunquam mutabunt. II. 1. *ad Cor.* 15. *v.* 12. Omnes in Christo vivificandi dicuntur. Mors inimica destruenda, *Apoc.* 20. *v.* 6. Manducantes carnem Filii hominis non morituri in æternum, *Joan.* 6. Misericordia Dei super omnia sæpius commendatur, & Deus dicitur non irasci in perpetuum, *Ps.* 103. *v.* 9. Et S. Petrus ait: *Oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora re-*

Objectiones solvuntur.

stitutionis omnium. *Act.* 3. *v.* 21. *Resp.* S. Paulus de sola justorum vivificatione in gloriosa eorum resurrectione loquitur. Item mors secunda justorum in resurrectione destruetur, quam non amplius nec in corpore, nec in anima in gratia confirmata subibunt. Rursus manducantes carnem Filii hominis, ejus mandata observantes, & in gratia decedentes non morientur in æternum. Item misericordia Dei solum resipiscentibus promittitur. Et denique S. Petrus per restitutionem omnium universalem resurrectionem omnium, & Judicium universale designat. III. Pœnæ damnatorum nomine *interitus*, *ad Rom.* 9. *v.* 22. *mortis*, *Apoc.* 21. *v.* 8. *perditionis*, *Joan.* 17. *v.* 12. designantur. Ergo damnati annihilabuntur. *Resp.* S. Paulus nomine *interitus*, *pœnas æternas*, 2. *ad Thess.* 1. *v.* 9. S. Joannes citato loco *stagnum ardens*, & nomine *perditionis*, *severam ultionem*, non vero annihilationem intelligit. IV. Pœna æterna bonitati & misericordiæ Dei repugnare videtur, & faceret, ut plus ab illo timere, quam sperare deberemus. *Resp.* Bonitas & misericordia Dei a sapientia ejus dirigi debet, adeoque justitiam comitem habeat necesse est, ne vitium insolescat. Quare si homo bonitate & misericordia Dei infinita abutatur, quam tam liberaliter illi exhibuit, quid mirum si in manus infinitæ justitiæ incidat? Unde ii soli plus timere debent quam sperare, qui sua sponte in statum æternæ salutis amittendæ se præcipitant; cum e contra fideles mandatorum Dei executores, omnipotentiam, bonitatem & fidelitatem Dei pro spei suæ anchora semper, non tamen sine timore filiali & salutari, arripiant.

Cur Deus Angelis peccantibus non pepercerit?

Schol. 2. Quæri potest, cur Deus Angelis peccantibus non pepercerit, qui pepercit homini providens ei Redemptorem. Omissis aliis rationibus respondet Estius *in* 2. *S. Petr.* salva judiciorum Dei inscrutabili profunditate, quia humana natura tota corruerat in primo parente, quæ proinde ne tota periret, misericordia Dei subvenit; Angelica vero natura non tota cecidit, sed pars aliqua, & quidem multo minor, quam illa, quæ in sua rectitudine perstitit.

Dæmones homines infestant.

§. 201. Angeli mali dum sibi vident negatum Redemptorem hominibus datum, vindicta in Deum, & invidia erga homines accensi, Dei gloriam obscurare, & homines, quocumque modo possunt, in temporalem & æternam miseriam detrudere conantur, ut ipsis similes fiant, 1. *Petr.* 5. *v.* 8. variisque in hunc finem insidiis & artibus utuntur, *ad Eph.* 6. *v.* 11. Unde 1. diabolus vult, ut homines peccent. Hinc Christus, *Joan.* 8. *v.* 40. *& seqq.* ait, Judæos eum occidere studentes voluntatem diaboli exequi. Et ratio est, quia homo per peccatum se in

hac & in altera vita miserum reddit, cum Deus facere non possit, quin omne peccatum puniat (§. 120.), & quidem pœna æterna, si grave sit (§. 200.).

2. Et quia diabolus vult, ut homines in peccata labantur, vult etiam omne id, per quod homo ad peccatum induci potest, & pro virili ad illud concurrit. Sic promovet in hominibus veritatis ignorantiam, 2. *ad Cor.* 4. *v.* 4. Spargit zizania falsæ doctrinæ & malorum exemplorum, *Matth.* 13. *v.* 25. Impedit Doctores fideles in functionibus suis, 1. *ad Thess.* 2. *v.* 18. rapitque verbum prædicatum ex mentibus hominum, *Luc.* 8. *v.* 12. Quoad statum politicum, iniqua & perniciosa consilia imperantibus suggerit, 1. *Paralip.* 22. bella concitare nititur, 1. *Reg.* 22. in statu œconomico damna hominibus, ubi potest, infert. Quæ omnia directe vel indirecte peccandi ansam hominibus præbere possunt.

3. Diabolus malas etiam cogitationes homini suggerere potest, quales suggessit Davidi, 1. *Paralip.* 22. *v.* 1. Judæ, *Joan.* 13. *v.* 27. Ananiæ, *Act.* 5. *v.* 3. Quippe potest motus fluidi nervei in cerebro & sanguinis producere, quibus propter unionem animæ cum corpore cogitationes malæ in anima respondeant. Vid. *Inst. Th. myst. tom.* 1. §. 194. *& seq.*

§. 202. Præterea dæmon corpora hominum *possidere & obsidere* potest. Probat hoc *Primo* tota Evangelica historia. *Matth.* 4. *v.* 24. curavit Christus dæmoniacos. *Matth.* 8. *v.* 25. *Marci* 5. *v.* 1. *Luc.* 8. *v.* 26. Christus alios duos dæmoniacos curavit. *Matth.* 9. *v.* 32. ejecit Christus dæmonium ex homine muto. Vide etiam *Luc.* 4. *v.* 33. *Act.* 8. *v.* 7. Nec est cur obsessiones illas dæmoniacas pro morbis mere naturalibus ex causis naturalibus profectis habeamus; nam dæmones obsidentes compellabant Christum, & veniam sues invadendi petebant, *Matth.* 8. *v.* 29. quod de morbo dici nequit. Item stupendum robur, ipsas catenas rumpendi, in obsessis deprehendebatur, *Luc.* 9. *v.* 29. & diserte multi dæmones in homine uno fuisse dicuntur, *ibid. v.* 30. Imo ægroti ex causis naturalibus expresse ab obsessis distinguuntur, *Act.* 5. *v.* 16. Sane narrationi Evangelistarum vis infertur, si dicatur, eos secundum errorem & præjudicium vulgi scripsisse, qui pro obsessione habuerunt morbos naturales. Nec assentiendum est Auctori Anonymo, qui putat, non a Dæmone, sed a tertio quodam Spirituum nec bonorum nec malorum genere, homines obsessos fuisse: nam vox διάβολος expresse legitur, *Act.* 10. *v.* 38. *Secundo.* Dogma hoc tenent omnes Patres, quotquot commentaria in Evangelium scripserunt. Provocant etiam antiqui Patres fidei nostræ hostes, ut dæmoniacos coram

Dæmon hominum corpora possidere potest.

fideli constituant: non enim sustinent Exorcistarum præsentiam, ipsis fatentibus Christiani nominis obtrectatoribus. Certe tam alte sederat omnium mentibus hæc sententia, ut vel ipsi Judæorum Exorcistæ nomen Jesu Christi pro pellendis dæmonibus usurparent. *Tertio*. Ratio probat: nam diabolus potest agere in corpus humanum (§. 186.). Ergo potesr, turbato fluido nerveo seu spiritibus vitalibus, motus dolorosos in eo excitare, organa loquelæ ad vociferationes impellere, membra & totum corpus immaniter jactare, magnum robur corpori dare &c. & consequenter hominum corpora obsidere.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Nonnulli distinguunt obsessionem a possessione; in illa dæmon in externa corporis, in hac in interiora agit. Liberiora ætatis nostræ ingenia negant Energumenorum seu obsessorum a dæmone veritatem, & exempla Evangelica per occultos morbos, & lusum phantasiæ, ac præjudicia infantiæ exponunt. Unde dicunt, Christum nuspiam Ecclesiæ suæ potestatem dedisse dæmones expellendi Exorcismis suis alligatam. Ergo adjurationes illæ sunt mere preces cum invocatione Nominis Jesu, ad solatium ferendum ægrotis, & eorum mentem corrigendam, qui putant se a dæmone possideri. Verum cum Christus aperte dixerit: *In nomine meo dæmonia ejicient*, certe dedit Ecclesiæ suæ potestatem dæmones expellendi, sed non usque adeo assertam, ut effectu suo ex occultis Dei judiciis non frustretur.

Signa possessionis diabolicæ. *Schol.* 2. Signa possessionis dæmoniacæ a Brognolo in *Manu. Exorcis*. inter alia hæc assignantur. 1. Si homo rudis possessus de rebus scientificis perfecte disserat. 2. Si linguam peregrinam, quam nunquam didicit, perfecte loquatur. 3. Si occulta & absentia, quæ ab eo sciri non possunt, captum tamen dæmonis non excedunt, nec sanctitati energumeni tribui possunt, manifestet. Plura videri possunt apud citatum Brognolum. Porro dæmon proprie loquendo dum hominem possidet, hoc intelligendum est secundum corpus, non autem secundum animam, cujus rationem dat S. Thomas *in 2. sent. a. 5. ad* 5. quia respectu spiritus, qui non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiæ, intrare non potest, nisi ille, qui dat esse, scilicet Deus creator, cum ob limitationem unus spiritus ab alio neque in essendo, neque in operando intrinsece dependeat. Plura fuse satis deducta, & de remediis contra possessionem vel obsessionem, & usu legitimo Exorcismorum vide in cit. meis *Inst. Th. Myst. tom. 1. §. 205. & seq.*

Potest somnia suggerere. §. 203. Dæmon somnia diabolica suggerere potest: nam mediante fluido nerveo, id est spiritibus vitalibus, cogitationes in anima excitare potest (§. 201.). Ergo

etiam varias imaginationes in dormientium mentibus excitare valet, quæ somnia appellamus.

Schol. Per ejusmodi somnia diabolica multæ sagarum sic dictæ transvectiones explicari possunt. Quia vero omnis causa naturalis non agit absolute secundum modum activitatis, sed receptivitatis; ideo in corpore humano quædam dispositio adesse debet, qua præsente suas operationes dæmon felicius exequi possit. Hinc illa individua, quæ sanguinem alunt copiosum, crassum & tardius circulantem, uti senes, aniculæ, melancholici, victu duro & crasso utentes, sub cœlo frigido degentes, magis sunt disposita ad actiones diaboli recipiendas, & ideo plura audimus de illusionibus diabolicis in terris septentrionalibus.

§. 204. Dæmon etiam oracula fundere potest. Cujus rei exemplum præbet ancilla habens Spiritum Pythonem, quæ magnum lucrum afferebat dominis suis vaticinia edens, *Act.* 16. *v.* 16. A diabolo etiam vaticinia illa profecta esse inde elucet, quod Paulus ex ancilla illa Spiritum ejecerit, quo facto vaticinatio illa una cum lucro dominorum cessabat, *v.* 18. 19. Ratio est: Dæmon utpote Angelus ex nexu causarum naturalium perspecto sæpe probabiliter præscit futura (§. 181.). Item multa nobis ignota cognoscit. Ergo Pythonibus & Pythonissis præparatis (§. 103. Schol.) mediante motu in corpore suggerere, vel alio modo significare potest, qui deinde hæc aliis respondeant. Quando vero dæmon ex causis naturalibus non poterat quid certi elicere, responsum dubium reddebat. *Oracula fundere potest.*

§. 205. Dæmon variis morbis corpus hominis excruciare potest. Exemplum nobis præbet Job, cujus corpus putidis ulceribus torquebat, *Jobi* 1. *v.* 7. Ratio est: Dæmon fluidum nerveum præternaturaliter & extraordinarie commovere potest, adeoque etiam illius motum sistere, & sic cæcitatem, aphoniam linguæ, surditatem, impotentiam conjugalem &c. producere, quæ fiunt per motum fluidi nervei impeditum. Item fieri etiam potest, ut cutis & fibrarum tonum relaxet, unde stagnans serum & lympha in fœtidissimam putrilaginem abire, & ulcera inde oriri debent. *Item morbis corpus hominis affligere.*

Schol. Eodem modo dæmon morbos aliis inferre potest, noxia eorum cibis immiscendo: potest & alios invulnerabiles facere, vel durius corpus interponendo, vel impetum debilitando; item invisibiles reddere, motum fluidi nervei impediendo.

§. 206. Dæmon in aerem, ætherem & ignem, & alia corpora solida agere potest. Sic Jobi bona igne & vento destruebat, *Job.* 1. *v.* 12. Sic sues Gerasenorum in *Agere in aerem & corpora.*

mare trudebat, *Matth.* 8. *v.* 31. Sic Christum statuit supra pinnaculum templi ductu & raptu physico, uti communius sentiunt Patres. Ratio est: Dæmon potest agere in corpora; ergo etiam in aerem, non solum ventos excitando, qui sunt motus aeris vehementiores; sed etiam strepitus, sonos, & fragores, qui sunt motus tremulos aeris. Et similiter in ætherem & ignem agere valet.

Apparere in forma visibili. §. 207. Dæmon in forma assumpta visibili hominibus apparere, & spectra formare potest. Nam Angeli in forma assumpta & corpore hominibus apparere possunt (§. 188.): sed dæmones sunt Angeli: ergo etiam illi sic apparere possunt. Sic diabolus sub forma visibili Christo, *Matth.* 4. apparuit. Item cum *Spectrum* sit larva hominis, vel alterius rei externa terroris incutiendi causa homini apparens; ex dicta modo ratione patet, quod dæmon spectris hominibus illudere possit. Unde cum Apostoli Christum, quem non cognoscebant, videntes, non solum Phantasma, *Matth.* 14. *v.* 26. sed etiam Spiritum sub forma corporis humani ad terrendos illos apparentem, videre se putarent, *Luc.* 24. *v.* 37. Christus hanc eorum opinionem non refutavit; qui si errassent, non sine correctione mansissent. Vid. §. 188. cum Sch. & *Inst. Th. myst. tom.* 2. §. 488.

Magia diabolica est possibilis. §. 208. Magia diabolica, seu pactum expressum vel tacitum cum dæmone ab homine initum, ut homo opera dæmonis adjutus opera mirabilia ordinem naturæ non excedentia præstet, non est impossibilis. Nam diabolus non solum potest agere in corpora (§. 186.), sed etiam ejus potentia tamquam Angeli humana longe major est (§. 187.). Ergo fieri potest, ut ad voluntatem hominis opera mirabilia, licet sæpe in aliorum hominum perniciem directa, præstet; & hinc ipse homo, sed dæmonis opera adjutus, eadem præstare videatur. Deinde dæmon in forma visibili hominibus apparere potest (§. 207.). Ergo nil obstat, quominus apparens promissum dando & accipiendo cum homine expresse possit pacisci; & hinc magos, sagasque dari possibile est. Dices, hoc pactum esse impossibile, quia homo non est Dominus animæ suæ, adeoque eam dæmoni addicere nequit: & dæmon non est dominus pecorum, plantarum &c. adeoque ea in malum alterius ad voluntatem magi adhibere nequit sine permissione Dei. Quis autem credat, Deum hoc ad satisfaciendum pravæ voluntati magi velle permittere? & sic ruit pactum tamquam de re extra potestatem paciscentium posita, quod cum dæmon optime cognoscat, tale pactum inire nequit. Verum licet homo non sit dominus animæ suæ, ex malitia tamen potest velle eam Deo surripere, & ejus usum dæmoni addicere. Item dæmon sub conditione, si Deus permittat, ad ob-

sequendum magi voluntati quoad patranda illa mira se obligare, vel saltem se illa patraturum mentiri potest, & ita erit quidem pactum in re nullum, verum tamen quoad speciem. Quare licet dæmon bene sciat invaliditatem talis pacti, obligationem tamen mentiri potest, imo quantum licet voluntati magi obsequitur, ne ille animam suam per pœnitentiam salvet.

An detur Magia diabolica?

Schol. 1. Ardoinus Ubidente Dell' Osa, sive R. P. Jordanus Simon contra nonnullos rigidiores censores in libro, *Nihilum magnum, quod tamen mundum decipit, vel magia hodierna*, docte probat, non esse de fide dari Magiam diabolicam, maxime modo in lege Evangelica, eamque salva fide negari posse. Nam 1. in Scriptura nullibi exemplum hominis pactum cum dæmone facientis legimus: imo nec adsunt exempla eorum, qui opera diaboli mirabilia præstiterunt. Mentio quidem fit in S. Scriptura magorum, sed nullibi legimus, quod ope dæmonis, aut ex pacto cum illo mira patraverint. Prodigia Magorum Ægyptiorum, *Exod. 7. v. 11. & seq.* nonnulli putant meras fallacias & illusiones per artem ludicram, vulgo *lusum per celeritatem*, fuisse. Alii putant, illos magos per occultam naturalem, & solis Ægyptiis cognitam artem illos angues &c. produxisse. Alii putant, ex speciali Dei permissione magos in hoc casu opera dæmonis adjutos fuisse, & quidem in lege veteri, ubi vis dæmonis necdum ita ligata fuit. Nullibi pactum cum dæmone vel dæmonis auxilium memoratur. Samuel, 1. *Reg.* 28. non arte magica Pythonissæ evocatus fuit, sed imperio Divino præveniente vanas incantationes suscitatus fuit. Vid. diss. D. Calmet super hac re. Pœna mortis etiam in magos constituitur, *Exodi* 22. &c. & quidem justissima sententia, quia homines Magi dicti opem a diabolo postulant, quod est species idololatriæ, & quia aliis per suas præstigias & illusiones, hoc enim sonat vox Hebraica כשפים, gravissime sæpe nocent. Elymas magnus occurrit in Actibus Apostolorum, sed magi nomine Philosophum designari putat Du-Hamel in *edit. Bibl.* Lapsus Simonis Magi ex aere ab eruditis Criticis in dubium revocatur: de quo videri potest D. Calmet in *diss. de Simone mago*. 2. Ex Traditione non constat dari Magiam diabolicam: Patres enim inter dogmata fidei existentiam Magiæ diabolicæ nunquam numerarunt, neque negantes Magiam inter hæreticos recensuerunt; cum tamen nullo non tempore docti & indocti Magiam negantes extiterint. 3. Dari Magiam in nullo Concilio adhuc definitum fuit. Canon 6tus Concilii Elvirani a nonnullis pro supposititio habetur. Alii per Magiam ibi memoratam, idololatriam intelligunt. Concilium Ancyranum

eos solum damnat, qui Magiæ credunt. Moguntinum damnat ritus superstitiosos, quibus vulgus credit ex pacto cum dæmone se aliquid efficere posse. In Canone *non mirum*, *caus.* 26. *q.* 5. dicitur, Magos elementa turbare &c. sed hoc ex Poeta Lucano desumptum est, quin verum esse affirmetur. Canon *Illud*, *loc. citat. q.* 2. pacta cum dæmone inter præstigias numerat, quo nomine satis indicat, esse falsa & fictitia. In Canon. *per sortiarias: de frigidis & maleficiatis*, mentio quidem occurrit impotentiæ conjugalis per maleficia causatæ, quod supponitur fieri posse, nec nos negamus. In Rituali Ecclesiæ præscribitur quidem Exorcistæ, ut diabolo imperet, quatenus dicat, an per maleficia in hoc corpore detineatur. Sed hæc observatio recentiori manu adjecta fuit, & instructiones illæ non faciunt decisiones fidei & disciplinæ; imo citata etiam instructio in Rituali Veneto a. 1571. omissa fuit. 4. Summi Pontifices nunquam sanxerunt existentiam Magiæ ad fidem pertinere, nec contrarium tenentes & eam negantes damnarunt. Bullæ quidem Pontificiæ damnant Magiam, sed nulla definit, eam revera existere. Certe malitia eorum, qui magicis superstitionibus vacant, opem dæmonis implorant, putantes se ab eo adjutum iri, damnationem meretur. Certe nullæ preces contra maleficia præscribuntur. 5. Existentia Magiæ ex aliis veritatibus revelatis non fluit. Non ex illa, quod dæmones existere credamus, uti per se patet: non ex illa, quod dæmon permittente Deo mira patrare, & homini nocere possit; nam probandum est, Deum potestatem hanc pro libitu exercendam dæmoni concessisse; ex quibus concludit prælaudatus P. Jordanus Simon, existentiam Magiæ diabolicæ ad fidem non pertinere, & exempla magica, de quibus testantur historiæ, vel ad fabulas, vel ad illusiones artificiosas amandat.

Schol. 2. Laudatus vero Auctor in citato suo opere ulterius progreditur, & Magiæ diabolicæ possibilitatem etiam impugnat. I. Quia pactum magi cum dæmone est impossibile. Sed ad hoc patet responsio ex hoc paragrapho (§. 208.). II. S. Scriptura & PP. passim testantur, vim dæmonis in Lege Evangelica valde ligatam, imo vero ablatam per Christum fuisse. Sed hoc solum probat, Magiam quidem hodie esse valde raram, & opera magica plerumque esse phantastica & illusoria, quod libenter concedimus: sed non probat, Magiam esse impossibilem, & subinde ex speciali Dei permissione hominem opera dæmonis adjutum mirabilia præstare. III. Antiqui libri pœnitentiales interrogatoria sua quidem ad solos illos dirigunt, qui credunt & confidunt, se ope dæmonis mira efficere & aliis nocere posse; sed quæstio-

nem, an revera hoc præstiterint, Confessariorum judicio relinquunt. Vid. D. Thiers. *tract. de superstit.* P. Le Brun *de superst. usibus*. D. Ab. Attignius *Tom.* 1. *Hist. monum*.

§. 209. Licet autem diabolus, quæ hactenus dicta sunt, pro natura sua possit efficere (§. 201. & seq.), tamen quia potentia ejus omnipotentiæ Divinæ subest, & consequenter Deus potentiam diaboli cohibere potest, diabolus non valet quidquam, nisi Deus illi permittat, efficere. Sic non poterat diabolus, nisi licentia a Deo data, nocere Jobo, nec amplius in inferendis illi malis progredi, quam Deus permiserat, *Jobi* 1. *v.* 2. & 2. *v.* 6. Ne porcos quidem Gerasenorum occupare poterant dæmones, nisi venia a Christo impetrata. *Dæmon nil potest sine permissione Divina.*

Schol. Ex dictis quidem constat, quid diabolus agere possit, & subinde Deo permittente agat; non tamen opera diaboli contra veritatem nimium sunt extendenda. Sic 1. non omnes malæ cogitationes pro suggestionibus diabolicis sunt habendæ, quia etiam homo pro libertate sua malum amplecti potest. 2. Quia morbi ordinarie ex causis naturalibus oriuntur; morbus aliquis pro dæmoniaco habendus non est, donec hoc certis indiciis constet. Criteria vero obsessionis diabolicæ, præter jam assignata (§. 202. Schol. 2.), esse possunt: Si homo sanus & robustus subito gravissimis doloribus, mirisque corporis agitationibus torqueatur: si robore viribus humanis majore polleat: hæc enim vires humanas ordinarias excedunt. 3. Nec omnia mala & infortunia dæmoni adscribi possunt, utpote quæ ex causis naturalibus proficisci possunt. 4. Et quemadmodum non omnibus, quæ de spectris narrantur, historiis fides adhibenda est, cum multæ imaginationis operationes, præsertim a meticulosis & melancholicis, & fraudes malitiosorum hominum pro spectris sint habitæ: ita historiæ testantur, multos pro magis habitos fuisse, qui nonnisi viribus naturæ reliquis ignotis utebantur; unde maxima circumspectione hic opus est. Permittit tamen Deus subinde nonnulla opera diabolo, tum ut justorum virtus exerceatur & manifestetur: tum ut impii atrocissimo hoc pœnarum genere commoti resipiscant. In lege tamen Evangelica diaboli potentiam valde restrictam & imminutam fuisse omnes experiuntur. Misso quippe Messia ad destruenda opera diaboli, 1. *Joan.* 3. *v.* 8. & lumine Evangelicæ veritatis hominum mentes illustrante, necessum fuit, ut minueretur potentia & operatio diaboli principis tenebrarum, *ad Eph.* 6. *v.* 12. *Quid dæmon possit?*

§. 210. Præter Angelos qui peccarunt (§. 194.), alii dantur qui non peccarunt, dicti Angeli boni, *Matth.* 18. *Angeli boni*

Beatitudinem meruerunt. v. 10. adeoque in statu justitiæ perseverantes beatitudinem supernaturalem sibi meruerunt.

Quomodo meruerint? *Schol.* Theologi docent, Angelos bonos non meruisse beatitudinem per opera bona illam subsequentia, sive per obsequia prævisa in hominum ministeria ex obedientia ab Angelis exhibenda, uti docuit Magister sententiarum, quia Angelus in statu beatitudinis est comprehensor: ergo non meretur; nam meritum requirit viatorem. Nec meruerunt illam per actus tantum natura & causalitate priores, uti voluit S. Bonaventura, sed per actus etiam duratione præcedentes: quia meruerunt illam per actus regulatos cognitione obscura fidei, qua Deum ut Auctorem supernaturalem cognoverunt, qui actus sola prioritate naturæ beatitudinem supernaturalem præcedere non possunt, cum cognitio obscura fidei non possit simul stare cum visione beatifica. Unde via bonorum & malorum Angelorum triplici instanti completa fuit. In primo instanti Angeli creati sunt in gratia, operantes tam naturaliter quam supernaturaliter, ad quod Deus movebat, non tamen perfecte merebantur ex defectu libertatis quoad specificationem. In secundo instanti Angeli boni perfecte liberi in charitate manentes plene meruerunt, mali inordinato affectu peccaverunt. In tertio secuta est pœna malorum, & gloria bonorum Angelorum.

Angeli boni intuitive Deum vident. §. 211. Angeli boni gaudent cognitione intuitiva Dei, summa capiunt ex Deo voluptatem, & summo Deum amore prosequuntur. Nam *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Ergo cum Deus proprie faciem non habeant (§. 47.), & si faciem hominis videamus, non symbolica, sed intuitiva ejus cognitione fruamur, eo ipso Angelis intuitiva Dei cognitio, quæ visio beatifica dicitur, a Christo tribuitur. Deinde ex cognitione perfectionis oritur voluptas, quæ eo major est, quo major est perfectio cognita, vel quo certius est cognita. Cum igitur Angeli boni Deum intuitive cognoscant, adeoque perfectissime & certissime, summam ex Deo voluptatem percipiunt. Denique appetitus ad voluptatem ex perfectione entis capiendam, dicitur amor: ergo cum Angeli boni ex perfectionibus Dei summam voluptatem capiant, & perennem appetitum ad eam capiendam gerant, summo amore Deum prosequuntur.

Schol. Licet Angeli boni intuitive Deum cognoscant, non tamen omnia, quæ Deus scit aut vult, aut potest, cognoscunt, quia Deum non comprehendunt.

Non peccant, nec peccare possunt. §. 212. Angeli boni nec peccant, nec peccare possunt. Nam S. Scriptura promittit nobis vitam æternam cum Angelis, quæ consistit in pace, justitia & gaudio sancto, quæ omnia non stant cum peccato. Ratio est: Amoris

effectus est, ut amans voluntatem suam ad voluntatem ejus, quem amat, conformet. Quicumque ergo Deum ardentissime & semper amat, non potest non firmissimum & constans propositum habere, nihil contra voluntatem & legem Dei faciendi, hoc est non peccandi: sed Angeli hoc propositum habent (§. 211.). Ergo non peccant, nec stante hoc proposito peccare possunt.

Schol. Origines putavit, post certas annorum revolutiones futurum, ut Angeli boni peccarent, & ob peccatum in gehennam mitterentur; dæmones vero pœnitentiam agerent, & ad felicitatem pervenirent. Scotus vero putat, Angelum esse impeccabilem tantum ex dono & privilegio gratiæ, non vero ex statu suæ beatitudinis; quæ opiniones ex dictis refelluntur. Quippe omnis natura, quæ Deus non est, consequenter etiam Angelica de se est peccabilis; at ratione status suæ beatitudinis versatur omnis Angelus bonus in ejusmodi circumstantiis, in quibus peccare nequit: sunt enim in statu gloriæ æternum duraturo. *Origenis error.*

§. 213. 1. Angeli boni, quia Deum summo amore prosequuntur (§. 211.), agunt quæ Deus vult, & eidem placent. Hinc Deum laudant, & perfectiones illius celebrant, *Ps.* 102. *v.* 20. *Luc.* 2. *v.* 13. Ejusque jussa exequuntur, *Luc.* 1. *v.* 19. 26. 27. Christum adorant, *ad Hebr.* 1. *v.* 6. Eique servierunt tam in statu exinanitionis, *Matth.* 4. *v.* 11. quam exaltationis circa Resurrectionem, *Matth.* 28. *v.* 2. Ascensionem, *Act.* 1. *v.* 10. & servituri sunt in reditu ad judicium extremum, *Matth.* 25. *v.* 31. 1. *ad Thess.* 4. *v.* 16. ubi fragore tubarum nuntiabunt adventum ejus, latamque ab eo sententiam exequentur, *Matth.* 13. *v.* 41. *Deum laudant.*

2. Pariter cum Angeli, quæ Deus vult, eique placent, agant & velint, Deus autem omnium hominum salutem velit, 1. *ad Tim.* 2. *v.* 4. Angeli etiam delectantur Evangelio de Christo Redemptore, 1. *Petr.* 1. *v.* 12. ideoque in Nativitate Christi Deum laudabant, *Luc.* 2. *v.* 13. gaudent de pœnitentia & conversione peccatorum, *Luc.* 15. *v.* 7. & de sanctitate vitæ hominum: student promovere veram doctrinam & Religionem; unde annuntiarunt Christi Nativitatem, *Luc.* 1. *v.* 26. Resurrectionem, *Matth.* 28. *v.* 2. Et in contemptores Dei justam vindictam exercent, 2. *Reg.* 24. *v.* 1. 16. 2. *Machab.* 5. *v.* 25. *De pœnitentia peccatorum lætantur.*

§. 214. Homines viatores a SS. Angelis quoad corpus & animam custodiuntur. Ita docet S. Scriptura, *Ps.* 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Ps.* 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* Et *Matth.* 18. *v.* 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis* *Homines custodiunt.*

semper vident faciem Patris. Accedunt Patres. Origines *hom.* 8. *in Gen.* S. Basilius *hom.* 8. *in Is.* S. Augustinus *in Solil. c.* 17. ait: *Magna cura & sollicitudine adsunt nobis*. Scilicet hanc custodiam Deus vult, & hæc illi placet; consequenter Angeli eam libenter præstant (§. 213).

Singuli homines suum Angelum custodem habent. §. 215. Singulis hominibus singuli Angeli custodes boni sunt deputati. Innuit hoc *Primo* S. Scriptura in loco mox citato, *Matth.* 18. *v.* 10. ubi duo advertenda sunt: primo, non dicitur in singulari, *Angelus*, sed *Angeli*, ut ostendatur, non unum, sed plures pluribus præfici. Secundo, non dicitur simpliciter, *Angeli* sed *Angeli eorum*, hoc est Angeli velut proprii, & cuilibet adscripti. Unde *Act.* 12. de Angelo custode S. Petri dicitur: *Angelus ejus est*. *Secundo* ita docent PP. S. Hieronymus *in* 18. *Matth. Magna profecto dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum*. S. Gregorius Niss. *in vita Moysis*, ait, occultam esse traditionem, Angelum quemdam unicuique in adminiculum vitæ fuisse a Deo constitutum. Et Eusebius *l.* 13. *de præp. Evang. c.* 7. ait: *Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum, nos ex Scriptura didicimus*. Ergo singulis hominibus suus S. Angelus custos adest.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Protestantes docent, non singulis hominibus suum singularem adesse Angelum custodem. Verum notat D. Habert, licet non ita expresse habeatur in S. Scriptura, nec ab Ecclesia fuerit definitum, singulis hominibus singulos Angelos esse deputatos; nihilominus hæc sententia tam communi consensu Catholicorum recepta est, ut ab ea deflectere nullo modo liceat. Nec obstat I. quod illos effectus custodiæ Angelicæ *Ps.* 90. relatos, v. g. non offendere pedem ad lapidem, non omnes experiantur: nam ibi specialissima custodia Angelorum refertur, quæ commune clientum præsidium non tollit. II. *ad Hebr.* 1. *v.* 14. Angeli dicuntur *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Sed hoc non impedit, quominus etiam reprobis suus sit assignatus Angelus custos, cujus præcipuum officium est, eos ad salutem perducere, licet eam ex propria sua culpa non consequantur. III. Homines obdurati, *Jer.* 51. *v.* 9. non omnino deseruntur, licet perversa eorum voluntas eos specialiori cura Angelica indignos faciat. IV. Unus Angelus plurium quidem custodiæ, sed liberalissimæ Dei erga homines charitati non sufficit, qui singulis hominibus singulos Angelos deputare voluit.

An omnium Ordinum *Schol.* 2. Omnes Angeli cujuscumque Ordinis a Deo mittuntur. Sic unus e Seraphim ad Prophetam Isaiam missus fuit, *Is.* 6. S. Michael omnium Angelorum Prin-

ceps missus est, *Dan.* 10. Item singulis nationibus, regnis, Ecclesiis & civitatibus deputatus est Angelus. custos. Nam *Dan.* 10. custos regni Persarum restitit custodi Judæorum, quia necdum de voluntate Dei eis constitit; unde custos Judæorum quærebat promovere eorum liberationem, quam tamen custos Persarum, videns peregrinationem Judæorum Persis ad cultum veri Dei agnoscendum esse utilem, impedire conabatur. Hinc valde probabile est Pontifices, Reges aliasque personas publicas, præter Angelum ab ortu nativitatis sibi delegatum, habere alium Ordinis superioris ab eo tempore sibi datum, quo suscipiunt curam communitatis. Item Sacerdotem habere peculiarem Angelum, qui ei sacrificanti assistat, ejusque preces Deo offerat. Et Abulensis *in Matth.* 15. *q.* 60. B. Virgini duos Angelos tribuit, unum ut personæ privatæ, alterum ut Matri Dei. Porro idem Angelus unius hominis custodia functus, probabiliter deinde aliorum curam non suscipit, & quando homo ad terminum vitæ pervenit, juxta S. Thomam non habet Angelum custodem, sed in cœlo Angelum conregnantem, in inferno Angelum punientem, in Purgatorio consolantem.

Angeli à Deo mittantur?

Schol. 3. Ministeria Angelorum SS. custodum circa suos clientes sunt: 1. Avertunt ab iis corporis & animæ pericula; 2. Excitant animam ad operandum bonum, & fugiendum malum, illuminando mentem, suadendo voluntati. 3. Dæmones arcent, ne acrius tentent; 4. Orationes clientum Deo offerunt. 5. Ipsi orant pro clientibus. 6. Corrigunt & puniunt pœnis medicinalibus. 7. Suscipiunt animam e corpore egredientem & in cœlum vel Purgatorium deferunt. Igitur tamquam vere sancti merito a nobis honorantur, & solemni festo eorum memoriam celebrat Ecclesia, quæ optime docet, eos invocari posse, & fideles hortatur, ut ad impetranda a Deo varia auxilia ad suum Angelum tutelarem confugiant.

Ministeria SS. Angelorum custodum.

Schol. 4. Probabile est, universis etiam hominibus Angelum malum delegari: nam S. Paulus *ad Eph.* 6. monet, *esse nobis colluctationem adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Et ita docent *Liber Pastoris l.* 2. *mandato* 6. Origenes *hom.* 10. *in Lucam*. Tertullianus *l. de anima c.* 39. S. Greg. Niss. *l.* 1. *de vita Moysis*. Hæc autem delegatio non fit a Deo, sed a principe dæmoniorum, quia Deus bonus non potest nec per se, nec per alium ad peccatum inducere: *Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. Deinde ut Deus electorum suorum virtutem probet, aut reproborum patiatur interitum, sufficit, dæmoni ad nocendum hominibus satis proclivi per-

An Angelus malus singulis hominibus delegatus sit?

mittere illos aggredi, maxime cum *unusquisque tentetur a concupiscentia sua abstractus & illectus*. Hæc autem Dei permissio optimam servat œconomiam, & impedit, ne hostes pro libitu desæviant: Deus nimirum sinit homines tentari, ut humiliores fiant; si vero improbos etiam ad interitum impelli permittat, integerrimum est, rectissimumque ejus judicium.

CAPUT IV.

De Mundo visibili, Opere sex dierum, Creatione hominis, & ejus lapsu.

§. 216. Creaturas pure spirituales consideravimus; restat, ut materiales & corporeas, mundum scilicet hunc visibilem, cujus præcipua pars est homo, contemplemur.

Deus mundum ex nihilo creavit. §. 217. Deus mundum hunc ex nihilo creavit. Ita *Primo* testatur S. Scriptura, *Gen.* 1. *v.* 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram*. *Exod.* 20. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt*. Et in Symbolo Apostolorum: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*. Cui congruit Concilium Nicænum & Constantinopolitanum, & omnes Patres, ac Concilium Lateranense, *c. Firmiter, de summa Trin. Secundo* ratio est: Creatio est productio rei ex nihilo: sed mundus ex nihilo est productus: est enim ens finitum & limitatum, consequenter non est a se, & sic rationem existentiæ suæ habet in alio, & quidem a mundo hoc distincto, scilicet Deo, non vero aliqua præjacente materia, ne processus in infinitum detur. Ergo ex nihilo a Deo creatus est. Vide Tertulliani libr. *contra Hermogenem in mea Analys. PP. tom.* 3.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Vannius, Hobbesius, & Spinoza negant mundum hunc creatum esse. Nam I. vox ברא *Gen.* 1. non significat, *creavit*, sed *fecit*, quo modo etiam legunt veteres codices. Sed vox ברא nonnisi improprie pro ly *fecit*, usurpatur. II. *Sap.* 11. dicitur mundus creatus esse *ex invisa materia*. Sed hæc materia ex nihilo creata fuit. III. Ex nihilo nihil fit naturaliter, bene vero si vires spectemus Creatoris.

Deus intelligendo & volendo mundum creavit. *Schol.* 2. Sicuti Deus vi omnipotentiæ solo voluntatis suæ actu res extra se existentes reddere potest (§. 109.), ita in creatione rebus extra se, solo voluntatis jussu existentiam largitus est. Quemadmodum autem Deus creat actu voluntatis suæ, sic creat secundum ideas intellectus Divini, & per imperium intellectus; unde intellectus Divinus non minus, quam voluntas Divina ad opus crea-

tionis concurrit (§. 70. Schol. 2.). Proinde cum Deus creando res extra se existere faciat, quod est opus omnipotentiæ (§. 108.); creatio fit per omnipotentiæ Divinæ exercitium. Et quia omnipotentia est attributum soli Deo proprium, solus Deus hoc universum creavit; ita tamen ut toti SS. Trinitati creatio ex æquo competat, sed salvo Personarum in operando ordine, quo Pater per Filium in Spiritu S. operatur (§. 158. Schol. 2.). Hinc fit, ut S. Scriptura tam Deo sine respectu Personarum, quam cuilibet Personæ Divinæ seorsim creationem tribuat (§. 144. 147.). Tres tamen Divinæ Personæ non possunt dici causæ sociæ creationis: nam causæ sociæ sunt, quæ simul, quælibet vero vi a vi alterius numero diversa, effectum producunt: sed eadem Dei voluntas & intellectus & omnipotentia, per quam mundus creatus est, tribus Divinis Personis communis est (§. 169.), & quælibet Persona in creatione mundi non agit vi a vi alterius numero diversa. Ergo non sunt causæ sociæ.

Schol. 3. Docent Philosophi contra Suarez, nullam creaturam ut instrumentum creationis a Deo assumi posse, quia implicat influxum creatum esse creativum, cum influxus creativus totum ens faciat, & omnipotentiam supponit, quæ est attributum soli Deo proprium; unde sicuti implicat, creaturam aliquid creare posse, ita repugnat, ut ad creandum tanquam instrumentum proprium assumatur.

§. 218. Deus libere mundum creavit, *Ps.* 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra. Ps.* 93. *Deus ultionum libere egit*. Ratio jam data fuit alibi, scilicet §. 90. *Deus libere mundum creavit,*

§. 219. Deus mundum in tempore creavit, ita ut olim & ab æterno non extiterit. Nam *Gen.* 1. *v.* 1. dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Ubi per principium simpliciter positum, principium omnium rerum extra Deum existentium intelligitur; cum enim in Deo principium non detur (§. 45.), & tamen Moyses de principio loquatur, aliud principium intelligi non potest. Deinde antequam montes & terra & תבל orbis crearetur, Deus fuisse Deus dicitur a sæculo usque in sæculum, *Ps.* 89. *v.* 2. Ergo olim non fuit mundus, adeoque in tempore creatus est. Eodem modo mundo tribuitur initium, *Matth.* 13. *v.* 35. *Joan.* 17. *v.* 5. *ad Hebr.* 9. *v.* 26. *Apoc.* 13. *v.* 8. Item Deus dicitur dilexisse Christum, antequam mundus fieret, *Joan.* 17. *v.* 24. elegisse fideles ad sanctitatem, *ad Eph.* 1. *v.* 4. Quæ omnia de toto universo intelligenda sunt, cum nulla adsit restrictionis ratio. Deinde Moyses, aliique sacri Scriptores Chronologiam mundi ab initio usque ad sua tempora texunt, nec aliæ *Et in tempore.*

historiæ aliquid de prioribus sæculis Adamo proferunt, quod fide dignum sit. Ergo creatio mundi in tempore facta fuit.

An ab æterno creare potuerit?

Schol. Quærunt Scholæ, an Deus mundum ab æterno creare potuerit. Responderi potest: Mundus præsens ab æterno non potuit creari: nam cum mundus præsens a Deo in tempore creatus sit, non aliter autem a Deo fieri potuerit, quam ejus essentiæ convenit, essentia ejus initium existendi involvit. Quod si igitur Deus præsentem mundum voluit creare, non potuit creare nisi in tempore: nam mundum, cujus essentia initium existendi involvit, creare sine initio existendi, hoc est ab æterno, est repugnans, adeoque nec objectum Divinæ omnipotentiæ. Scilicet, si Deus mundum creasset ab æterno, non esset præsens, qui in tempore factus est, & hinc fieri non potuit, ut mundus præsens ab æterno crearetur. Verum altera quæstio inde emergit, scilicet: An Deus alium quemdam mundum ab æterno creare potuerit: sive an talis mundus, qui nullum habet existendi principium, sit possibilis. Negamus, & præter alias rationes a Philosophis expositas, sequentem damus. Si mundus aliquis ab æterno sine initio existentiæ suæ esse posset, temporis cursus æternus velut linea concipi posset ad nostra usque tempora producta, cui tot puncta in fine addi possent, quot puncta temporis fluunt, quæque a parte ante infinita foret. Hoc modo linea hæc semper magis prolongaretur. Sed si ponamus eam a parte ante infinitam esse, sequeretur, eam nunquam decurtandam esse, nec minorem & breviorem fieri posse, quanta & quotcumque demum puncta vel partes a parte post ab ea demerentur, cum semper infinita maneret, quod tamen implicat. Ergo creatura æterna dari non potest. Porro sive creaturam ab æterno possibilem admittamus, sive non; salvum semper manet argumentum pro Divinitate Filii seu Verbi Divini ab ejus æternitate deductum, & ab Apostolo *ad Hebr.* 1. *v.* 4. 8. propositum. Nam Apostolus non loquitur ibi de æternitate simpliciter tantum, sed Filio fixam æternitatem, id est talem, quæ sine omni successione & variatione statuum est, tribuit, *v.* 11. 12. At vero licet Deus mundum ab æterno creasset, non tamen æternitas fixa, sed successiva & participata, continuis in illo rerum successionibus evenientibus, illi tribuenda foret.

Historia Creationis ex l. 2. Moysis peti debet.

§. 220. Historia Creationis mundi ex Moyse petenda est. Moysen omnes reliquos historicos antecessisse probant Clemens Alexandrinus *l.* 1. *strom.* S. Cyrillus *adv. Julian.* & Huetius in *demonstr. Evang. prop.* 4. Testantur hoc Theodorus, Eupolemus, Artabanus, & ipse

Apion Grammaticus *l. 4. hist.* Sane omnes, quos novimus, historici Moysen longo postea tempore fuerunt subsecuti. Herodotus vixit sub Xerse anno 1. Olympiadis 72. Hunc secutus est Thucydides tempore belli Peloponnesiaci: Xenophon Olympiade 94. floruit: Berosus Ægyptiorum historicus antiquissimus biennio ante obitum Alexandri natus libros suos Antiocho Deo obtulit, uti probat Vossius *l. 1. de hist. Græc. c.* 13. Manethos Sebanita sub Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum tempora digessit usque ad Darium Codomannum, ex quo primum Julius Africanus, deinde Eusebius suas Dynastias exscripserunt. Horum Ægyptiorum scripta ab Annio Viterbiensi edita, spuria esse consentiunt eruditi. Theodotus, qui res Phœnicum scripsit, incertæ est ætatis; in suis tamen libris Judæorum meminit, teste Josepho *l. 1. cont. Apion.* Deinde etiam Poetæ non sunt Moyse antiquiores. Homerum ante primam Olympiadem 150. annis vixisse scribit Suidas ex Porphyrio: Orpheus Linum paullo antecessit, Linus Herculem: Hercules juxta Tatianum unius hominis ætate bellum Trojanum antevertit; cæteri sunt juniores; nullus ante Moysen historias edidit. *Secundo* demonstrat Huetius *l. de demonst. Evang.* omnem priscorum doctrinam ex Moyse promanasse. Sanchoniaton de rerum principiis & mundi origine ex Thaauto, id est Moyse, narrationem suam hausit. Homerus multa ex Moyse deprompsit: Pythagoricorum, Platonicorum & reliquæ Philosophorum sectæ ex Judæorum, cum quibus illi Philosophi conferebant, doctrina manarunt. Vide S. Justini *cohort. ad gent.* Tatian. *contra Græc.* &c. in mea *Analys. PP. Tertio* veritatem historiæ Mosaicæ probat styli simplicitas, gravitas, & primigeniæ linguæ phrasis; Scriptoris humilitas, qui genus suum, bona & mala sibi, familiæ, & genti suæ obvenientia, virtutes & vitia sine fuco recenset. Complectitur ejus historia res majorum suorum traditione acceptas & confirmatas; multa peracta coram ingenti multitudine, coram Pharaone & Optimatibus Ægypti; tradit cultum Religionis castissimum. Unde expensis etiam notis criticis, omnem falsi suspicionem historia Moysis effugit.

Schol. Bolingbroke veritatem narrationis Mosaicæ sequentibus argumentis evertere contendit. I. Quia Moyses eorum, quæ de temporibus ante se acciderunt, nec testis oculatus, nec coævus fuit. Verum illa ex fontibus intemeratæ traditionis haurire optime potuit. II. Narrata a Moyse, per testes extraneos & alios historicos Moysi coævos non confirmantur. Sed præterquam quod hoc testimonium non sit necessarium, nullum Scriptorem *Solvuntur objectiones.*

Moysi vel antiquiorem, vel coævum novimus. III. Historia Moysis sibi ipsi contradicit, tum quando dicit, unitatem Dei ab Adamo semper creditam fuisse, & tamen tempore Sarug vel Thare Polytheismum invectum esse: tum quia Israelitæ in Ægypto numerosissimi se ab Ægyptiis opprimi passi non fuissent. Verum nulla est contradictio, quod fides in unum Deum apud multos quidem perseveraverit, licet apud alios Polytheismus invaluerit: & quod Israelitæ dura servitute in Ægypto oppressi contra armatos Ægyptios prævalere non potuerint. Vid. Leland *de scriptis Deisticis*. Et Auctorem *Veritat. in lucem prolat.*

Ante hunc mundum nec alii mundi fuerunt, nec modo sunt.

§. 221. Historia creationis Mosaica primum totius universi initium exponit, & nec alii mundi extiterunt aut extant, nec aliquæ mundi partes ante creatam hanc terram fuerunt. Nam *Marci* 10. *v.* 6. dicitur Deus *ab initio* creasse masculum & fœminam. *Luc.* 11. *v.* 50. dicitur sanguis omnium Prophetarum, qui *ab initio mundi* (id est a sanguine Abel, *Matth.* 23. *v.* 15.) effusus est, poscendus a Judæis. Et *Act.* 17. dicitur Deus *ex uno fecisse omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. In his omnibus locis dicitur mundus a Deo creatus, & quidem in singulari. Ergo Moyses de creatione totius universi, non de sola terra loquitur, & nullus alius, præter hunc, mundus datur.

Schol. Anaximander, Democritus, Ophei &c. infinitos mundos extare putarunt: quia ante conditum hunc mundum infinita fluxerunt durationis spatia, in quibus Deum otiosum mansisse credibile non est. Verum cum Deus operando ad intra se intelligat & amet semper, otiosus dici nequit.

Partes mundi successive creatæ sunt.

§. 222. Partes mundi non unico momento seu simul tempore, sed successive sex dierum naturalium spatio a Deo productæ fuerunt. Nam verba S. Scripturæ debent sumi juxta primariam suam significationem, quamdiu non sequitur inevitabile absurdum. Sed ex propria vocum acceptione S. Scripturæ, quibus indicantur vespere & mane dies primus, secundus, tertius &c. nil absurdi sequitur, & ad metaphoram sine sufficienti ratione illa traducuntur. Ergo in proprio sensu de diebus naturalibus accipienda sunt. Deinde *Exod.* 20. ait Deus: *Sex diebus operaberis; sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram.* Hic in priori propositione sermo est de diebus naturalibus; ergo etiam in posteriori.

Sententia S. Augustini de diebus

Schol. 1. S. Augustinus *de Gen. ad litt.* docet, simul omnia a Deo producta fuisse, non successive sex dierum naturalium spatio. Quare per dies, quorum meminit S. Scriptura, non intelligit dies naturales, sed

Angelicos & intelligibiles, qui distinguuntur non ex parte cognitionum, sed rerum cognitarum; ita ut primum opus Dei ut cognitum ab Angelo sit primus dies: secundum, secundus dies &c. Et quia in Angelo est duplex cognitio, vespertina, qua utpote obscuriori cognoscit Angelus res in seipsis; & matutina & clara, qua cognoscit res in Deo; ideo dies Angelicus componitur ex vespere & mane, & ideo dicitur: *Factum est vespere & mane dies unus*. Hæc sententia salva fide a multis Catholicis adhuc defenditur ex his rationibus. I. Quia *Gen.* 2. *v.* 4. Deus dicitur fecisse cœlum & terram in die ביום non vero in diebus. Verum יום non semper unicum diem significat, sed sæpe tempus plurium dierum, hebdomadum & mensium, uti *Jer.* 31. *v.* 32. ubi Deus fœdus cum Israelitis pepigisse dicitur in die eductionis eorum de Ægypto, quod tamen modo post aliquot menses factum fuit, *Exod.* 12. Hoc loco autem יום de spatio plurium dierum intelligendum esse, patet ex *Gen.* 1. & *Exod.* 20. II. *Is.* 48. *v.* 13. dicitur: *Deus fecit omnia simul* יחדו, sed יחד non semper temporis simultaneitatem, sed subjectorum paritatem significat, uti *Ps.* 32. *v.* 15. *Is.* 40. *v.* 5. unde sensus est, Deum omnia simul, sed non simul produxisse: vel si de tempore simultaneo sumere velis, Deum non interrupta creationis serie, licet non eodem momento, omnia creasse. Eodem modo explicatur locus *Eccli.* 18. *v.* 1. Nec est III. cur putes, per creationem omnium instantaneam majorem potentiam Dei ostendi. Nam cum potentia sit facultas possibilibus conferendi existentiam, (§. 108.), gradus potentiæ non ex tempore, sed ex copia rerum productarum æstimandus est. Unde si Deus in instanti mundum & omnes creaturas produxisset, quas sex diebus produxit, hoc tamen majorem potentiam præcise non ostenderet. Potuisset quidem in instanti omnia producere, sed maluit sex dies impendere, tum ut constaret, mundum ab æterno non extitisse; tum ut attentius opera Dei meditemur; tum ut statum mundi triplicem, creationis ex nihilo, distinctionis, & exornationis consideremus; tum ut sex dies labori, septimum Divino cultui impendamus.

Angelicis.

Schol. 2. Quæritur, quo anni tempore mundus creatus fuerit. Petavius &c. autumnum assignat, in quo Judæi, annum civilem incipiunt. Antiqui Patres verno tempore, die Dominica, 25. Martii, in puncto mediæ noctis, & consequentibus diebus mundum creatum esse docent.

Quo anni tempore & die mundus creatus sit?

§. 223. Ordo Creationis ex lib. *Genesis* est. Primo die *creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi,*

Opera primi diei.

& Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque est vespere & mane dies unus, Gen. 1. v. 1. 5.

Schol. Varia hic disputant Interpretes, & plerumque pro suis quique systematibus Philosophicis. Nomine cœli & terræ intelligunt nonnulli tum mobiliorem materiam usque ad superiores mundi limites protensam, tum partium crassiorum conglomerationem, sive liquidarum sive solidarum inter se confusionem; unde *Chaos* dicuntur. Alii intelligunt materiam, seu entia simplicia, vel elementa, vel particulas subtilissimas, ex quibus cœlum & terra fieri debebant. Cum vero materia seu elementa universi in principio producerentur, elementa singulorum mundi corporum erant adhuc inter se permixta & confusa informem molem constituentia; & hinc terra dicitur inanis & vacua, & materia universi non absimilis pelago in subtilissimas particulas divisa *abyssus* dicitur, vel etiam aquarum copia hoc nomine denotatur. Lux autem primo die creata, vel fuit nubes lucida, vel potius materia ignea ab opaca separata. Eodem die cœlum empyreum & Angeli creati fuerunt. Spatium illud temporis, quod Moyses vocat diem, æquale fuit ratione durationis, tempori, quod sol motu suo circa terram impenderet.

Secundi diei. §. 224. Secundo die dixit Deus: *Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus Firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub Firmamento ab his, quæ erant super Firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus Firmamentum, cœlum; & factum est vespere & mane dies secundus*. Gen. 1. v. 6. 8.

Schol. Cum Deus particulas materiæ in motum ageret, ut homogeneæ coirent, & heterogeneæ segregarentur, æther per vastissimum mundi spatium ubique mansit expansus, sicuti eum hodie per universum expansum esse docent recentiores Philosophi, qui proinde juxta illos nomine firmamenti רקיע intelligitur, tum quia dicitur cœlum, & nos hodie illud expansum cœlum sydereum vocamus; tum quia luminaria magna a Deo in firmamento posita, *Gen.* 1. *v.* 14. in æthere expanso juxta Philosophos moventur. Per aquas superiores supra firmamentum nonnulli nubes, alii materiam lutosam ex terreis & magna copia aquearum particularum mixtam, pro materia planetarum intelligunt.

Tertii diei. §. 225. Tertio die dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum: & appareat ari-*

da. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius. Gen. 1. v. 9. 13.

Schol. Tertio die etiam montes, & metalla producta *Paradisi* fuerunt. Quia vero productio herbarum, fruticum, & *locus.* arborum pertinet ad opera tertii diei, ad ea etiam referenda est plantatio Paradisi, qui, contra quam male docuit Origenes, fuit locus visibilis, & corporeus, & non pure metaphorice sic dictus: fuit quippe locus amœnissimus, arboribus frugiferis exornatus, uti ex verbo עדן a radice עדן *delectavit* demonstratur. Ubinam vero situs fuerit, innuit Moyses, *Gen.* 2, v. 8. 14. ex plaga, versus orientem eum fuisse dicens, plagam scilicet orientalem respectu ejus loci, ubi Moyses scripsit, scilicet Ægypti seu Arabiæ. Ex fluviis vero a Moyse denominatis non possumus esse de loco Paradisi certi, cum non sit dubium, quin per maximam diluvii inundationem loca marium, fluviorum & stagnorum maximas mutationes passa sint. Nonnulli eum probabiliter in Mesopotamia ponunt propter conjunctionem Eden & Haran, *Ezech.* 27. v. 23. An adhuc extet, omnino incertum est. Vid. Huetium *de situ Paradisi*.

§. 226. Quarto die dixit Deus: *Fiant luminaria in* *Quarti* *firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint* *diei.* *in signa, & tempora, & dies & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus.* Gen. 1. v. 14. 19.

Schol. 1. Per duo luminaria intelliguntur sol & luna; nomine stellarum, etiam Planetæ intelliguntur. *Primus* finis creationis syderum est, ut dividant diem & noctem, scilicet artificialem diem, quem sol per moram suam supra horizontem, sicuti noctem per occultationem infra horizontem facit. *Secundus*, ut faciant tempora & tempestates, veris, æstatis, autumni & hiemis ob motum

solis annuum. *Tertius*, ut sint signa harum tempestatum, quod etiam stellis fixis competit, ex quarum ortu & occasu cum solis ortu & occasu judicare licet de instantibus varietatibus tempestatum constantium: sicuti etiam nautæ & agricolæ ad hæc solent respicere. *Quartus* est, ut faciant dies & annos motu solis per eclipticam. *Quintus* est, ut illuminent terram in se opacam & tenebricosam; omnes enim stellæ lumen in terram fundunt, licet non omnes proprium, sed sol & stellæ fixæ proprium, Planetæ alienum a sole acceptum. *Sextus* est, ut sol terram calefaciat, ne homines & bruta frigore languescant, & terra fructus suos progerminet. *Septimus*, ut Planetæ influxibus suis terram fœcundent.

An dentur Lunicolæ? *Schol.* 2. In Luna & cæteris Planetis degere homines, licet terricolis non omnino similes, putat Canzius in *Civ. Dei*, *Sect.* 2. & Carpovius in *Theol. revel.* tum quia ita magis amplificatur gloria Dei; tum quia Planetæ possunt habitari. Verum nullibi legimus, Planetas hominum habitationi esse destinatos: & *Act.* 12. dicitur: *Fecit Deus ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Ergo extra hanc terram aliud hominum genus non datur.

Quinti diei. §. 227. Quinto die dixit Deus: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus. Gen.* 1. *v.* 20. 23.

Sexti diei. §. 228. 1. Sexto die dixit Deus: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus, quod esset bonum. Gen.* 1. *v.* 24. 25.

2. Eodem die *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum; masculum & fœminam creavit eos*. *v.* 27.

Quid sit vita hominis? *Schol.* Hominem esse substantiam ex anima rationali & corpore constantem, notissimum est. Videamus igitur, in quo vita corporis, animæ, & hominis consistat. 1. Corpus nostrum dicitur vivere, quamdiu vis ejus activa ita determinata est, ut ad membra movenda aptum sit. Pereunte hac aptitudine, corpus nostrum dicitur mori. Et quia, sicuti ex œconomia animali constat, circu-

lus sanguinis in corpore nostro principium est omnium reliquorum ejus motuum; ideo corporis vita in sanguine esse dicitur, *Lev.* 17. *v.* 11. 2. Vita vero animæ, utpote spiritus, adeoque entis intellectu & voluntate prædicti, in vi cogitandi & appetendi posita est: dico in vi cogitandi: cogitationes enim transitoriæ sunt, vis vero cogitandi perdurat, sicuti etiam vita animæ perseverat. 3. Vita hominis, vel totius suppositi ex anima & corpore conflati, consistit in vi harmonica animæ & corporis, ita ut quando motus fit in corpore, similis mutatio in anima contingat. Quod quomodo fiat, an per influxum physicum, an per causas occasionales, seu a Deo, an per harmoniam præstabilitam, Philosophis discutiendum relinquimus. Ex his porro intelligi potest, quo sensu totus homo mori dicatur, licet non totum hominis. Scilicet totus homo moritur, dum cessat harmonia actionum corporis & animæ: non vero moritur totum hominis, quia anima post mortem corporis vivens permanet.

§. 229. 1. Anima hominis rationalis ex essentia Dei facta non est. Nam nulla creatura pro particula essentiæ Divinæ habenda est. Sed anima hominis est creatura (§. 228.). Ergo non est particula essentiæ Divinæ. *Anima rationalis non est particula Dei.*

Schol. Plato & alii Philosophi dicti Emanatiani volunt, animas a Deo effluxisse, & esse particulas Divinæ substantiæ. Nam I. *Act.* 17. *v.* 28. dicimur esse *genus Dei*. Sed non ob emanationem ab essentia Divina, sed propter factam ad illam tamquam causam exemplarem productionem, vel quia in Deo vivimus, movemur, & sumus. II. Deus animam creavit *inspirando in faciem* Adæ *spiraculum vitæ*. Verum per hunc halitum tropice omnipotens Dei operatio designatur, per quam Adami anima creata fuit. *Solvuntur objectiones.*

§. 230. Animæ rationales non migrant de uno corpore in aliud. Hinc *Eccl.* 12. *v.* 7. dicitur: *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* S. Irenæus *l.* 2. *c.* 33. hoc probat ex eo, quia si anima ab uno corpore in aliud transiret, reminisceretur eorum, quæ in priori corpore gessit, quod tamen est contra experientiam: dicere enim, quod statim omnium obliviscatur, omni fundamento caret. Certe si anima in pœnam suorum scelerum commissorum in corpus bruti migraret, eorum recordaretur, propter quæ puniretur; ait Tertullianus *l. de anima c.* 33. *Animæ rationales non migrant de uno corpore in aliud.*

Schol. Pythagoras docuit, certum numerum animarum ab initio mundi conditum esse, quæ ex homine in hominem, & pro vitæ merito vel demerito etiam in bruta & plantas transmigrarent; unde ejus sequaces dicti sunt Metempsychositæ.

Non propagantur ex semine. §. 231. Animæ rationales non propagantur ex semine vel traduce. Solet hoc a nonnullis probari variis S. Scripturæ testimoniis, a quibus tamen abstinemus, quia S. Augustinus scribens ad S. Hieronymum ostendit, illa non esse omnino invicta. Unde probatur ex Traditione. Sic S. Hieronymus totus est, ut nostram doctrinam confirmet in *ep. ad S. Augustinum contra Ruffinum*. S. Hilarius *l.* 10. *de Trin.* ait, *animam esse ex Deo*, carnem vero ex carne. S. Ambrosius *l. de Noe*, ait, non posse hominem animam generare. S. Augustinus licet de animarum propagine dubitaverit, constanter tamen docuit, animam rationalem non fieri ex semine. Ratio est: Anima rationalis est spiritualis, adeoque ens simplex, quod generari & ex semine propagari nequit (§. 47.).

Schol. Antonius Roecus animam humanam & corpoream materiali semine propagari contendit. Alii vero Traduciani vel ex anima Patris aut Matris vel utriusque, animam infantis propagari contendunt. Ad hos accedere videtur Wolffius, qui docet, in animalis maturi semine dari animalcula spermatica animabus fœcundata, quæ in gradu infimo perceptionum subsistunt, donec organa animalis melius elaborentur. Videtur quidem Traducianis favere S. Scriptura, ubi *Gen.* 12. *v.* 5. dicitur: *Animæ, quas fecerat Abram in Haram*. Et *c.* 46. *v.* 26. dicuntur *animæ egressæ de femore Jacob*. Verum ibi anima per Synecdochen pro toto composito humano sumitur.

Non sunt creatæ extra corpora. §. 232. Animæ rationales non sunt creatæ extra corpora, & in illa ob patratum crimen detrusæ. Nam *ad Rom.* 9. de Jacob & Esau dicitur: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent*. Ergo ante hominis nativitatem animæ non peccaverunt. Unde S. Scriptura hominibus tantum exprobrat peccata præsentis vitæ. Ergo ante alia vita non fuit. Certe si animæ antequam corpori unirentur, peccassent, status innocentiæ non extitisset.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Origenes & Priscillianistæ, animas ab initio mundi conditas esse, & deinde in corporeum carcerem ob patratum crimen detrusas fuisse putant: I. Quia *Sap.* 18. *v.* 19. Salomon dicit, quod *sortitus sit animam bonam, & venerit ad corpus coinquinatum:* ergo anima ejus ante corpus extitit. Verum planus est sensus Salomonis, scilicet, quod puer fuerit optimæ indolis, & in mortali corpore dono Divinæ Gratiæ caste vixerit. II. S. Augustinus *l.* 7. *de Gen. ad litt. c.* 24. docet, animam ita conditam fuisse, sicuti primitus conditus est dies, & creatam latuisse in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, id est inspirando, formato ex limo corpori insereret. Hanc sententiam S. Augustinus arbitrio lectorum quidem relinquit, sed Nb. si nulla Scri-

plurarum auctoritas seu veritatis ratio contradicat: eam tamen S. D. non amplectitur, sed *l.* 12. *de Civ. c.* 23. docet, Deum animam sufflando indidisse, sive potius sufflando fecisse.

§. 233. Anima rationalis a Deo creatur, quando ab eo corpori organizato infunditur. Sic *Eccl.* 12. *v.* 7. Deus dicitur nobis dedisse spiritum, seu animam. Sed non dedit antequam corpori infunderetur (§. 232.), nec anima propagatur per traducem (§. 231.), nec migrat de uno corpore in aliud (§. 230.). Ergo a Deo creatur, quando corpori organzato infunditur. Ratio est: Anima rationalis ex mox dicendis est spiritus, adeoque ens simplex. Sed ens simplex nonnisi per creationem oriri potest. Ergo a Deo creatur. *Anima rationalis a Deo creatur.*

§. 234. Anima hominis est spiritualis. Hinc 1. *c. Eccl.* dicitur *Spiritus*, & 1. *ad Cor.* 2. *v.* 11. *Quis... hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Hic Spiritus Dei sumitur proprie pro substantia simplici, intellectu & voluntate prædita. Ergo etiam spiritus hominis. Bene igitur definivit Concilium Lateranense, Deum utramque condidisse creaturam, *spiritualem & corporalem, ac deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constantem.* Et SS. PP. toti sunt, ut probent contra Paganos & Epicureos, animam hominis esse proprie dictum spiritum. Ratio est: Anima humana intelligit, & vult, teste experientia. Sed hoc materiæ competere nequit; non enim singulæ materiæ partes vi distincte cogitandi gaudere possunt, quia alias tot forent in materia cogitationes, quot sunt ejus partes, cum cogitatio unius partis extra cogitationem alterius foret posita, quæ sane in unam & eamdem cogitationem coalescere non possent, eo ipso quod cogitatio unius partis non possit fieri cogitatio alterius. Deinde si singulæ partes materiæ non cogitant, nec tota materia cogitabit. Denique ex certo situ & textura partium cogitatio oriri nequit; alias enim in omni nova cogitatione hæc textura varianda foret. Nec juvat dicere, situm partium materiæ talem esse, ut adinstar speculi objecta a se distincta repræsentet: nam ad cogitationem sola repræsentatio non sufficit, sed ulterius requiritur, ut homo hujus repræsentationis sibi sit conscius, ut eam reproducere, judicare & ratiocinari valeat, quæ huic speculo fictitio convenire non possunt; alias enim in uno eodemque cogitandi actu duplex & plane diversa partium structuram simul concurrere deberet, una pro ipsa repræsentatione, altera pro hujus repræsentationis conscientia habenda; quod repugnat. *Est spiritualis.*

Solvuntur objectiones. *Schol.* Democritus, Zeno & Epicurus animam rationalem docuerunt esse quiddam ignitum ex levibus rotundisque corpusculis compositum. Heraclitus vult, esse vaporem mobilem, Diogenes aereum, Empedocles substantiam ex singulis elementis compositam. Veteres etiam nonnulli Patres cum Tertulliano animam humanam corpoream esse, subtilis tamen & aereæ materiæ, putarunt. Et Cowardus Angelus Materialistarum coryphæus docuit, animam esse meram concinnam corporis, speciatim vero cerebri dispositionem, motusque in cerebro agiles, esse cogitationes. Nam I. anima in suis operationibus dependet a corpore: ergo erit corporea. Verum absolute anima ab organis corporeis non dependet; sed tantum pro statu præsentis vitæ, siquidem etiam separata a corpore existere & operari possit. II. Anima etiam in suis operationibus defatigatur, v. g. in intelligendo, uti patet in studentibus: ergo a corpore pendet. Ast anima non defatigatur, sed tantum fluido nerveo exhausto corporis vires deficiunt.

Est immortalis. §. 255. Anima hominis est immortalis, & nunquam a Deo annihilatur. Nam corpore licet vi externa perempto, animam tamen superstitem fore Christus docet, *Matth.* 10. *v.* 28. Et ita definit Concilium Lateranense. Ratio est: Anima utpote simplex nonnisi per annihilationem perire potest (§. 47.). Sed Deus animam non annihilat, quia conservando eam in æternum gloriam suam mundo manifestare vult (§. 105.). Ergo anima rationalis post mortem corporis perdurat: suas post mortem perceptiones continuat, quia essentiam suam in vi percipiendi consistentem, & remoto omni impedimento in actum exeuntem retinet: in statu distinctarum perceptionum versatur, utpote sensibus, confusionis perceptionum causis, non amplius alligata: sui sibi conscia est; seque eamdem esse cognoscit, quæ in vita mortali fuerat: status præteriti memoriam conservat: ab aliis rebus se discernit; uti patet ex historia Epulonis, *Luc.* 16. *v.* 22. & consequenter est immortalis.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Materialistæ immortalitatem animæ negant: I. Quia *Eccl.* 3. *v.* 18. dicitur: *Unus interitus est hominis & jumentorum... Sicut moritur homo, sic illa moriuntur.* Sed hæc ratione corporis, non vero ratione animæ dicta sunt. II. Anima cum corpore simul oritur, sensim adolescit, languente corpore languet, vigente viget: ergo etiam eo moriente moritur. Ast anima nec languet, nec ægritudine premitur, sed corpus; ita tamen ut corpore afflicto, ob unionem animæ cum corpore & harmonicum consensum anima easdem afflictiones patiatur.

§. 236. Duæ igitur tantum sunt partes hominis essentiales, corpus videlicet & anima rationalis. Quippe S. Scriptura dum primi hominis ortus (§. 228.), & interitus ejus, *Eccl.* 12. *v.* 7. meminit, duas tantum ejus partes essentiales animam & corpus commemorat, & omnes ejus operationes per duas has partes essentiales explicari possunt. Ergo non est ratio, cur plures partes essentiales illi tribuamus. *Homo constat corpore & anima.*

Schol. 1. Fanatici tres homini partes essentiales tribuunt, corpus animale, animam, quæ circa artes, scientias, & alia naturalia hujus vitæ versatur, & spiritum, cujus objectum est Deus, res Divinæ & spirituales. Nam I. *Luc.* 1. *v.* 46. anima a spiritu distinguitur: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Verum a verbis diversis ad res diversas consequentia non semper in S. Scriptura valet; imo quia in loco citato & anima & spiritus Deum laudare dicitur, anima & spiritus pro eadem re sumuntur. II. 1. *ad Thess.* 5. *v.* 23. Apostolus spiritus animæ & corporis mentionem facit. Sed spiritus hic dona spiritualia denotat, uti *v.* 19. *Solvuntur objectiones.*

Schol. 2. Idealistæ hominem sola anima constare, corpora vero mera esse phantasmata docent. Verum cum experientia doceat, nos habere ideam substantiæ cujusdam extensæ, quæ est corpus, corpus etiam existere debet: nam idea substantiæ extensæ, quam habemus, nobis illam potius, quam aliud quid repræsentat; hinc proprietatem hanc ab aliqua causa recepit, ne quid sit sine ratione sufficiente. Jam vero hæc causa exemplaris, sive objectum juxta Idealistas non sumus nos ipsi, quippe qui juxta illos solo spiritu constamus, adeoque objectum ideæ substantiam extensam repræsentantis esse non possumus; unde & ipse Deus utpote etiam inextensus causa exemplaris hujus ideæ esse nequit. Igitur substantia extensa re ipsa existens, causa seu objectum hujus ideæ esse debet; nihilum enim eam causare nequit. Nec juvat dicere, ideam illam esse mere fictitiam, qualis est idea montis aurei: nam idea corporis non dependet a nostra voluntate; nobis enim etiam nolentibus excitari potest: cum e contra idea montis aurei solum fiat ab intellectu fingente, & objectum ejus, scilicet mons & aurum re ipsa, licet separatim, existant, & sola combinatio a mente fingatur. *Idealistæ refutantur.*

§. 237. Ne socia homini deesset, cujus auxilio tum in aliis negotiis, tum in prolis generatione uteretur, Deus altum soporem viro immisit, & ex dormientis costa fœminam illi formavit, *Gen.* 2. *v.* 21. 22. *Creatio Evæ.*

Schol. 1. Cajetanus narrationem de ædificatione mulie-

ris ex una costarum viri putavit esse allegoricam, & non veram historiam, sed parabolam: quia alias sequeretur, Adamum aut fuisse monstrum antequam Eva formata fuit, ob costam superfluam: aut ea sublata, fuisse mutilum & imperfectum. Verum costa illa non fuit superflua, cum etiam nunc costæ impares in homine reperiantur a vertebris spinæ pertingentes ad sternum, & ad xyphoidem terminatæ, quarum unam pro formanda muliere Deus assumpsit, & ne Adam mutilus remaneret, carnem pro ea replevit.

An fœmina sit verus homo? *Schol.* 2. Nonnulli, nescio utrum serio, an per jocum, fœminas homines esse negaverunt. Verum cum Eva recens creata actus intellectus & voluntatis liberæ elicuerit, *Gen.* 3. *v.* 1. 6. Deus illi animam rationalem largitus est; & corpus ejus ex costa viri formavit, quæ cum sint partes hominis essentiales, eam Deus verum hominem creavit. Hinc Salvator noster ex muliere natus, *ad Gal.* 4. *v.* 4. sæpissime in S. Scriptura Filius hominis dicitur, *Luc.* 22. *v.* 69.

Quandonam Eva creata sit? §. 238. Creavit igitur Deus 1. fœminam post virum (§. 237.). 2. Intra hexameron sexto die, *Gen.* 1. *v.* 27. 31. licet ejus creatio describatur *Gen.* 2. ubi etiam creatio viri describitur, qui tamen sexto die factus fuit (§. 228.). 3. In Paradiso: nam Adam antequam obdormisceret, a Deo in Paradisum introductus fuit, *Gen.* 2. *v.* 15. Cum igitur fœmina facta sit ex costa viri jam ante existentis, & vir extra, fœmina intra paradisum sit creata: Adami corpus non fuit androgynum, nec fœminæ corpus scapulis viri adhærens factum, & commisso peccato inde abscissum fuit.

An corpus Adami androgynum fuerit? *Schol.* Rabbini nonnulli volunt, mulierem simul cum viro productam fuisse membris omnibus perfectam, & latere lateri media una costa conjuncto, a quo deinde separata fuit. Nam I. *Gen.* 1. *v.* 22. dicitur, *masculum & fœminam creavit eos.* Verum bene dicitur אתם *eos*, & non, *eum*, ut Rabbinorum fabula eludatur. II. *Matth.* 19. *v.* 5. dicuntur Adam & Eva *duo in carne una:* at non physica corporum agglutinatione; sed unione solum morali.

Cur Eva creata sit? §. 239. Fœmina creata est, ut viro sit adjumento, adeoque propter virum creata est, 1. *ad Cor.* 11. *v.* 9. & consequenter in se dignitate viro est inferior. Et hinc si in societate conjugali ab utraque parte æquales rationes militent, uxor marito obedire debet.

Prohibitio arboris cognitionis boni & mali. §. 240. Ut autem sanitas corporis viri & uxoris ejus conservaretur, Deus illis herbas, olera & fructus arborum in cibum concessit, *Gen.* 1. *v.* 29. & *c.* 2. *v.* 16. una arbore cognitionis boni & mali excepta, *Gen.* 2. *v.* 17.

Et benedictionem, ut multiplicaretur genus humanum, impertitus est, *Gen.* 1. *v.* 28.

Schol. Adami corpus neque infantuli ætate, neque statura gigantea productum fuit: nam ex mandato Dei de generis multiplicatione Adamo & Evæ dato, hos non ut infantes, sed in forma adulta a Deo creatos esse apparet. Et *Gen.* 6. *v.* 4. legitur, gigantes originem ducere a connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum. Ergo ab initio mundi gigantes non fuerunt. Rursus etiam in statu innocentiæ per copulam conjugalem fuisset filiorum propagatio, licet nonnulli antiqui cum S. Damasceno *l.* 2. *de fide c.* 30. contrarium senserint. Deus enim ante peccatum fecit hominem: *masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Crescite, & multiplicamini.* ***Adami corpus an giganteum fuerit?***

§. 241. Ex dictis sequitur, quod Adam omnium hominum primus fuerit, a quo omnes gentes per orbem terrarum sunt propagatæ. Hoc clare innuit S. Scriptura, *Gen.* 2. *v.* 5. affirmans, quod ante Adamum non esset *homo, qui operaretur terram.* Et *Sap.* 10. *v.* 1. *Formatus est orbis terrarum Pater.* Et *Act.* 17. *v.* 26. *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Certe si ante Adamum homines extitissent, non opus fuisset, ut ex ejus costa Deus mulierem formasset, & de eorum gestis aliquid nobis reliquisset antiquitas. ***Adam omnium hominum primus fuit.***

Schol. Præadamitæ duce Isaaco Peirerio ante Adamum & Evam alios jam homines fuisse docuerunt. I. Quia Cain parricida timuit, ne quisquis eum inveniret, occideret: ergo præter Adamum & Evam alii homines fuerunt, quia hi filium suum non occidissent. At præterquam quod verba illa verti possint: quidquid me inveniet, me occidet, timuit futuros Adami posteros, adeoque non opus est ad Præadamitas confugere. II. Cain uxorem habuit, *Gen.* 4. *v.* 17. Sed non habebat uxorem sororem suam, quod est contra jus naturæ: ergo aliam ab Adamo non genitam. At uxor ejus sine dubio soror ejus fuit; id quod legi naturæ sub circumstantiis illius temporis non adversabatur. III. Cain extruebat urbem, *Gen.* 4. *v.* 17. Si autem non fuissent Præadamitæ, quorum opera Cain usus fuisset? Sed illa urbs non fuit ad formam hodiernam, sed casa una & altera &c. sepe vel muro circumdatæ, ad quas exstruendas non multorum hominum opera usus fuit. Accedit, quod genere hominum jam multiplicato urbem illam ædificaverit: nam tempus exstructionis dubium est. IV. *Ad Rom.* 5. *v.* 14. mentio fit non peccantium ad similitudinem transgressionis Adamiticæ, qui non possunt esse, nisi Præadamitæ. At vero illi sunt posteri Adami, qui non propria volun- ***Præadamitarum objectiones solvuntur.***

tate actualiter sicuti Adam, sed originaliter in Adamo peccaverunt. V. Dari antipodes certum est, & a. 1497. Americus Vesputius Americam detexit: sed non videtur, quomodo posteri Adami in oppositam terræ partem, vel in Americam devenerint: ergo præter posteros Adami alii homines dantur. Verum posteri Adami in oppositum nobis hemisphærium & in Americam delati sunt vi ventorum, cum Tropicos transgredi tentassent; reditum vero non tentarunt, vel quia viam nescierunt, vel quia ad eum tentandum non multum afficiebantur. Primi Americæ incolæ fuerunt Phœnices, uti videtur Huetio, vi ventorum eo appulsi, & quia reditum non tentarunt, usque ad tempora Vesputii incogniti. Veteribus etiam America non omnino incognita fuit, quam nonnulli putant esse insulam Atlanticam a Platone memoratam. Patres antiqui nonnulli de Antipodibus dubitarunt, utpote quorum existentia eo tempore certo demonstrari non potuit.

Deus mundum bonum creavit. §. 242. Deus sapientissimus omnia facit sapientissime, adeoque quamlibet rem fini suo convenientem (§. 105.). Ergo rem quamlibet creavit fini suo convenienter: hoc est ita, ut ad quod a Deo ordinata est, præstaret, vel saltem præstare possit. Quia vero finis ultimus Dei in productione hujus universi est manifestatio Divinarum perfectionum (§. 105.), ideo totum universum manifestandis & demonstrandis attributis Divinis conveniens a Deo factum est. Et cum illud, quod fini suo est conveniens, bonum dicatur, hinc Deus omnia, scilicet mundum & partes ejus bona creavit, sicuti *Gen.* 1. *v.* 31. dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Perfectiorem tamen absolute producere posset. §. 243. Licet autem cuncta a Deo producta sint valde bona, non tamen sequitur, quod Deus absolute loquendo perfectiora producere non possit. Nam *ad Eph.* 5. *Potens est (Deus) omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus.* Et juxta S. Dionysium *l.* 8. *de Div. Nom.* potest Deus infinitas virtutes ab iis, quæ jam conditæ sunt, in infinitum perfectiores producere. Quod tamen intelligendum est juxta absolutam potentiam, non vero hac providentia supposita. Quis enim hoc statuto rerum ordine dubitet, quin providentissima Majestas id effecerit, quod melius erat & rectius. Rursus nullo opere quantumvis perfecto ac mirabili infinita exhauriri potest omnipotentia. Denique S. Augustinus *l.* 2. *de Civ. c.* 22. hanc rationem profert: Si Deus optima quæque produceret, ut non posset addere meliora, omnia a visibilibus usque ad invisibilia forent æqualia, & nil præter Angelos vel homines procreasset.

De mundo optimo.

Schol. Petrus Abaelardus *l. 3. introd. ad Th.* Wicleffius *l. 1. Trial. c.* 11. Spinoza, quibus Leibnitius & Wolfius aliquo modo videntur subscribere, contendunt, mundum hunc esse absolute optimum & perfectissimum: imo Deum omnia fecisse, quæ sunt possibilia, Spinoza existimat I. quia Deus non potest non facere quod convenit, & justum est fieri: ergo nihil potest facere, nisi quod facit; nam si alia facere posset, frustranea & otiosa foret ejus potentia. *Resp.* Deus nihil potest facere, nisi quod convenit & justum est, id est nisi id, quod facit, conveniens & justum sit, non autem ut omne conveniens actu faciat: neque ideo potentia Dei ad possibilia est frustranea, cum illud tantum frustraneum dicatur, quod finem suum non assequitur; potentia vero Dei cum sit ejus essentia, non est medium ad aliquem finem, sed ipsa rerum omnium finis est. II. Nihili nulla est proprietas, quod tamen foret, si daretur possibile, quod non extaret, cujus proprietas foret, esse posse: imo possibile plus est, quam merum nihilum, cum inter nihilum & aliquid non detur medium. Sane intellectus Divinus necessario intelligit omnia intelligibilia: ergo & omnia possibilia operatur. *Resp.* Nihili datur aliqua proprietas negativa, scilicet exclusio impedimenti, ne res aliqua existat, quam possibilem esse cognoscimus. Deinde possibile tantum aliquid negativum plus significat, quam nihilum, scilicet non repugnantiam attributorum. Denique existentia rerum ab omnipotentia, & ejus libera voluntate dependet, non vero earum intelligibilitas. III. Agens perfectissimum & sapientissimum Deus nonnisi ad creandum mundum perfectissimum determinare se potuit, qui solus ad manifestandam suam gloriam infinitam conducit; actionem summe perfectam, & Divinam ostendit; & Divinas perfectiones optime exprimit. *Resp.* Agens sapientissimum necessario se determinat ad id, quod melius, & perfectissimum mundum creandum habita ratione finis sibi præstituti, non vero ad id, quod absolute perfectissimum est; alias enim necessario creasset mundum, & exhausta posset dici omnipotentia Dei. Neque enim Deus ad manifestandam gloriam suam creaturis ita indiget, ut eam ex ipsis instar pretii vel finis assequatur, sed ita, ut omnia ad seipsum velut ultimum finem referat; vel ut omnia ejus opera manifestationi gloriæ suæ inserviant; vel ut perfectiones suas cum creaturis pro earum capacitate secundum fines sibi præstitutos communicet. Sane gloria Dei ad intra infinita esse debet, gloria vero ad extra solum Deo digna sit necesse est; majorem enim creaturæ præstare non possunt. Item actio Dei ex parte principii summe perfecta

esse debet, non vero semper maxime ad extra ex parte subjecti & termini. Denique Deus suas perfectiones manifestare vult non semper modo absolute perfectissimo, licet relate ad fines sibi præstitutos modus sit perfectissimus. IV. Deus amat se amore actuali necessario & infinito, quo rapitur ad id quod perfectissime suam gloriam manifestare potest: sane invidus non est, ut nollet, nec impotens, ut non posset optimum mundum creare, cum etiam homo optima semper eligat. Quare S. Augustinus *l. de quant. animæ c.* 35. ait: *Omnia sic sunt, ut melius esse non possint.* Et S. Damascenus *l. de fide c.* 9. *Necesse est, omnia, quæ Dei providentia fiunt, & optima & Deo decentissima fieri, & ita, ut nequeant meliora fieri. Resp.* Deus amat se amore infinito, actuali, & necessario ad intra, non vero ad extra, quia nulla re extra se indiget, utpote ex se omni parte beatus. Neque invidus dici potest, quia invidia inter eos solum locum habet, qui inter se non omni modo distant, & ejusdem boni participes esse possunt; quod non tenet in Deo a creatura infinite distante, & nihil boni ab ea participante. Potuit quidem absolute perfectiorem mundum creare, sed noluit, quia hic mundus fini ab eo præfixo aptissimus est. Homo quanto meliora facit, tanto fit melior, non vero Deus sine rebus extra se infinite perfectus, qui etiam minora bona facere posset ad demonstrandum, quod majora & minora bona ab eo dimanent. Denique SS. Patres solum volunt, Deum semper facere id, quod est optimum bonitate extrinseca petita a voluntate Dei, cui satisfieri optimum est, & melius, quam non satisfieri; non vero bonitate intrinseca, qua omnia a Deo facta sunt optima, non absolute & simpliciter, sed relative, prout magis spectant ad proportionem decoris universi.

§. 244. His omnibus ita a Deo sapientissime conditis, requievit Deus die septimo a novarum creaturarum creatione, licet non a conservatione, concursu, gubernatione & providentia, de quibus nunc agemus.

Conservatio quid? §. 245. Per creationem Deus rebus extra se existentiam largitus est. Ratio vero continuationis existentiæ illarum, nequit esse in ipsis creaturis; alias essent ens a se, quod solum rationem existentiæ suæ in se habet (§. 42.). Ergo eam habent in alio a se diverso: & quia præter creaturas nullum ens, nisi Deus, existit, ratio continuationis existentiæ creaturarum in Deo est, & speciatim quidem in Divina ejus voluntate, qua nimirum Deus vult, ut creaturæ existentiam suam continuent. Proinde actus voluntatis Divinæ, quo creaturis datur, ut existentiam suam continuent, dicitur earum *Conservatio*,

§. 246. Deus creaturas conservat, & hæ continua Dei conservatione indigent. Primum patet ex *Act.* 17. *v.* 28. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Et ratio est, quia per actum voluntatis Divinæ creaturis datur, ut existentiam suam continuent (§. 245.). Sed hæc est earum conservatio (§. cit.). Ergo Deus eas conservat. Secundum liquet ex eo, quod creaturæ ex seipsis existentiam suam continuare non possint: sed ea per solam conservationem Divinam continuanda est (§. 245.). Ergo creatura omni temporis momento conservatione Divina indiget. *Deus creaturas conservat.*

Schol. 1. Contra conservationem rerum a Deo pugnare videtur I. quod opus artefactum sine artifice perduret; ergo etiam opus Dei, qui plus potest, sine ejus conservatione. Verum disparitas est; nam artifex artefactum construens solam formam illi inducit, quia materia per rerum naturam jam adest: conservatio vero Divina in ipso materiali entis versatur, quod sine ea existentiam suam continuare nequit. II. Sic non foret inter creationem & conservationem distinctio. At creatio & conservatio in eo conveniunt, & discrepant a se invicem, quod per utramque quidem existentia creaturæ detur; sed creatio rem antea non fuisse notet, conservatio rem antea fuisse supponat; creatio det existendi initium, conservatio continuationem. *Solvuntur objectiones.*

Schol. 2. Conservatio non est actus mere negativus, quo Deus creaturas non vult destruere, sed positivus, quo continuationem existentiæ creaturarum vult. Porro Deus creaturas conservat propter manifestationem perfectionum suarum (§. 105.).

§. 247. Quemadmodum creaturæ existere cœperunt per actum voluntatis Dei efficacis in creatione, ita per actum ejusdem voluntatis continuatum existentiam continuant in conservatione. Cum igitur cessante causa cesset effectus, sequitur, quod si voluntas Dei efficax de continuanda creaturæ existentia cessaret, eo ipso creatura ita esse desineret, ut nil ejus amplius actu supersit, quod dicitur *annihilatio*, quæ proinde in mera actionis positivæ omissione consistit. *Annihilatio quid?*

§. 248. Solus Deus creaturam annihilare potest. Nam creatura aliter annihilari non potest, nisi per cessationem actus voluntatis Divinæ efficacis de continuanda creaturæ existentia. Sed hæc a solo Deo pendet. Ergo solus Deus creaturam annihilare potest. *Solus Deus creaturam annihilare potest.*

§. 249. Creaturæ non tantum sunt, sed etiam mutationes producunt, quarum ratio in illis est, uti experientia in animabus & corporibus probat. Quia igitur mutatio entis, cujus ratio in ipso datur, juxta Philoso- *Concursus Dei ad actiones creaturarum.*

phos dicitur actio, creaturas agere certum est, & quidem non sine conservatione Divina (§. 246.); ita ut Deus non solum vim agendi in creaturis conservet, sed etiam aliquid rationis actio Dei in se contineat, cur creatura agat; quæ actio Dei dicitur *concursus Dei ad actionem creaturæ*.

Deus ad actiones creaturarum concurrit. §. 250. Deus ad omnes actiones creaturarum concurrit: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus. Act.* 17. Ratio est: Deus vim agendi creaturarum continuo conservat, easque ad agendum aptas efficit, & cum sit causa prima, a qua omnis causa secunda dependet, aliquid rationis in se continet, cur creaturæ agant, tum vim earum activam conservando, tum eas ad agendum applicando. Ergo ad omnes actiones creaturarum concurrit.

Providentia Dei. §. 251. Cura Dei pro rebus creatis dicitur *Providentia Divina*. *Cura* autem est studium perfectioni entis impensum.

Deus providet creaturis. §. 252. Deus providentiam erga creaturas exercet. *Sap.* 14. *v.* 3. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Et *Judith* 9. *Tua judicia in tua providentia posuisti*. Ratio est: Deus creaturas in existentia, quam habent (§. 246.), & vim earum activam conservat (§. 249.), omnesque ad fines constitutos salutares gubernat (§. 107.), adeoque perfectioni creaturarum studium impendit. Ergo providentiam erga eas exercet (§. 251.), scilicet conservando, concurrendo, gubernando. Et quia omnis creatura etiam abjectissima, conservatione, concursu & gubernatione Divina fruitur, quia sine ista non existere (§. 246.), sine hoc non agere (§. 250.) posset, & per gubernationem ad fines Divinos actiones dirigantur (§. 107.); hinc in omnibus rebus Divina Providentia versatur, ita ut nec abjectissima excludi ab ea debeant.

Providentia quotuplex? *Schol.* Providentia Dei, quatenus circa omnes creaturas versatur, dicitur *generalis*, quam Deus conservando, concurrendo & gubernando præstat. E contrario pro quo ente curam gerendi Deus motivum fortius habet, pro illo dicitur gerere providentiam *specialem*. Hanc Deus exercet pro bono promovendo, & pro fidelibus. Item Providentia Dei alia est *ordinaria*, qua Deus per causas secundas, modoque naturali; alia est *extraordinaria*, qua per miraculum agit. Providentiæ Divinæ tres actus constitui possunt: πρόγνωσις, qua prævidet, quid ubique optimum futurum sit, quæ ad omniscientiam ejus spectat: πρόθεσις, qua quod optimum factu prævidit, decernit, quæ ad voluntatem ejus pertinet: & διοίκησις, qua quod decrevit, exequitur, quæ omnipotentiam concernit. Unde per omniscientiam, voluntatem & omnipotentiam Deus Providentiam exercet; quibus tamen, quatenus Deus me-

dia finibus subordinavit, sapientia: quatenus hominum felicitati prospexit, bonitas: quatenus virtutem remuneratur, & vitium punit, justitia, ac aliæ perfectiones Divinæ accedunt. Vide S. Irenæum *l. 3. contr. hær. c. 25.* & Minuc. Felic. *in Octavio;* ubi etiam argumenta incredulorum solvuntur in mea *Analys. PP. tom. 3.*

§. 253. Specialis Dei erga hominem Providentia in ipsa ejus creatione vel maxime enituit; finem enim illi constituit, ut Deum coleret, suamque & aliorum perfectionem promoveret. Hinc non solum sui ipsius, scilicet Dei, ideam illi indidit (§. 41. Schol. 5.), sed rerum etiam naturalium cognitionem illi concessit. Nam ad Adamum recens creatum Deus adduxit animalia, ut nomina illis imponeret, quæ etiam actu imposuit, *Gen. 2. v. 18. 20.* naturæ eorum convenientissima; uti patet etiam ex nomine, quod Adam fœminæ imposuit, quodque ejus originem aptissime exprimit, *Gen. 2. v. 23.* sicuti etiam Eva post lapsum nomina filiis suis certis circumstantiis convenientia imposuit.

Specialem Providentiam Deus erga hominem exercet.

Schol. Ex hoc colliges, Deum per ipsam creationem simul habitum linguæ & loquelæ, etsi pro diversitatibus rerum observatis ulterius successive excolendæ & amplificandæ, hominibus concessisse. Unde falluntur, qui homines ab initio muta animalia fuisse, linguam autem paullatim ortam esse ex vocibus inarticulatis secundum mentis affectum editis, arbitrantur. Vid. Medit. Carpovii *de lingua ejusque perfectione*. Quænam autem primæva hominum lingua fuerit, inquirit D. Calmet *in dissert. de ling. prim.* Psammetichus Ægypti rex hoc exploraturus, duos infantes recens natos pastori cuidam ab omni hominum consortio remotos educandos tradidit, ita ut nullum loquentem audirent: qui, dum illis per ætatem loqui licuit, identidem inclamabant: *Beccos*, quæ vox apud Phryges panem significabat; hinc ille collegit, Phrygiam linguam esse primigeniam. Verum Psammetichus in investiganda primigenia hominis lingua in multis peccavit: tum quia non constat, Phryges primigeniam suam linguam integram semper conservasse: tum quia non constitit illi, an apud alias etiam gentes *Beccos* nullam significationem habuerit: tum quia vox *Beccos* casu solum ab illis pueris formata fuit ex imitatione ovium balantium *Bec*; nam græca terminatio *os* ab Herodoto hoc factum referente adjecta fuit. Theodoretus *q. 60. in Gen.* Amira *præf. in Gram. Syriac.* & Myricæus *præf. in Gram. Chald.* Chaldaicæ vel Syriacæ linguæ primas deferunt. Sed hæ linguæ Hebraicæ linguæ dialectus sunt, adeoque eam supponunt. Goropius Becanus linguæ Belgicæ hunc honorem tribuit argumento petito a nominum antiquo-

Unde eum cum habitu certæ loquelæ creavit.

Primæva lingua quænam fuerit?

rum etymologia: sic Adam deducit ex Belgico *hal-dan*, id est *ager invidiæ*. Ast hoc argumentum omnino infirmum est; illo enim probaretur, nullam fere linguam esse, quæ antiquitatis prærogativam sibi non vindicaret. Arabes, Armeni, Ægyptii, Sinenses & Æthiopes pro sua lingua pugnant, qui in illa nomina primorum parentum suam significationem habent, & hæ regiones ab antiquissimis Patribus frequentatæ fuerunt. Verum vernaculus Armenorum & Arabum sermo surculus est Hebræi idiomatis: Æthiopus & Sinensium sermo primævus nulla ratione vel auctoritate nititur. Restat igitur, ut dicamus, linguam Adami primævam fuisse Hebraicam: tum quia primorum nominum radices continet, tum quia nomina antiquis gentium Numinibus imposita in sola lingua Hebraica significationem habent, tum quia est simplex & concisa, & juxta Thomassium *in Glossar. Hebr.* Chaldaica, Arabica, Phœnicia, Græca, Latina, Tentonica &c. propagines sunt linguæ Hebraicæ. An vero lingua hæc primitiva ante diluvium nullam mutationem subierit, affirmare non audet D. Calmet. Illud certum videtur, eam post diluvium in posteris Hebræis diutius perseverasse, licet subsequentibus temporibus magis adhuc mutata fuerit, adeo ut moderna Hebræorum lingua post varias vices in captivitate Babylonica, & alias Judæorum ruinas a primæva sua origine multum distare videatur. In confusione linguarum Babelica 70. linguas juxta numerum principum familiarum ortas esse censent plerique cum Lactantio & S. Augustino. Verum hæc conjectura non satis firma videtur. Et Annatus cum Genebrardo notat, non omnes omnino omnium nationum linguas turris Babelicæ fabris a Deo inditas fuisse, sed solum matrices, ex quarum corruptione aliæ numero plures coaluerunt: scilicet ex Hebraica orta est Chaldaica, Syriaca, & Arabica: ex Latina, Italica, Wallachica, Gallica, Hispanica: ex Græca, Dorica, Jonica, Attica, Æolica: ex Germanica, Helvetica, Saxonica, Anglica, Scotica: ex Sclavonica, Polonica, Boemica, Moscovitica; ex Æthiopica, Abyssina & Sabæa.

Homo etiam rerum supernaturalium notitiam in creatione a Deo accepit.

§. 254. Homo etiam in sui creatione rerum supernaturalium notitiam a Deo accepit, quia ad finem supernaturalem conditus fuit, & de eo posteros suos edocere debebat. Unde etiam Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quatenus ad consummationem gloriæ referebatur, non vero prout ordinabatur ad redemptionem a peccato, cujus tunc Adamus conscius non fuit, & juxta multos creatio & ruina Angelorum illi revelata sunt.

Creatus

§. 255. Homo creatus fuit cum voluntate sancta & recta. Nam *Eccl.* 7. *v.* 30. dicitur: *Deus creavit homi-*

nem rectum: rectitudo vero conformationem actuum voluntatis cum regula illius involvit. Item *ad Eph. 4. v. 23.* monet Apostolus: *Renovamini in spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Qui autem renovatur, ad priorem conditionem regreditur, quæ proinde fuit in justitia & sanctitate. Deinde Tridentinum *sess. 1. c. 1.* definit: Primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse. Ratio est: Deus hominem quoad voluntatem ita creavit, ut illa se inclinaret in id, quod fini Dei, & consequenter ejus voluntati conforme erat (§. 255.). Sed voluntas Dei semper ad bonum tendit. Ergo Deus ita hominem creavit, ut quamdiu in statu concreato persisteret, semper bonum appeteret. Quia vero appetitus boni ab appetitu mali remotus sanctitatem voluntatis constituit, Deus creavit hominem cum voluntate sancta. Et quia Deus hominem ita creavit, ut appeteret, quod juxta finem Divinum illi appetendum erat, adeoque voluntatem suam secundum regulam voluntatis sibi præscriptam dirigeret, Deus cum voluntate recta hominem creavit. *Fuit cum voluntate sancta.*

Schol. Ex his patet, hominem creatum fuisse in justitia originali, quæ juxta modo probata involvit etiam gratiam sanctificantem seu gratum facientem, cum qua proinde juxta nos Adamus creatus fuit. E contra Magister sententiarum, Scotus &c. hoc negant, & docent, justitiam originalem primo parenti in creatione concessam, fuisse tantum habitum quemdam, qui inferiorem partem superiori subjiceret, non vero gratiam, quæ filios & amicos Dei efficit, & ad vitam æternam promerendam necessaria est. Hæc sententia, uti notat P. Berti, necdum ab Ecclesia damnata est; nam Tridentinum non ait, primum hominem creatum esse in sanctitate & justitia, sed ait, constitutum esse: constitui autem in ea etiam potuit post creationem. Addit Juenin *l. 3. diss. 3.* jussu Concilii deletam esse vocem, *conditum*, quam Canonis Auctores primo inseruerant. Deinde nomine sanctitatis & justitiæ, non gratiam habitualem, sed rectitudinem originalem, in recto dominio rationis nullo reluctante motu concupiscentiæ sitam, nonnulli intelligunt. Concilia vero alia, quæ dicunt, naturam humanam, licet in integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servare, loquuntur de necessitate gratiæ actualis ad salutem obtinendam. *Et in justitia originali.*

§. 256. Primus homo instructus fuit appetitu sensitivo; gaudebat enim sensibus, *Gen. 2. v. 19.* & quæ inde pendet imaginatione: inclinatio vero ad bonum ope sen- *Instructus fuit appetitu*

sensitivus. suum & imaginationis confuse cognitum, est appetitus sensitivus. Quia tamen Deus primum hominem ita creavit, ut non appeteret nisi verum bonum distincte cognitum (§. 255.), appetitus sensitivus in illo semper sanctis voluntatis inclinationibus conformis fuit. Item quia ex difformitate appetitus sensitivi & rationalis, lucta utriusque oritur, & nulla ejusmodi difformitas in homine recens creato fuit; neque hanc luctam expertus fuit, neque affectus inordinati locum in eo habuerunt; unde nuditatis primos parentes non puduit.

Et habuit super omnia animalia dominium. §. 257. Adamus in illo statu habuit super omnia animalia & terrestria dominium, *Gen.* 1. *v.* 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. v.* 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Ratio est: Deus hominem etiam creavit, ut Deum colendo suam & aliorum hominum conservationem & perfectionem quæreret: sed hoc fieri non poterat, nisi facultas de substantia, usu & fructu rerum ad sui & aliorum conservationem & perfectionem necessariarum pro arbitrio, fini tamen dicto convenienter disponendi, id est dominium illi tribueretur. Ergo hoc dominium Deus illi concessit.

Esus carnium an fuisset in statu innocentiæ? *Schol.* Homo ob dominium in bestias earum operam ad excolendum paradisum adhibere potuisset, & ad honestam animi recreationem iis usus fuisset: esus tamen carnium in statu innocentiæ non fuisset, quia Deus, *Gen.* 1. *v.* 29. ad esum fructuum terræ, herbarum & arborum hominem determinavit, & modo post diluvium, *Gen.* 9. *v.* 3. esum carnium illi concessit, unde etiam in eo statu usus vini non fuisset: animalia tamen carnivora ibi carnibus usa fuerunt, quia hic esus illis naturalis est. Porro dominium hominis in bestias cum obsequio earum omni feritate seposita conjunctum fuisset, neque homo dominio suo in bestias contra rectam rationem abusus fuisset.

Homo in statu innocentiæ erat immortalis. §. 258. Homo in statu innocentiæ erat immortalis; nam mors ex infra dicendis pœna peccati est: hinc in statu innocentiæ contrariæ qualitates in corpore vi quadam supernaturali in debita semper temperie conservatæ fuissent, & calor nativus per fructum arboris vitæ semper restitutus fuisset, nec ullas homo ab extrinseco vel hominibus vel bestiis vitæ insidias & pericula habuisset, & ideo etiam ab omni dolore, ægritudine & tristitia immunis fuisset.

Quæ immortalitas erat gratia §. 259. Immortalitas tamen primi hominis non fuit proprietas naturæ, sed gratiæ beneficium: quippe hæc propositio Baji damnata est: *Immortalitas primi homi-*

nis non fuit gratiæ beneficium, sed naturæ conditio. Et S. Augustinus *l. 6. de Gen. c. 20. Illud quippe & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud enim est non posse non mori, sicut quasdam creaturas creavit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Homo vero in statu innocentiæ immortalis non perpetuo mansisset in terra, sed tandem sine morte translatus fuisset in cœlum. *beneficium.*

Schol. Ex dictis colligitur, Deum hominem ad finem & beatitudinem supernaturalem elevasse; primis enim parentibus simul cum natura adoptionis gratiam concessit (§. 254. 255.), adeoque certum est de fide, quod status naturæ puræ, in quo homo sine gratia & peccato, nihilominus tamen foret morti obnoxius cæterisque miseriis, quæ humanam naturam consequuntur, nunquam extiterit. Verum quæritur ulterius, an hic status naturæ puræ non sit possibilis. Lutherus *in 3. Gen.* justitiam originalem homini tam naturalem esse contendit, quam naturale est oculo, ut lumen videat. Bajus vero & Jansenius probare volunt, statum naturæ puræ pugnare cum justitia, bonitate & providentia Divina, ita ut homo ante peccatum non potuerit produci sine gratia sanctificante, & immortalitatis dono. Denique Norisius, Lovanienses, Contenson &c. naturæ rationalis integritatem & justitiam originalem gratiæ quidem adscribunt; putant tamen spectata decentia oportuisse, ut creatura rationalis hac gratia fulciretur, adeoque statum naturæ puræ esse impossibilem. Hæc sententia nullo modo ab Ecclesia damnata est; in communem tamen Theologorum propendemus, cum quibus & nos dicimus, statum naturæ puræ esse possibilem. Nam 1. non repugnat ex parte hominis, tum quia illi gratia & justitia originalis titulo creationis & naturæ non est debita, cum sit ordinis supernaturalis, & alias gratia non foret gratia: tum quia natura hominis ex se capax est doloris & tristitiæ, æque ac gaudii & voluptatis. 2. Non repugnat ex parte Divinæ justitiæ, bonitatis & providentiæ, quia Deus sine omni injuria & læsione suæ justitiæ & bonitatis potest id omne creaturæ rationali denegare, quod est gratuitum, quod pendet ex mero suo beneplacito, & quod nemini debet, qualis est illa justitia originalis supra conditionem & exigentiam naturæ creatæ. 3. S. Augustinus *l. 3. de libero arbitr.* ut evertat duo Manichæorum prin- *Elevatus est ad finem supernaturalem; status tamen naturæ puræ est possibilis.*

cipia ex eorum hypothesi, licet falsa, argumentatur, & probat Deum esse laudandum, nec admittendum aliud rerum principium, licet ignorantia & concupiscentia essent hominis primordia naturalia, & ait: *Si ergo altera anima talis esse cœpit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat... non solum, quod anima est, quæ natura jam omne corpus præcedit, sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & a difficultate cruciante, & ab ignorantia excæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio & perfectionis exordium.* Supponit hic S. Doctor statum naturæ puræ possibilem, nec hanc sententiam suam unquam retractavit; nam *l.* 1. *retract. c.* 9. & *l. de don. persev. c.* 11. ait: *Etiamsi verum esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali, coæternas esse naturas, nempe quia Deus non esset culpandus, sed laudandus.* Non obstat I. quod S. Augustinus pluribus in locis ostendat contra Pelagianos, miserias hujus vitæ cum peccato originali ita necessario connecti, ut Deus foret injustus & impotens, si hominem sine prævio peccato his miseriis obnoxium crearet, uti *l.* 1. *oper. imperf.* Et ideo etiam ex solis his miseriis existentiam peccati originalis colligit *l.* 2. *oper. imp.* Nam *Resp.* in his locis S. Augustinus loquitur de præsenti statu naturæ, & supposita creatione primi hominis in justitia originali, a qua per peccatum in has miserias incidit, non vero loquitur de statu naturæ puræ possibili; agit enim contra Pelagianos non ex hypothesi tantum possibili, sed statu præsenti; & ex miseriis hujus vitæ suspicando, non vero decretorie sine revelatione peccatum originale colligi docet. II. Non obstat, quod homo sine gratia non possit pertingere ad finem suum ultimum, scilicet visionem beatificam quam appetit, nec possit Deum super omnia diligere, adeoque repugnet, ut Deus illum in statu naturæ puræ creet. Nam in statu naturæ puræ non intuitiva Dei visio, quam homo sola fide supposita appetitu elicito appetit, sed visio Dei abstractiva foret finis ejus ultimus, & ille Deum non amore supernaturali, sed naturali solum sine gratia supernaturali diligeret, & cum voluntate media, quæ nec bona nec mala foret supernaturali bonitate, produceret, & bo-

nitatem naturalem a Deo creatore acciperet, ac remissionem peccati vel per condonationem extrinsecam, vel per infusionem qualitatis naturalis consequeretur. Non obstat III. quod homo in statu naturæ puræ foret obnoxius concupiscentiæ, cum qua, quia est defectus moralis, malum morale repugnans rectæ rationi, & obex sapientiæ, a Deo creari nequit. Nam *Resp.* concupiscentia quatenus est malum morale, seu privatio perfectionis debitæ actui libero, quæ ad culpam imputatur, non est a Deo, sed tantum ratione entitatis, prout est inclinatio naturæ sentientis in bonum sensibile: hæc autem per se non est obex sapientiæ, quia solum fertur in bonum sensibile, sed per accidens, quia plerumque mentem, quæ in bonum spirituale fertur, ad sensibilia inflectit. Non obstat IV. quod homo innocens non possit a Deo creari doloribus & morti obnoxius: nam mors & dolores ex nativa hominis constitutione oriuntur, sicuti bruta sine omni eorum culpa doloribus subjacent; hic dolor etiam utilis foret, & hominem admonet unitatis, quam inter corpus suum & animam servare debet.

Præcepit illi Deus, ne de fructu vetito comederet.

§. 260. Deus hominem creavit, ut Creatorem suum coleret, suamque & aliorum perfectionem promoveret, & obsequenti vitam ac beatitudinem æternam, ac transgressori voluntatis suæ æternæ mortis pœnam constituit. Ut autem homo semper memor esset debitæ Deo obedientiæ, signum aliquod externum, quod patefacturum erat, an homo constanter voluntati Divinæ obsecuturus sit, Deus illi proposuit. Hoc erat arbor scientiæ boni & mali in medio Paradisi plantata, a cujus fructu sub pœna mortis abstinere debebat. Porro Deus Adamum constituit caput non solum naturale, sed etiam morale omnium hominum quantum ad conservationem & amissionem justitiæ originalis, ita ut voluntas ipsius in ratione capitis esset voluntas omnium ejus posterorum, ad quod ex parte Dei necessarium erat decretum; ex parte vero Adami requirebatur, ut hoc decretum illi manifestaretur. Hoc decretum Adæ manifestatum vocant nonnulli pactum inter Deum & Adamum, quod Deus sine omni injustitia facere potuit, tum quia est supremus omnium Dominus, tum quia erat pro bono nostro; siquidem Adamo Deo obsequente in re tam facili, & beatissimo illo statu, omnia bona justitiæ originalis ad nos etiam devoluta fuissent; sane si hæc conditio hodie nobis proponeretur, nemo eam recusaret.

Hoc præceptum suadente diabolo homo

§. 261. Hoc Dei mandatum suadente diabolo Eva prima transgressa fuit, quia diabolus vero ac naturali serpente ad eam alloquendam usus fuit. Suasorem primi illius peccati diabolum fuisse, de fide est, & patet ex

trans-gressus est. S. Scriptura, *Sap.* 2. *v.* 24. *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Et *Jobi* 8. *v.* 44. de diabolo dicitur: *Ille homicida erat ab initio*. Et *Apoc.* 12. *v.* 9. diabolus appellatur serpens antiquus. Quod vero naturali serpente ad alloquendam mulierem diabolus usus fuerit, est communis Theologorum, & constat ex *Gen.* 3. *v.* 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Ubi Hebraicum נחש genus reptilium significat, uti liquet ex *Exod.* 4. *v.* 3. Deinde huic voci præfigitur littera paragogica ה, quæ hic neque pronomen, neque articulum, neque interrogationem significat, & consequenter significationem propriam ac litteralem. Item in eodem versu comparatur serpens cum cæteris animantibus terræ: ergo etiam ipse pro terreno animali assignatur.

Quis fuerit serpens? *Schol.* Ophitæ, quibus Marcionis & Manichæi asseclæ accedunt, dicunt, serpentem Evam tentantem fuisse Spiritum Deo meliorem, cui gratias agunt, quod per ipsum hominibus cibus, per cibum visus, per visum mulieris cognitio, per hanc nuptiæ, per istas innumera bona mundo accesserint. E contra Rabbi Abenezra vult, diabolum nullatenus Evam aggressum esse, sed colubrum naturali facultate loquentem. Carpovius seductorem Evæ diabolum in forma seu assumpto corpore serpentis apparentem fuisse censet. Cajetanus cum Origene putat, nomine serpentis designari appetitum sensitivum interius stimulantem, aut diaboli suggestionem nullo visibili corpore assumpto peractam. Hæ sententiæ ex dictis refelluntur. Nec obstat I. quod serpens dicatur *callidior cunctis animantibus terræ*, *Gen.* 3. *v.* 1. quod irrationali animali non convenit. Nam respondet S. Augustinus *de Gen. ad litt. l.* 11. *Non tam ex se is callidior erat, quam ex ipso diabolo, qui serpente, ut suæ pravitatis instrumento, utebatur*. Non obstat II. quod mulier ad colloquium serpentis non cohorruerit. Nam, forte ab initio serpentis colloquium exhorruit, ac sensim metum depulit: vel putavit, vi quadam supernaturali serpentem facultate loquendi instructum fuisse: imo metus omnis aberat, quia ante peccatum, cuncta ad nutum hominis serviebant. Nec obstat III. quod Deus serpenti, & non diabolo maledixerit; ergo serpens seductor fuit. Nam maledictio illa figurato sensu ad serpentem, proprio ad diabolum spectat, qui infra bestiarum sortem redactus super pectus suum graditur, & terram comedit: cum enim præ superbia intumescit, ad terram usque deprimitur. Et forte non nova pœna decernitur, sed antiqua renovatur: Deus enim serpenti loquitur, & per eum diabolo in eo latenti. Hinc quædam dicit, quæ proprie serpenti conveniunt, quale est

illud: *Super pectus tuum gradieris:* quædam, quæ proprie diabolo competunt, quale est illud: *Inimicitias ponam &c.* Ita du Hamel *in Bibl.*

§. 262. Cum ad comestionem vetitam voluntatem Evæ inclinare vellet diabolus, memor, nonnisi per boni repræsentationem voluntatem hominis flecti posse, esum illum cum magna utilitate conjunctam esse illi persuadebat, *Gen. 3. v. 4.* negabat scilicet, ob eum homines morituros esse, quin potius oculos eorum apertum iri, & illos sicut Deos cognoscentes bonum & malum futuros asseverabat. Eva diaboli verbis fidem tribuens, & aspiciens fructum, quod sit bonus, delectata insigni perfectione, quam per comestionem ejus obtinere sperabat, de illo comedebat, *Gen. 3. v. 6.* & simili colloquio comestionem Adamo persuasit, qui proinde etiam comedit. Proinde homo legem Divinam transgrediendo peccavit. *Comedenda de fructu vetito.*

Schol. Quæritur in Scholis, quodnam primum Adami peccatum fuerit. Recentior quidam Auctor dicit, Evam absente Adamo, concubuisse cum serpente, hocque actu commisso serpentem Evam docuisse, libidini ita ulterius cum Adamo indulgere. Sed effrons hujus mendacii absurditas seipsam refutat. Scotus *in 2. d. 21.* contendit, primum Adæ peccatum fuisse inordinatum uxoris amorem, non quidem concupiscentiæ carnalis, sed amicitiæ & benevolentiæ conjugalis: unde ne uxorem contristaret, parvipendit mandatum Dei, & de fructu vetito comedit. Communior est sententia, primum Adami peccatum fuisse superbiam, quod tamen duplicem adhuc malitiæ speciem sibi conjunctam habuit, scilicet inobedientiæ & gulæ. Superbiam assignat *Ecclesiastes c. 10. Initium omnis peccati superbia.* Et *Tob. 4. In ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Hinc tentator diabolus dixit: *Eritis sicut Dii*; quæ excellentia est objectum superbiæ. Certe in statu innocentiæ omnia erant perfecte coordinata, ita ut corpus animæ, appetitus sensitivus rationi, pars inferior superiori subjiceretur. Quare omnes animi motus a ratione superiori inchoari debebant, & consequenter primum Adæ peccatum tale objectum habere debuit, ad quod ratio superior per se afficeretur: sed ratio superior secundum se non afficitur ad sensibilia, quod est munus appetitus sensitivi, sed ad spiritualia, in quibus excellentia rationalis creaturæ consistit: ergo primum Adæ peccatum fuit circa objectum spirituale, & inordinatus appetitus similitudinis cum Deo, seu superbia. Hæc conjunctam sibi habuit inobedientiam & gulam, uti patet *Gen. 3. Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Quippe Adam primo propriam excellen- *Quodnam primum peccatum Adami fuerit?*

S 2

tiam ut finem inordinate appetiit, & sic superbivit: deinde voluit id, quod sibi proponebatur ut medium ad habendam talem excellentiam, nimirum non subjici Divino præcepto de non comedendo fructu vetito, & sic fuit inobediens. Denique hoc præceptum violavit comedendo prohibitum fructum, & sic in gula peccavit. An vero contra fidem peccaverit, non satis constat: affirmat Tertullianus *l.* 2. *cont. Marc. c.* 2. Negat S. Augustinus *l.* 11. *de Gen.* quia Adam non fuit seductus, ac proinde falsum non credidit, sed inordinato amore propriæ excellentiæ jam excæcatus, & blanditiis uxoris delinitus, non satis attendit ad Dei comminationem. Porro peccatum primorum parentum fuit gravissimum, non quidem ex objecto, sed ex circumstantiis: tum ex fine, obedientia scilicet Deo præstanda & supremo ejus dominio agnoscendo: tum ex sanctitate peccantium, & perfectione status: tum ob plenissimam libertatem, sine concupiscentiæ & infirmitatis pondere: tum ob facilitatem illud observandi: tum ex gravi nocumento in totum genus humanum exinde redundante. Qualis vero & cujus speciei fructus & arbor vetita fuerit, incertum est.

Peccatum originale quid?

§. 263. Cum Adamus esset caput morale omnium hominum, & voluntates nostræ includerentur in ejus voluntate quoad conservationem & amissionem justitiæ originalis (§. 260.); peccatum Adami omnibus ejus posteris fuit voluntarium originaliter, quatenus ex Adami capitis eorum voluntate fluxit, adeoque bene dicitur *peccatum originale*, quod scilicet nascendo ex Adamo contrahimus.

Peccatum hoc in posteros Adæ traducitur.

§. 264. Peccatum hoc originale in posteros Adæ traducitur. Ita fides docet *Primo* ex S. Scriptura, *Job.* 14. *v.* 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Ubi Lutherus male vertit: *Quis vult aliquem invenire mundum apud eos, in quibus nullus mundus est;* nam sermonem esse de immundo *ex* immundo ostendit vox Hebraica מטמא; imo de prima hominis conceptione hunc textum clare intellexerunt septuaginta: *τὶς γὰρ καθαρὸς ἔςαι ἀπὸ ῥύπου: ἀλλ' οὐδεὶς ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ.* Quis mundus a sorde? sed nullus, nec infans unius diei. Ergo homo concipitur in peccato originali. Certe non loquitur sacer textus de immunditia naturali, quia loquitur de tali immunditia, quam solus Deus tollere potest. Verba illa: *conceptum semine* non habentur quidem in Hebraico & Græco explicite, habentur tamen implicite: nam *το* מ *ex immundo*, & *το infans unius diei* juxta LXX. satis indicant, quod de conceptione hominis sermo sit. Illa vero verba: *nonne tu, qui solus es?* pro quibus in Hebraico legitur, *non unus*, Ecclesia optime per interroga-

tionem explicat. Annon unus? nempe Deus. Alter locus S. Scripturæ habetur *Ps.* 50. *v.* 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Loquitur hic David de vera conceptione, & quod eum mater sua foverit in peccato; nam יחם significat in *Piel*, *coivit* seu *concepit*, uti etiam vertit Syriaca, Arabica, & Æthiopica; & R. Manasses, Ben Israel, & R. Haccadosch dicunt, quod peccatum ab origine dominetur homini. Dein non loquitur David de peccatis actualibus; nam licet dicatur in plurali, *in iniquitatibus*, pluralis tamen non ponitur in Hebraico: nec loquitur de peccato matris suæ, tum quia copula conjugalis non est peccatum, tum quia David suam non alienam culpam accusat, & peccatum originale quoad culpam quidem, non vero quoad fomitem peccati relictum, illi remissum fuit. Rursus confirmat nostrum dogma Apostolus *ad Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sed hoc peccatum non est actuale personale, cujus infantes licet morti obnoxii non sunt capaces. Ergo originale, quod propagatione, non vero imitatione transit in infantes, qui ob defectum usus rationis peccatum Adami imitari non possunt. Nec per peccatum effectum peccati, scilicet mortem, vel pronitatem ad malum, intelligit Apostolus, alias hic absonus sensus verborum ejus foret: & *per mortem mors;* nec pronitas ad malum est causa mortis. Denique 2. *ad Cor.* 5. dicitur: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* ergo etiam infantes, non peccato actuali personali, adeoque originali. Unde *ad Eph.* 2. *Eramus natura*, id est a nativitate & origine, *filii iræ. Secundo* constat ex traditione. Sæculo primo S. Ignatius *Ep. ad Trall.* peccatum originale vocat *impietatem & prævaricationem antiquam*. Sæculo secundo S. Justinus in *dial. cont. Tryph.* ait, humanum genus per Adam in mortem, seductionemque serpentis concidisse. S. Irenæus *l.* 3. *cont. hær. c.* 18. & *l.* 5. *c.* 34. Clemens Alexan. *l.* 3. *Strom.* Sæculo tertio Tertullianus *l. de anim. c.* 40. ait: *Omnis anima eousque in Adam censetur ... tamdiu immunda, donec in Christo recenseatur.* Sæculo quarto S. Hieronymus *in c.* 4. *Jonæ: Nullus absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus.* S. Chrysostomus *hom.* 5. *in ep. ad Rom. Cum dixerit tibi Judæus, quomodo unius virtute mundus salvatus est? possis & dicere: quomodo & uno inobediente Adam mundus damnatus est?* Testimonia horum & aliorum Patrum refert S. Augustinus *l.* 1. *cont. Jul. c.* 3. & 4. Et *l.* 3. *de pecc. mer. c.* 6. & concludit: *Non aliud,*

ex quo Christi Ecclesia constituta est, Divinarum Scripturarum tractatores, & Christianarum disputationum Scriptores senserunt, non aliud a majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt. Tertio subscribunt Concilia. Palæstinum, cujus meminit S. Augustinus *Ep.* 106. Milevitanum a. 416. Arausicanum a. 529. can. 2. Toletanum VI. a. 656. Florentinum & Tridentinum sess. 5. can. 2. *Quarto* accedunt rationes Theologicæ, tum quia Christus omnes etiam parvulos redemit: redemptio autem supponit captivitatem & damnationem, damnatio peccatum, quod in parvulis nonnisi originale esse potest: tum quia homo nascitur obnoxius variis ærumnis & miseriis. Sed his natura nostra, antequam laberetur, obnoxia non fuit, quia Deus creavit hominem inexterminabilem, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ *in incorruptione*. Ergo lapsus præcessit, & ideo peccatum originale cum pœna in posteros Adami traducitur.

Solvuntur objectiones Pelagii. *Schol.* Dari peccatum originale in posteris Adæ negavit Pelagius & ejus disciupuli Julianus & Cœlestius, contendentes, Adamum sibi soli peccasse, non vero posteris, nisi pravum exemplum illis dando, adeoque tantum exemplo. Unde docent, posteros Adæ nec culpam nec pœnam ab eo contrahere, sed mortem & alias hujus vitæ miserias esse defectus naturales, & concupiscentiam esse bonum naturæ, quæ omnia Adam expertus fuisset, etsi non peccasset. Proinde volunt, Baptismum non esse necessarium parvulis ad remissionem alicujus peccati, sed tantum, ut fiant filii adoptionis, & habeant jus ad regnum cœleste, ut ita sine Baptismo forent quidem beati, & haberent vitam æternam, non tamen regnum cœleste. Tandem vero argumentis Catholicorum convicti, agnoverunt, Adamum, si non peccasset, non fuisse morti obnoxium, & ejus posteros contraxisse ab eo necessitatem corporalis mortis, non vero peccatum, quod est mors animæ. Priorem errorem etiam secuti sunt Albigenses & Anabaptistæ: posteriorem Zwinglius, Faber, Erasmus, & Sociniani. Rationes petunt I. ex S. Scriptura, ubi dicitur, quod filius non portabit iniquitatem patris, *Ezech.* 18. Sed sermo est de peccato personali patris proximi, non vero de originali primi parentis; & *v.* 26. nemo dicitur mori, nisi per peccatum actuale, quod iterum de Judæis circumcisis & ab originali mundatis dicitur; & *v.* 30. Deus solum protestatur, quod supposita deletione peccati originalis, Deus nolit judicare Judæos, nisi juxta opera sua. Rursus quando Apostolus *ad Rom.* 5. multos mortuos in Adamo dicit, omnes intelligit, uti *v.* 12. *in quo omnes peccaverunt*. Et quando ait, gratiam Christi in plures abundasse, quam de-

lictum Adæ *v.* 15. *plures* πολλὰς sumit pro multis, in quos Christi gratia magis abundavit, tollens non solum originale, sed etiam alia peccata actualia. *v.* 19. etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, id est, in infantes, qui actuali peccato, & voluntate propria non peccaverunt, mors regnasse dicitur; infantes autem considerati tamquam quid unum cum Adamo veluti capite motali generis humani, legis capaces sunt. II. Citant pro suo errore S. Chysostomum, qui *hom.* 11. *in* 1. *ad Cor.* docet, hominem non perire propter peccatum Adami, sed propter propria peccata. Et *hom.* 10. *in c.* 5. *ad Rom.* ait, ex illius inobedientia alium fieri peccatorem; quam poterit habere consequentiam? invenietur quippe nihil debere pœnarum, ut qui reus non sit, nisi ex seipso factus sit peccator. Et *hom.* 24. *in Ep. ad Eph.* dicit, quod primum peccatum solum corpus corrumpit. Et *hom.* 59. *in* 1. *ad Cor.* negat, omnes mori in Adam morte peccati. Verum in *hom.* 17. loquitur de baptizato, quem dicit non perire propter originale illi dimissum, sed propter personalia post Baptismum commissa. *Hom.* 10. respondet ad hanc objectionem Judæorum; inobedientia unius multi constituuntur peccatores, quæ consequentia? & eam solvit: sicuti ab uno Adamo peccante reatus derivatur in multos, scilicet originalis, quia mors ceu pœna transit in multos: ita ab uno Christo justitia in multos derivatur. *Hom.* 24. loquitur iterum de originali jam dimisso, ex quo sola necessitas moriendi remanet. *Hom.* 59. negat, omnes in Adam mori morte irreparabili, uti ex exemplis ab eo allatis patet. Optatus Milev. negat, peccatum actuale Adami in Seth transiisse. III. Dicunt, Adam egisse pœnitentiam; antequam ei proles nasceretur; ergo tunc non habebat peccatum in posteros tranferendum. Verum illa pœnitentia fuit Adami tamquam hominis privati, & de peccato, prout illi personale fuit, non prout erat peccatum capitis, cum jam tunc a dignitate capitis peccando excidisset. Vid. Illust. Bossuet *in defens. Trad.* Quæ autem ad tollendum peccatum originale systemata confinxerunt moderni nostri Sociniani, quia mera figmenta sunt, nec ulteriorem refutationem merentur: quis enim non rideat Grunerum, dum in suis *Inst. Th.* fingit, primos nostros parentes per esum veneniti in paradiso pomi naturam humanam corrupisse, absque eo, quod ad peccatum originale recurrere necesse sit?

§. 265. Peccatum originale non est ipsa substantia animæ rationalis ex peccato Adæ corrupta. Ita fides docet; nam Deus, qui creat animam rationalem, nequit esse auctor peccati originalis; quod tamen foret, si peccatum *Peccatum originale non est*

substantia animæ. hoc esset substantia animæ. Deinde per Baptismum deletur originale, & homo regeneratus eadem persona, ac idem individuum est, ac homo originali adhuc infectus. Ergo non deletur substantia animæ, & consequenter originale non est substantia animæ.

Schol. Matthias Illyricus Lutheranus docet, peccatum originale esse ipsam animam rationalem ex peccato corruptam: I. quia Adam peccando Divinam imaginem in anima perdidit, quæ in vi intelligendi & volendi, adeoque in substantia animæ consistit. Verum Adam Divinam imaginem solum perdidit, quantum ad characteres & ornamenta gratiarum, non vero quantum ad naturam intellectivam. II. Peccatum originale, *Gen.* 8. *v.* 21. vocatur figmentum cordis malum: *ad Rom.* 6. *v.* 6. vetus homo, quæ substantiam denotant. Sed hæc dicuntur metonymice, sumendo effectum seu desideria carnis peccati originalis, pro ipsa causa seu ipso originali.

Nec concupiscentia. §. 266. Concupiscentia non est formale peccati originalis. Ita de fide docet S. Scriptura, *ad Rom.* 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ergo concupiscentia in renatis manens non erit formale peccati originalis. Nec dicas, quod concupiscentia remanens ideo non sit culpa damnatione digna, quia ejus reatum pœnæ Deus in Baptismo dimisit. Nam Deus non dimittit pœnam, nisi culpa dimissa: sane si culpa adhuc adest, manet aliquid damnatione dignum, & renati per Baptismum, fiunt justi, amici, & filii Dei, cum quo non stat reatus culpæ. Unde Tridentinum *sess.* 5. *can.* 5. anathema dicit illi, qui asserit, per Baptismum non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet.

Solvuntur objectiones Lutheri. *Schol.* 1. Lutherani docent, peccatum originale non esse tantum defectum justitiæ originalis, sed etiam concupiscentiam pravam, hoc est habitualem totius naturæ dispositionem ad omne malum; & licet interveniente peccatorum remissione nobis non imputetur, est tamen in se malum morale, imputabile & damnabile. Imputabilia etiam & damnabilia sunt omnia desideria ex hoc habitu orta, licet non accedat noster consensus; hinc quamdiu hac concupiscentia laboramus, peccato sumus obnoxii. Probant hoc I. quia Apostolus vocat concupiscentiam peccatum. Sed hoc ideo solum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. II. Concupiscentia ante Baptismum est voluntaria. Verum sola voluntate capitis. III. Concupiscentia opponitur legi. Ast solum causaliter inclinando ad ejus transgressionem, quæ inclinatio non est a Deo, & odio ab eo habetur tamquam inductiva ad peccatum.

Schol. 2. Quærunt Scholæ, in quo sita sit peccati originalis essentia. Catharinus vult, esse ipsum actuale peccatum Adami, & unum in omnibus ejus posteris non intrinsece eis inhærens, sed eos extrinsece peccatores denominans. Verum hoc videtur non satis cohærere cum doctrina Tridentini, quod docet, peccatum Adami trans fundi in ejus posteros, illis inesse, & unicuique proprium esse. Durandus censet, illud consistere in reatu pœnæ. Sed reatus hic culpam supponit. Ariminensis putat, consistere in morbida qualitate transfusa ab Adamo in posteros. Ast nulla causa hujus qualitatis hoc modo assignari potest, nec apparet, quomodo a corpore in animam transeat. Nonnulli Thomistæ contendunt, consistere in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, tamquam ultimum finem. Sed quis hunc habitum producit, qui potius est effectus peccati originalis? Vera sententia nobis videtur, essentiam seu formale constitutivum peccati originalis consistere in privatione justitiæ originalis nobis voluntaria voluntate capitis. Nam originale a S. Scriptura, Patribus & Concilio Arausicano *can.* 2. & Tridentino *sess.* 5. *can.* 2. mors animæ & inimicitia Dei appellatur: ergo consistit in privatione illius doni, quo spiritualiter vivimus & amici Dei efficimur: sed hoc est gratia sanctificans, quæ est primus effectus justitiæ originalis: ergo in ejus privatione sita est peccati originalis essentia. Deinde peccatum habituale personale consistit in privatione gratiæ sanctificantis, prout est voluntaria voluntate propria personæ: ergo & originale in privatione ejusdem gratiæ, prout voluntaria voluntate capitis. Concupiscentia igitur potest dici quasi materiale, qualiter effectus ad suam causam solet comparari ut materiale ad formale. Non obstat huic sententiæ S. Thomas, quando privationem justitiæ originalis vocat pœnam peccati, & originale ægritudinem. Nam ibi hanc privationem spectat physice pro subtractione auxilii justitiam originalem conservantis, non vero moraliter prout est carentia formæ debitæ, & est voluntaria vi actualis peccati Adami. Vocat etiam ægritudinem, si spectetur secundum materiale, sive concupiscentiam, seu proclivitatem ad malum. Deinde per Baptismum redditur justitia originalis quoad primarium solum effectum, scilicet gratiam sanctificantem & dona eam subsequentia.

In quo consistat essentia peccati originalis?

Schol. 3. Traductio peccati originalis fit per hoc, quod anima connaturaliter uniatur corpori ex semine corrupto descendenti, quæ corruptio consistit in privatione illius vigoris, quem semen habuisset ad propagandam justitiam originalem, si Adam non peccasset. Quippe semen primi parentis prout instructum illo vigore, erat

Quomodo traducatur originale?

quasi instrumentum ad propagandam justitiam originalem: ergo destitutum hoc vigore erit quasi instrumentum ad propagandam carentiam justitiæ originalis. Porro si Adamo non peccante, Eva, vel aliquis ex posteris Adami peccasset; posteri non contraxissent peccatum originale, quia solus Adam caput morale totius generis humani constitutus fuit.

Omnes homines originale contrahunt.

§. 267. Omnes omnino homines ex Adam seminaliter propagati, secluso speciali privilegio, contrahunt peccatum originale. Quippe *ad Rom.* 5. dicitur: *In quo omnes peccaverunt*. Patet hoc etiam ex argumentis (§. 264.) allatis.

Excepta Beatissima Virgine Maria.

Schol. 1. Dictum est 1. omnes ex Adam seminaliter propagati, ut excipiatur Christus, qui non ex virili semine, sed mystico spiramine conceptus fuit. Dictum est 2. secluso speciali privilegio, quia de Beatissima Virgine mox agemus. 3. Communius docent Theologi, eum, qui ex humana carne miraculose formaretur, non contrahere originale peccatum, quia non descenderet ab Adam per seminalem propagationem. Unde Tridentinum sess. 6. c. 3. dicit: Nisi homines ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. Talis tamen homo baptizari deberet, non ut mundaretur ab originali, sed ut acciperet gratiam sanctificantem, fieret membrum Christi, & consequenter hoc modo jus ad regnum cœlorum.

Quæ sine labe originali concepta fuit.

Schol. 2. Beatissimam Virginem Mariam sine labe originali non esse conceptam, anno 1387. docuit Joannes de Montesono Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum. Sed ejus sententiam Universitas Parisiensis damnavit, cujus judicium Petrus de Ordeomonte Episcopus Parisiensis confirmavit. Ad Clementem VII. appellavit de Montesono; sed causa se casurum prospiciens, judicium declinare maluit, & Avenione elapsus, a suis etiam desertus fuit, qui publice palinodiam cantarunt. Circa annum 1431. tempore Concilii Basileensis de Immaculata Conceptione Theologi acerrime digladiabantur, & Patres Concilii de hac re mature acturi Joanni de Turrecremata mandarunt, ut suam pro veritate sententiam declararet. Paruit Synodo Turrecremata: sed cum Eugenius Concilium Ferrariam transtulisset, Turrecremata majorem Patrum sententiam secutus Basilea abiit; ii tamen, qui pervicaciter Basileæ remanserant, sess. 36. anno 1439. decreverunt, sententiam stantem pro Immaculata Conceptione B. V. esse piam, consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ, & ab omnibus Catholicis tenendam, nec licere contrarium prædicare vel docere. Hoc decretum editum fuit, quan-

do hoc Concilium non amplius erat legitimum; unde Sixtus IV. nulla facta hujus decreti mentione anno 1476. Constitutionem edidit, in qua Indulgentias iis concessit qui in Festo Concept. B. Virginis Missam & Officium a se approbatum recitarent, aut iis interessent. Alteram rursus edidit anno 1483. in qua eos damnat, qui ausint affirmare, eum lethaliter peccare, qui hoc Festum celebraret; aut hæreticum esse, qui propugnaret, B. Virginem ab originali immunem fuisse. Uti patet ex *Extrav. com. de Rel. & Ven. SS.* Huic Constitutioni forte ansam dedit disputatio a Vincentio de Brandelis O. Præd. Ferrariæ habita, in qua Immaculatæ Conceptioni B. V. contradixit. Decretum Concilii Basileensis amplexa est quædam Synodus Avenionensis anno 1457. & Universitas Parisiensis. Trithemius etiam anno 1494. in *Comment. de laudibus S. Annæ* Immaculatam Conceptionem B. Virginis propugnavit, cujus opinionem Universitas Parisiensis, Coloniensis, Ordo Carmelitarum, Minorum, plures Cardinales, Archi & Episcopi defenderunt. Imo Universitas Parisiensis anno 1497. decretum edidit, ne quis deinceps Doctoris gradum consequeretur, qui huic sententiæ non faveret, & edito juramento se non astringeret, se eam strenue propugnaturum, & sic contrariam sententiam falsam, impiam & erroneam esse censuit. Tandem tempore Concilii Tridentini tractatus de Turrecremata hucusque delitescens editus fuit, & licet Patres Tridentini Immaculatæ Conceptioni faverent, noluerunt tamen contrariæ opinioni præjudicium afferre, sed in decreto de peccato originali observandas esse Constitutiones Sixti P. IV. sub pœnis in eis contentis edixerunt. Recrudescente vero eadem hac controversia S. Pius V. anno 1570. Constitutionem edidit, ubi graves in eum pœnas statuit, qui vel in Concionibus vel publicis conventibus alterutram opinionem auderet attingere: viris tamen doctis de hac re in publicis disputationibus absente scandalo disputandi licentiam dedit, absque eo tamen, ne quis in hac re ab Apostolica Sede necdum definita, alterutram sententiam auderet notare velut erroneam. Omnia hæc confirmavit Paulus V. anno 1616. & anno 1617. vetuit, ne quis deinceps in Concionibus, Lectionibus & Thesibus aut aliis actis affirmare auderet, Beatissimam Virginem in originali conceptam esse, quin tamen contrariæ opinioni præjudicium inferre velit. Gregorius XV. anno 1622. constituit 1. eum, qui in actis publicis sustinet Immaculatam Conceptionem, contrariam sententiam impugnare non debere, sed de ea silere. 2. Ut novis exortis opinionibus in Christiano populo, quod in privatis conventibus propugnata fuisset opinio Immacu-

latæ Conceptioni adversa, ne in privatis quidem actibus liceret eam defendere, exceptis Fratribus Ord. Præd. 3. Ut in officio Ecclesiastico Conceptionis B. V. nemo sive privatim sive publice alio, quam Conceptionis titulo sine addito uteretur. Tandem Alexander VII. anno 1661. graves pœnas in eum statuit, qui sententiam, cultum, Festum Conceptionis in dubium vocare auderet, aut quovis prætextu obterere: vetat tamen dicere, contrarium tenentes hæresis crimen, vel peccatum mortale incurrere, neque hanc controversiam vult decidere; sicuti etiam Hispaniarum Reges Philippus III. apud Paulum V. & Philippus IV. apud Gregorium XV. pro definienda hac controversia nihil obtinere potuerunt. Ex his patet, nondum esse de fide, Beatissimam Virginem non contraxisse peccatum originale: licet enim Ecclesia celebret Festum Conceptionis B. V. hoc tamen non celebrat qua immaculatæ, sed qua gaudiosæ, quia tunc primum pignus redemptionis accepimus. Unde Gregorius XV. præcepit, ut in Missa & Officio non dicatur, Conceptio Immaculata, sed simpliciter, Conceptio: & in Constitutionibus Pontificum verba, Immaculata, Intemerata, referuntur ad Beatissimam Virginem: imo cum verba Clementis XI. ut Festum Conceptionis B. M. V. Immaculatæ de præcepto observetur, in quadam Italiæ urbe ita imprimerentur: ut Festum Immaculatæ Conceptionis &c. idem Clemens 1709. Ordinario loci præcepit, ut severe eum reprehenderet, qui verba adulterari præsumpsit, & illam editionem supprimeret. Deinde licet sub titulo Immaculatæ Conceptionis B. V. Festum celebraretur, non sequitur, quod ipsum mysterium tamquam de fide certum Ecclesia statuat: potest enim Ecclesia Conceptionem Immaculatam religiose ac pie colere & colendam proponere ex sola certitudine morali, & prudenti judicio, quod tali cultu digna sit, quin res ipsa tamquam de fide certa statuatur. Nihilominus est sententia moraliter certa, Catholicæ plebis, & omnium Catholicarum Academiarum communis, & Sedis Apostolicæ argumentis apertis innixa, Beatissimam Virginem Mariam nunquam contraxisse peccatum originale, cujus hanc rationem profert Scotus: Beatissimam Virginem sine originali peccato conceptam fuisse, potuit Deus facere; & hoc redundat in honorem Filii, ac cedit in majorem Matris Dei perfectionem, nec ratio, nec S. Scripturæ vel Ecclesiæ auctoritas obstat; adeoque voluit Deus; ergo fecit. Deinde Beatissimam Virginem, etsi nunquam peccati mancipium fuerit, Jesus Christus redemit: perfectus autem Redemptor fuit, cujus partes erant, aliquem perfecte redimere, id est, ab omni pœna: cum

verò carere Dei gratia vel momento temporis, sit gravissima pœna, decebat, ut esset aliqua creatura, nec sane alia, quam sanctissima Dei Mater, quæ ne quidem puncto temporis esset Deo invisa, sed per Christi merita quolibet momento ab omni culpa & odio Dei libera; adeoque sine originali concepta, quod postulabant tria Christi attributa perfectissimi Pacatoris, Mediatoris, & Benefactoris. Non obstat I. quod *ad Rom.* 5. omnes in Adam peccasse dicantur: nam solum sequitur, omnes peccasse quoad debitum, non vero quoad actualem incurrentiam, adeoque omnes in sensu accommodo, non absoluto. Eodem modo Christus pro omnibus mortuus est, non quod omnes essent peccatores actu, sed debito & exigentia. Non obstat II. quod Beatissima Virgo prodierit ex semine corrupto; nam corruptum solum fuit, si spectemus conceptionem materialem, non vero si formalem & gratiam attendamus. Non obstat III. quod sic Beatissima Virgo redempta non fuisset: redempta enim fuit non redemptione liberativa, sed præservativa: redemptio quippe non semper actualem captivitatem supponit, sed sufficit debitum eam incurrendi.

Schol. 3. Quærunt ulterius Scholæ, an Beatissima Virgo habuerit debitum proximum contrahendi peccatum originale. Respondetur communius affirmative, tum quia alias non fuisset proprie a Christo redempta, utpote non comprehensa sub objecto redemptionis, scilicet sub peccato Adami, quatenus est peccatum naturæ: tum quia si Adamus non peccasset, Beatissima Virgo habuisset jus accipiendi justitiam originalem: ergo quia Adamus peccavit, illa habuit debitum contrahendi originale, eo ipso, quod descenderit a semine corrupto destituto vigore justitiæ originalis propagativo. Certe eo ipso quod Beatissima Virgo ex speciali privilegio ab originali præservata fuerit, supponitur, eam sub lege comprehensam fuisse. Nec obstat I. pro Beatissima Virgine legem illam latam non fuisse: nam pro ea quidem lata non fuit quoad executionem, bene vero quoad obligationem. Non obstat II. quod debitum proximum sit saltem umbra peccati, quæ Matrem Dei non decet. Nam est umbra peccati inficientis naturam, non personam, nec est coactio ad peccatum contrahendum, sed tantum ad ejus debitum. Unde etiam Beatissima Virgo nunquam fuit sine gratia quoad personam, sed solum quoad naturam, quæ tamen denominatio fuit mere extrinseca. Non obstat III. quod B. V. non habuerit fomitem: ergo nec debitum proximum, quod vilius est. Verum hoc falsum est; fomes enim inclinat ad peccatum, ita ut simul supposito inhæ-

Quæ tamen debitum proximum illud contrahendi habuit.

reat intrinsece; debitum vero proximum solum extrinsece denominat.

Licet votum sanguinarium pro tuenda Immaculata Conceptione B. V.

Schol. 4. Ordinis Militaris S. Georgii Equites juramento se obstringunt, se se vitam & sanguinem pro defensione Immaculatæ sine labe originali Conceptionis B. V. profusuros. Contra hoc juramentum & votum sanguinarium pugnat Muratorius, seu Lamindus Pritannus *de ingen. moderat. in Relig. neg. l. 2. c.* 6. vocatque illud pervicaciam. Verum hoc juramentum & votum sanguinarium esse licitum, patet 1. ex eo, quia Sedes Apostolica hunc Ordinem Equitum hoc juramento se obligantium approbavit. 2. Certa est Romanorum Pontificum & Ecclesiæ propensio in sententiam, Beatissimam Virginem esse sine labe originali conceptam; unde hæc sententia est magis probabilis, magis pia, & moraliter certa: ergo licet pro ea defendenda mortem oppetere. Quippe pro exercenda virtute licet mori: sed qui prudenter existimat, sibi certam esse hanc veritatem de Immaculata Conceptione B. V. exercet virtutem, dum judicio moraliter certo, & veritati ad majorem Dei gloriam pertinenti assentitur: ergo licet non teneatur pro ea mori, potest tamen se juramento obligare, ut pro ejus defensione moriatur, quia hoc modo juramentum est de re licita, & majori bono virtutis. 3. Ecclesia laudat illos Sanctos, qui a Tyrannis occisi fuerunt, quia omittere nolebant actum alicujus virtutis, a quo tamen cessare poterant, uti Virgines, qui maluerunt mori, quam nubere: cum igitur sententia de Immaculata Conceptione sit magis pia, quam contraria, licet eam pro vitanda morte quis sequi possit, licitum est juramentum, pro ejus defensione sanguinem profundendi. Notat tamen Benedictus XIV. in opere *de Canoniz.* hominem pro hac sententia morientem non fore Martyrem, quia moritur pro veritate nondum ab Ecclesia de fide definita, adeoque deest causa ad Martyrium requisita. Hinc Theophilo Raynaudo talem verum Martyrem esse asserenti silentium a Sede Apostolica fuit impositum. Hoc idem, scilicet talem Martyrem non fore, evincit Muratorius suis rationibus.

Per peccatum Adam justitiam originalem perdidit.

§. 268. Natura humana per peccatum Adæ justitia originali, gratia sanctificante, virtutibus & donis supernaturalibus spoliata fuit. Patet ex Concilio Arausicano can. 2. & Tridentino sess. 5. can. 1. anathema illis decernente, qui dixerint, primum hominem per peccatum non amisisse sanctitatem, & justitiam, in qua conditus fuerat: sed Adami peccatum in posteros ejus & totam naturam humanam traducitur (§. 264.): ergo illa ju-

stitia originali &c. per illud spoliata fuit. Hinc *ad Rom.* 5. *v.* 23. dicuntur omnes peccasse, & carere gloria Dei. Per idem peccatum natura humana vulnerata fuit in potentiis naturalibus; & quidem vulnere ignorantiæ, quo hebetatur ratio ad cognoscendum verum: vulnere malitiæ, quo retardatur voluntas a prosecutione boni honesti: vulnere concupiscentiæ, quo appetitus concupiscibilis immoderate fertur in bonum delectabile rationi contrarium: vulnere infirmitatis, quo irascibilis torpet ad prosecutionem boni ardui. Ita PP. colligunt ex parabola hominis descendentis a Jerusalem in Jericho, *Luc.* 10.

§. 269. Mors corporis, ignorantia, concupiscentia, pudor nuditatis, morbi & reliquæ hujus vitæ miseriæ sunt consequentiæ & pœnæ lapsus humani & peccati originalis. De Morte 1. patet, *Gen.* 2. *v.* 17. ubi Deus Adamum ita allocutus est: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, Hebr. מות תמות *moriendo morieris*: Targum: *eris reus mortis*: Symachus: *mortalis eris*. Quod autem hoc de morte corporis intelligatur, patet ex illo: *Terra es, & in terram ibis*. Nec potest dici cum Socino, *Gen.* 3. *v.* 17. declarari solum, mortem non esse pœnam peccati, sed terminum, ad quem pœna duratura est: vel intentari mortem tantum violentam seu immaturam. Nam ex dictis liquet, quod de morte proprie dicta, & non violenta loquatur. *Pœnæ peccati originalis.*

2. Ignorantia est pœna peccati; nam hanc sanat gratia Christi per mentis illuminationem: ergo est vulnus & pœna peccati. Item Adamus ante lapsum animantibus nomina propria sine difficultate imposuit, quod nos nonnisi post laboriosa studia possumus.

3. Concupiscentia est pœna peccati. Sic Apostolus *ad Rom.* 7. *v.* 23. gemit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. *Jac.* 1. *v.* 14. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*. Cum ergo concupiscentia pugnet cum bono, cum ad peccatum inclinet, malum, adeoque pœna peccati est.

4. Pudor nuditatis est pœna peccati. Nam *Gen.* 2. *v.* 25. Adam & Eva nudi non erubescebant: post peccatum vero aperti sunt oculi eorum, scilicet, ut turpis nuditatis pudore afficerentur, & ideo ad eam tegendam ex foliis ficus consuerunt sibi perizomata חגרת lumbaria, subligacula, *Gen.* 3. *v.* 7.

5. Morbi & reliquæ hujus vitæ miseriæ sunt pœna peccati; illis enim homo in statu innocentiæ subjectus non fuisset.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Pelagiani negant, mortem, ignorantiam, concupiscentiam, & pudorem nuditatis esse pœnam peccati, quibus subscribunt Sociniani I. Quia mors homini naturalis est. Verum immortalitatem homini concessam ex gratia fuisse in statu innocentiæ §. 259. diximus. II. Ignorantia in Adamo non fuit ante lapsum, sed seductus fuit, postquam per superbiam jam peccaverat. III. In statu innocentiæ concupiscentia & libido ita voluntati subdita fuisset, ut nunquam posset sollicitare nolentem, ita ut sine omni noxia cupiditate illa homo uteretur, sicuti manibus & pedibus. IV. Concupiscentia non est naturalis appetitus, sed addit inordinationem, qua rationem antevertit, eique repugnat.

Omnibus moriendum est. §. 270. Omnibus hominibus moriendum est. *Ps.* 88. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? ad Hebr.* 11. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Hæc verba in generali sensu accipere nihil prohibet. Ergo de omnibus sunt accipienda. Deinde sententia mortis lata est in omnes Adæ posteros. Ergo in omnibus executioni mandabitur. Utrumque affirmat Apostolus, 1. *ad Cor.* 15. *v.* 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & omnes in Christo vivificabuntur.* Accedit S. Thomas, qui *in c.* 15. *Ep. ad Cor.* 1. *lect.* 8. ait: *Licet hæc littera, scilicet, non omnes moriemur, non sit contra fidem; tamen Ecclesia magis acceptat primam, scilicet, quod omnes moriemur, sive resurgemus.*

An aliqui non sint morituri? *Schol.* Cajetanus docet, non omnes omnino homines morituros, & morte mediante ad beatitudinem perventuros. I. Quia Henoch translatus est, ne videret mortem, *ad Hebr.* 11. quod idem de Elia certum est. Verum translatus est Henoch, ne videret eo tempore mortem, quo alii videre solent, non vero ut penitus evaderet. Nam constans est omnium fidelium sensus, quod Henoch & Elias crudelitatis Antichristi sævitiam in sua adhuc mortali carne sint passuri. II. *Num.* 16. Dathan & Abiron dicuntur vivi in infernum descendisse. Et *Apoc.* 19. de Antichristo, & ejus pseudo-propheta dicitur, quod vivi missi sint in stagnum ignis. Sed Dathan & Abiron vivi ad gehennam non pervenerunt, quia terra se occludente suffocati sunt: & Antichristum Dom. Jesus Christus interficiet Spiritu oris sui. III. 1. *ad Cor.* 15. *v.* 51. ubi nos legimus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* Græci codices habent: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Consentiunt versiones Syriaca & Arabica, & videtur hæc lectio Vulgatæ præferenda, tum quia Apostolus in toto hoc capite de resurrectione bonorum tractat, non vero de illa malorum, quod tamen foret, si legeremus: *omnes*

resurgemus: tum quia Apostolus agens de reprobis nunquam utitur verbo in prima persona, sed in tertia; unde dixisset: *omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur*. Verum lectio Vulgatæ cum pluribus Codicibus græcis retinenda est, & juxta citatam etiam lectionem sensus est: *non omnes dormiemus*, id est, non diu mortis somno tenebimur, illi scilicet, qui vivent in adventu Domini: non autem dicitur: *non omnes moriemur*, ita scilicet, ut nonnulli brevi iterum resurgant. Deinde Apostolus non raro de bonis æque ac malis in prima persona disserit, uti *ad Rom.* 14. *Omnes stabimus ante tribunal Dei*. IV. 1. *ad Thess.* 4. postquam dixit Apostolus: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, ait: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis*. Ubi innuit, eos, qui adveniente Christo in extremo judicio vivent, mortuis resurgentibus consociandos, & in regnum Christi transferendos esse. Sed respondet S. Augustinus *l.* 20. *de Civ. c.* 20. quod rapiendi cum Christo in aera in ipso raptu, vel ante raptum per ignem conflagrationis morituri sint. V. In symbolo profitemur, venturum Judicem vivorum & mortuorum. Ast per vivos intelliguntur ii, qui nunc vivunt, & in posterum vivent, vel ii, qui vivent judicii signis jam apparentibus, & deinde morientur.

§. 271. Peccati originalis pœna post mortem præcipua est pœna damni, seu privatio vitæ æternæ, sive visionis beatificæ. Ita Tridentinum innuit, sess. 5. can. 4. 5. Et Innocentius III. *in c. Majores, de Bapt.* definit: Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei. Ratio est: natura humana per peccatum Adæ privatur justitia originali & gratia sanctificante (§. 268.). Ergo etiam visione intuitiva, quia hæc tamquam actus vitalis supernaturalis essentialiter præsupponit gratiam tamquam principium radicale vitæ supernaturalis, sicut operatio vitalis naturalis animam. ***Pœna peccati originalis post mortem.***

Schol. Ex his certum est de fide, etiam infantes cum solo originali morientes in cœlum venire non posse, & pati pœnam damni. Sed quæritur in Scholis, utrum etiam aliquam pœnam sensus in inferno sustineant. P. Berti cum S. Augustino *serm.* 14. *de verb. Apost. c.* 3. putat, eos plecti aliqua etiam pœna sensus, licet in comparatione adultorum mitissima: tum quia in S. Scriptura absolute dicitur, collocandos in extremo judicio ad sinistram ituros in ignem æternum: tum quia parvuli puniuntur pœna damni, quæ gravior est: ergo etiam pœna sensus. Alii cum S. Thoma *q.* 5. *de malo, a.* 2. docent, parvulos cum solo originali decedentes non pati pœnam sensus; tum quia pœna sensus solum respondet ***An infantes pro peccato originali pœnam sensus patiantur?***

peccatis actualibus, *Apoc.* 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Item *Matth.* 25. *Marci* 9. tum quia Innocentius *in c. Majores de Bapt.* ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus:* et S. Greg. Naz. *or.* 20. ait, hos parvulos supplicio non affici; tum quia pœna sensus non est proportionata & debita culpæ originali, utpote quæ non est per voluntatem personæ, sed naturæ, & in qua non est conversio ad bonum commutabile, sed sola aversio a Deo, seu privatio justitiæ originalis. Docent ulterius hi auctores, hos parvulos nullum dolorem & tristitiam percipere ex privatione visionis beatificæ, quia non cognoscunt beatitudinem supernaturalem, & ad illam non sunt proportionati: non tamen erunt beati beatitudine naturali, quæ nequit stare cum aversione a Deo, ut Auctore naturæ, a quo tamen, sicut Adam, per peccatum originale sunt aversi. Nobis probabilius videtur, eos tristari ob amissam beatitudinem, quia non est verosimile, eos ignorare, se propter peccatum excludi a cœlo, quia ratio naturalis dictat, eum, qui punitur, conscium debere esse peccati, alioquin videretur ei pœna injusta. Quantum ad pœnam sensus, nihil de ea definiri potest, quia Deus circa hoc voluntatem suam nec in S. Scriptura, nec in Traditione nobis revelavit. Hinc cavendum est, ne Concionatores opiniones Scholæ ceu fidei dogmata proponant: experientia enim constat, fideles ægre audire, parvulos sine Baptismo mitti in ignem æternum, & propter tales sermones scandala oriri in Ecclesia. Potest tamen quis data occasione prudenter uti hac opinione, scilicet pœna sensus puniri hos parvulos, contra matres, quæ ex negligentia, vel alio modo eos in utero suffocant, vel præmature effundunt. Altera vero benigna Thomistarum sententia uti quis posset, ut leniat dolorem illarum matrum, quæ acerbius lugent, liberos suos sine Baptismo absque sua culpa decessisse.

Adamus de peccato suo pœnitens æternam salutem obtinuit.

§. 272. Adamus ob patratum a se crimen pœnitentiam egit, & salutem æternam consecutus est. Docet hoc S. Scriptura, *Sap.* 10. *v.* 1. & 2. *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Ita etiam tradunt PP. S. Irenæus *l.* 3. *contra hæreses c.* 34. pluribus argumentis Tatianum refutans. Eumdem Tatiani errorem damnat Tertullianus *l.* 2. *contr. Marcion.* & Origines *hom.* 35. *in Matth.* Item S. Athanasius *l. de Pass. & Cruce Dom.* S. Augustinus *Ep. ad Evod.* & alii communiter. Rationes has profert S. Irenæus, quia Deus non

maledixit Adamo & Evæ; sicut serpenti, sed eis salutis spem dedit, facta promissione Christi Redemptoris, per quem mulier Deiparæ typus serpentis caput conterere debebat. Deinde quia asperis perizomatis primi parentes se induerunt; ulterius, quia alias bonus Pastor ovem centesimam perditam non invenisset. Denique quia gloriari posset diabolus, se a Christo devictum non fuisse, si primi parentes ab ejus captivitate non essent liberati. Quare etiam multi cum S. Cypriano *tr. de resurr. Christi*, Origene *in Matth. tom.* 35. & S. Epiphanio &c. tradunt, Adamum ibi sepultum fuisse, ubi Christus crucifixus est.

Solvuntur objectiones.

Schol. Tatianus a. 172. & post eum Encratitæ Adamum salutem æternam consecutum esse negarunt. I. Quia illud *Sap.* 10. *Dedit illi virtutem continendi omnia*, nullum certum sensum facit, cum præter Christum nullus hac virtute sit præditus. Item in multis Codicibus legitur: *Et eduxit illum de limo terræ*; non vero: *de delicto suo*. Verum lectio Vulgatæ juxta plures Codices græcos & latinos retinenda est. Illud vero: *dedit illi virtutem continendi omnia*, non omnipotentiam, sed dominium rerum terrenarum demonstrat; nam in Græco legitur: *κρατῆσαι πάντων dominari omnibus*. II. 1. *ad Cor.* 15. *v.* 22. Apostolus novum Adam veteri opponit: sicuti ergo in novo omnis salus, ita in vetere omnis damnatio. Sed ibi Apostolus de morte & resurrectione corporum agit. III. Rupertus de salute Adæ dubitat; & S. Bernardus *l. de modo beate vivendi*, ait: *Adam in infernum cecidit*, *quia inobediens fuit*; & Gelasius P. librum *de pœnitentia Adæ* inter apocrypha recenset. Verum Rupertum, qui floruit sæculo duodecimo, nonnulli excusant, quasi non suam, sed aliorum sententiam retulerit. Interim quia aperte dicit: *Salvatio ejus & a multis libere negatur*; *& a nullo satis firmiter defenditur*; excusari potest ex eo, quod non satis illi constaret de auctoritate libri Sapientiæ, de qua olim dubitabatur. Liber *de modo bene vivendi* non est S. Bernardi, & illud: *in infernum cecidet*, ad reatum inferni referri potest. Gelasius denique certum librum, non vero ipsam Adami pœnitentiam, reprobavit.

C A P U T V.

De Incarnatione Verbi Divini.

Incarnatio quid?

§. 273. Cum homo a lapsu suo resurgere, & condignam Deo offensio pro peccato suo satisfactionem propriis viribus præstare non posset, sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret propitiationem

pro peccatis nostris. Qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus per Incarnationem, quæ est unio personalis seu hypostatica naturæ Divinæ ac humanæ in una Verbi Divini Persona, ex qua unus est Christus.

Est possibilis. §. 274. Incarnari Filium Dei seu Verbum Divinum possibile esse, patet ex dictis S. Gabrielis hoc mysterium B. Virgini annuntiantis, *Luc. 1. v. 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Imo nulla hujus implicantia ostendi potest, uti mox patebit.

Solvuntur objectiones Judæorum. *Schol.* Gentilibus Crux Christi stultitia, Judæis scandalum visa fuit. Deistis & Socinianis Incarnatio impossibilis videtur ex sequentibus motivis: I. Si Verbum Divinum incarnaretur ob novam denominationem intrinsecam ex unione cum humanitate supervenientem, non solum in humanitate, sed etiam in Verbo Divino mutatio fieret, quod implicat. Verum cum Verbum Divinum uniatur humanitati, tamquam terminus eam perficiens, nullam in Verbo mutationem ponit, & nova denominatio, quam Verbum accipit, non supponit novam formam intrinsece ab eo receptam, sed tantum terminationem a Persona nobiliori, quæ humanitatem perficit. Hinc Divinitas & Humanitas non sunt proprie partes suppositi Christi, quia non se mutuo complent, sed sola humanitas perficitur. II. Si Verbum incarnaretur, etiam Pater & Spiritus S. incarnati dici possent, tum quia habent unam & indivisam naturam, tum quia opera SS. Trinitatis ad extra sunt indivisa, & ad tres Personas pertinent. Sed cum unio in Incarnatione non sit facta in natura Divina, sed in persona, in qua ob mutuam oppositionem tres Personæ sunt distinctæ; Pater & Spiritus S. incarnati dici non possunt. Deinde Incarnatio, quatenus est naturæ humanæ productio & conservatio, est a tota SS. Trinitate efficienter: quatenus vero est formalis unio cum aliqua Persona, formaliter est solius Verbi, quod solum naturam humanam per suam propriam subsistentiam terminavit. III. Humana natura propria subsistentia spoliari nequit, tum quia subsistentia a substantia non distinguitur: tum quia alias natura humana Christi non esset tota & completa: tum quia implicat, Christum existere existentia aliena, & intelligere intellectione aliena. Ergo nec ejus humana natura subsistere potest subsistentia aliena. Ast subsistentia a substantia saltem tamquam modus naturam ultimo terminans, & alteri supposito incommunicabilem reddens distinguitur: res vero sine suo modo integra subsistere potest. Hinc natura humana in Christo non est quidem completa & integra integritate personæ, quæ per Perso-

nam Verbi modo nobiliori suppletur & fit perfectior; est tamen integra integritate naturæ. Denique quia existentia est id, per quod res est extra nihil, & fit apta ad agendum & patiendum, nequit aliquid existere existentia aliena. At propria subsistentia non est id, per quod necessario natura fiat singularis persona, unde illa carere potest, si in unitatem suppositi Divini assumatur, a quo perficitur & suppletur. Sic etiam intellectio est actio vitalis, quæ necessario a principio proprio interno profluere debet: subsistentia vero est merus naturæ terminus & complementum, quod suppleri potest. IV. Non est proportio inter naturam humanam & Divinam. At solum quoad entitatem, non verò quoad unionem.

§. 275. Incarnatio etiam est conveniens Deo, homini, totique universo, & Verbo Divino magis, quam Patri & Spiritui Sancto. Et 1. quidem Deo, cui tamquam bono infinito maxime convenit, ut se diffundat modo præstantissimo (§. 115.): sed hic modus est per Incarnationem: ergo convenit Deo. Deinde Deus vult manifestare suas perfectiones (§. 105.). Sed has in Incarnatione quam maxime manifestat: Omnipotentiam, dum duas naturas tam distantes intime conjugit sine ulla permixtione, servatis cuique suis proprietatibus: Sapientiam, dum justitia Divina cum misericordia reconciliatur, & peccatum, quo dæmon ad perdendum hominem usus est, fit occasio; qua Deus ad salvandum hominem utitur: Bonitatem & misericordiam, qua Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: Justitiam, quæ tam severas de Christo pœnas pro nostris peccatis repetiit. *Est conveniens Deo.*

2. Incarnatio conveniens fuit homini totique universo ob innumera beneficia ex ea orta, quæ sunt gratia sanctificans, peccatorum remissio, gloriæ adeptio, doctrina cœlestis, liberatio a servitute dæmonis, virtutum omnium exemplum, naturæ nostræ exaltatio, ejusdem reparatio, & facilis ad Deum accessus.

3. Congruum magis fuit, Verbum Divinum incarnari, tum ne appellatio Filii in aliam Personam SS. Trinitatis transiret: ita Gennadius *de Dogm. Eccl. c.* 2. tum quia conveniebat hominem per Verbum reparari, a quo conditus fuerat: ita S. Leo *Serm.* 12. *de pass.*

§. 276. Licet autem Mysterium Incarnationis possibile esse negative demonstrari possit, eo ipso quod a contrariis argumentis ejus impossibilitas vindicetur (§. 274. Schol.); sola tamen ratione naturali ante revelationem evidenter demonstrari nequit. Hinc *ad Col.* 1. *v.* 26. Incarnatio dicitur Mysterium, *quod absconditum fuit a sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum* *Possibilitas Incarnationis ratione naturali evidenter demonstra-*

vi necquit. *est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus*. Et *Matth.* 16. *v.* 17. Christus S. Petro se Deum profitenti ait: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*. Ita etiam præter alios Patres docet S. Augustinus de hoc Mysterio *Ep.* 137. ita loquens: *Si ratio hic quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigare non posse.* Ratio est: Mysterium Incarnationis nequit demonstrari a priori per sui causam; nam causa ejus efficiens est Divina voluntas, cujus nulla ratio a priori reddi potest: causa formalis est ipsa unio Personalis Verbi cum humanitate, de qua quæritur demonstratio. Nec potest evidenter demonstrari a posteriori per effectus naturales; nam nulli habent necessariam cum hoc Mysterio connexionem.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Nihil evincunt rationes contra hanc communem sententiam Theologorum afferri solitæ. Nam I. Mysterium quidem Incarnationis est evidenter credibile, quia evidentia credibilitatis petitur a testimoniis extrinsecis omnino evidentibus; nec tamen demonstratur evidenter possibile, quia possibilitas petitur ab intrinsecis rei principiis non repugnantibus, quod in hoc Mysterio solo naturæ lumine ob obscuritatem non innotescit. II. Homo naturaliter cognoscit, Deum omnia posse; ergo etiam posse conjungere humanam & Divinam naturam in una Persona Verbi. Sed solo naturæ lumine hoc non innotescit, cum natura a subsistentia realiter absolute non distinguatur, adeoque sequeretur naturam seipsa spoliari, cum modus seu subsistentia naturaliter ab ea abesse non possit. III. Patres possibilitatem Incarnationis probant variis exemplis rerum naturalium non efficaciter, sed pro rudibus. Sic exemplum rami trunco inserti denotat unitatem quantitatis, non vero suppositi: ignis est in ferro tantum localiter: cogitatio in voce velut signo: anima ordinata est ad componendum cum corpore unum hominem; natura vero humana & Divina ad unionem per se non sunt ordinatæ.

Angeli ex revelatione hoc Mysterium didicerunt. §. 277. Quia igitur Mysterium Incarnationis ex sola revelatione cognosci potest, hinc etiam Angeli boni hoc mysterium ex revelatione Divina didicerunt. Sic *ad Hebr.* 1. *v.* 6. ait Apostolus: *Cum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Item S. Gabriel illud beatissimæ Virgini *Luc.* 1. *v.* 31. nuntiavit; & Jesum recenter natum festis plausibus Angeli celebrarunt, *Luc.* 2. *v.* 10.

An dæ- *Schol.* Dæmones aliquando dubii & anxii fuisse viden-

tur circa Christi Divinitatem; nam *Matth.* 4. *v.* 3. dæmon sollicite omnes vias scrutatur, ut Christum Deum agnoscat. Aliquando tamen Christi Divinitatem prædicarunt, uti *Marci* 1. *v.* 24. sive deinde conjecturaliter, sive certo cognoverint. Eam tamen ex miraculis Christi facile agnoscere potuissent, nisi a Deo impediti fuissent.

mones cognoverint?

§. 278. Adamo etiam Mysterium Incarnationis revelatum fuit, quando illi Messias promissus fuit, *Gen.* 3. *v.* 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Alloquitur hic Deus serpentem, vel potius diabolum seductorem, & dicit: *inimicitias ponam inter te, & mulierem,* scilicet B. V. Mariam, *& semen tuum,* scilicet alios diabolos principi diabolorum subjectos, vel Antichristum *& semen mulieris,* nempe Christum, *& ipsa* per Christum *conteret caput tuum:* ubi LXX. legunt αὐτὸς, ipse scilicet Christus conteret caput tuum, utpote, qui propria virtute diabolum vicit, & si hic insidiatus fuerit calcaneo ejus, nempe fini vitæ, faciendo, ut Christus a Judæis occideretur. Melius tamen retinetur vox, *Ipsa,* nam ly היא sine punctis legi potest הוא & היא *ipsum, ipsa:* imo Bellarminus testatur *l.* 2. *de verbo Dei c.* 12. se vidisse Exemplar Hebraicum, ubi legitur היא. Deinde ita legit Ecclesia primitiva, Josephus *l.* 1. *ant. c.* 3. Versio Arabica, S. Chrysostomus *hom.* 17. *in Gen.* SS. Ambrosius, Augustinus &c. & D. Calmet citat exemplar græcum, ubi legitur: *ἄυτησυ τηρήσει κεφαλλω: Ipsa conteret caput tuum.*

Adamo revelata est Incarnatio.

Schol. Carpovius & cæteri Protestantes contendunt in citato mox textu legendum esse, *Ipse,* 1. quia verbum ישופ *conteret,* & suffixum תשופנו *calcaneo ejus,* sunt generis masculini. Verum notandum est, quod tam in verbo, quam in suffixo sit enallage, sicuti *c.* 2. *v.* 23. אשה יקרא *vocabitur virago,* ubi verbum est generis masculini. Et *Exodi* 2. *v.* 17. ויגרשום *& ejecerunt eas.* Ubi suffixum est generis masculini. Apposuit autem Moyses ad ly *Ipsa* verbum masculinum, ut ostenderet, Deiparam non sua, sed virtute Christi superaturam serpentem. 2. Per ly אשה *mulierem,* intelligitur fœmina in communi, vel Eva. Sed quia hæc vox contrahitur per articulum *ha* ה nequit significare fœminam in communi, quæ nequit esse mater seminis singularis. Nec intelligitur Eva, quia ejus filii potius dicendi essent semen viri; Messias autem dicitur semen mulieris, utpote ex Virgine sine semine virili nasciturus. Cæterum sive legamus *Ipsa,* vel *Ipse,* vel *Ipsum,* semper verum manet, promitti hic Messiam, qui caput serpentis moraliter contrivit, adimendo illi po-

testatem dominativam in homines, & omnino illum conteret, *Apoc.* 20. *v.* 9. Vid. R. P. Zinck *in diss. de hac re a.* 1768. edita, qui licet lectionem, *Ipse*, cum Cl. P. Smits defendat, hanc tamen controversiam doctissime pertractat.

Promissio futuri Messiæ Abrahæ facta fuit. §. 279. Promissio & revelatio futuri Messiæ Abrahamo itidem facta fuit, *Gen.* 22. *v.* 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ:* ubi quidem in Hebraico habetur sic: התברכו *in hithpael*, *benedicent sibi ipsis in semine tuo*. *Genesis* tamen 18. *v.* 18. legitur: נברכו *benedicentur*, *in Niphal*. Loquitur hic Deus de aliquo ex posteris Abrahæ, in quo omnes gentes benedicentur. Sed hic est Messias; qui solus hanc benedictionem impertiri potest. Ergo loquitur de Messia. Sicuti etiam hanc promissionem Abrahæ factam testatur B. Virgo Maria, *Luc.* 1. *v.* 55. Zacharias, *Luc.* 1. *v.* 73. & S. Petrus, *Act.* 3. *v.* 25. 26.

Item Jacobo Gen. 49. §. 280. Clarissima rursus revelatio Messiæ facta est Jacobo, *Gen.* 49. *v.* 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Promittitur hic 1*mo*. Messias; nam hic שילה vel derivatur a שלח *missus*: vel a שלה *pacificus fuit*: vel a relativo ש & pronomine לו, *cui repositum est*: vel a שיל *secundina*, cui infans involvitur, & sic semper Messiam significat, & ita hoc vaticinium intellexerunt Targum Onkelos, Talmud Babylonicum, Targum Jonathan: & R. Hakkados in *l. Galerazeia* ait, nomen Messiæ fore ישוע *Salvator*; a gentibus vero conversis vocandum esse *Jesu*, quod probat ex tribus primis litteris יבא שילה ולו : ישו. His accedunt Rabbini recentiores RR. Salomon Kimchi, Bechai. 2*do*. Messias novum regnum fundaturus promittitur, quia dicitur: *Ipse erit expectatio gentium*, Hebr. ולו יקהת עמים *& illi obedientia, aggregatio populorum*. Hoc regnum erit spirituale, quod in tribus consistit, scilicet, ut Messias conterat caput serpentis, *Gen.* 3. *v.* 15. nosque a servitute in libertatem filiorum Dei vindicet. Deinde ut per fœdus novum, veteri antiquato, nos ad perfectiorem obedientiam Deo præstandam adducat, *Jer.* 31. *v.* 31. Tandem ut nos ad æternum in cœlis regnum perducat. Quod si Messias nonnisi terrenum regnum fundaturus esset, potius Salvator corporum, quam animarum foret. 3*tio*. Promittitur hic Judæ regia seu principalis potestas tamdiu duratura, donec Messias venerit; nam ly שבט regiam seu principalem potestatem denotare, patet ex addita voce מחקק *Mechokek*, *& ex obedientia gentium*. Eodem modo exponunt LXX. Syriaca, & Samaritana versio, Targum Jonathan, Jerosolymitanum & Onkelos. Item

Rabbini antiqui, Kimchi, Jarchi, Aben-Ezra, & R. Jitzchak quærit, quare Jacob non expresserit *Melachim, reges*; & respondet: quia notum illi erat, eos non semper reges habituros: eam ob causam non fecit regis mentionem, sed tantum *Schebet*, quæ vox summam potestatem legislativam significat, & convenit etiam *Mechokekim*. Unde *Mechokek* in participio *Piel*, significat dictatorem legum, non vero simplicem Rabbinum *magistrum*, uti male vertit Lutherus: nam LXX. legunt ἡγούμενος; Samaritana versio, *dux*; Arabica, *Legislator*.

Quid nomine Judæ in Vaticinio Jacob intelligatur?

Schol. Nomine Judæ in hoc Vaticinio Jacobi non videtur intelligi sola hujus nominis tribus, sed tota natio Judæorum, cum aliqua tamen singulari tribus Judæ prærogativa. Nam diu ante adventum Messiæ sceptrum in tribu Juda, & quidem in Sedecia defecit tempore captivitatis Babylonicæ; semper tamen aliquis Judæus a tempore etiam solutæ captivitatis Ægyptiacæ genti suæ præfuit, semper Judæi suis legibus vivebant, etiam in ipsa captivitate Babylonica. Putat quidem Baronius, sceptrum a Zorobabele resuscitatum ad Machabæos pervenisse, qui vel paterno genere ad tribum Judam spectabant, quia 1. *Mach.* 5. *v.* 63. dicuntur viri Juda: vel materno genere ex tribu Juda erant, cum tribus Juda & Levi connubia inter se inirent, uti patet in Aaron, qui ducit filiam Aminadab. Verum Machabæi ex tribu Juda non erant, quia Mathatias dicitur filius Joannis filii Simeonis, qui Sacerdos fuit ex filiis Jojarib ex familia Aaron, 1. *Mach.* 2. *v.* 54. dicuntur autem viri Juda, a Juda Machabæo duce suo. Qtod vero Machabæi uxores ex tribu Juda acceperint, nullibi constat. Nec dici potest, Machabæos solum usumfructum sceptri habuisse, remanente jure apud tribum Juda: enimvero hoc modo etiam Judæi moderni dicere possent, sceptrum apud eos necdum defecisse ob prætensum jus ad illud. Nec denique juvat dicere, saltem magnum Synedrion ex solis judicibus e tribu Juda selectis constans usque ad Messiam perdurasse: tum quia non certo constat, supremam fuisse Synedrii in judiciis ferendis auctoritatem: tum quia incertum est, Sanedrin usque ad Herodem perdurasse, vel saltem Machabæis subditum non fuisse. Tota igitur natio Judaica in Vaticinio Jacob, & per sceptrum, non regia, sed quælibet suprema potestas intelligitur, uti *Jer.* 23. *v.* 6. cum speciali tamen tribus Judæ prærogativa, quæ in eo consistit, quod fuerit regno destinata: quod post captivitatem Babylonicam toti genti nomen dederit: quod de ea Messias nasciturus esset: quod aliis prælata fuerit. Non obstat sententiæ huic I. quod Jacob illa verba ad Judam specialiter direxerit: nam hoc fa-

ctum fuit ob speciales prærogativas tribui Judæ concessas. II. Dux de femore Judæ non dicitur defuturus, tum quia jure hæreditario regnum ad tribum Juda spectabat, tum quod Judas toti genti nomen dedit, in qua usque ad Herodem suprema potestas permansit. III. Ex illo Vaticinio diserte non probatur Messias ex tribu Juda nasciturus: ut tamen probaretur, sufficit, quod tribus Juda speciales prærogativas acceperit, inter quas est ortus Messiæ ex illa.

Et Daniel. c. 9. §. 281. Præter plura alia vaticinia de Christo venturo in veteri Testamento contenta, quæ doctissime explicat Huetius in *l. de dem. Evang.* celebre est illud *Dan. 9. v. 24. & seq. Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hic sermo est de Messia, & de tempore, quo occidetur: tum quia clare nominatur Messias sine addito, & vocatur Sanctus Sanctorum, delens iniquitatem, & adducens justitiam sempiternam, Auctor novi fœderis, qui sunt characteres veri Messiæ. Unde etiam clare dicitur, post has 69. hebdomadas occidetur Messias: & R. Simeon filius Johai, in *l. Mechkar Hassadoth* narrat, Hoseyam flendo dixisse: Væ illis impiis. Deus mittet filium sanctum suum, & carne humana se induer. Væ illis, qui propter pravas suas actiones rebelles erunt huic Messiæ, & ingenti iracundia perciti ipsum occident.

Solvuntur objectiones Judæorum. *Schol.* 1. R. Salomon vult, quod in hoc Danielis Vaticinio, Daniel Judæis aliquid triste intra spatium 490. annorum a prima templi destructione sub Nabuchodonosor, usque ad secundam ejus eversionem sub Tito prædicat; cum hoc tamen discrimine, quod post primam calamitatem Judæi respiraverint, cum e contra secunda

tribulatio diuturna sit futura propter populi peccata, quæ tamen tandem a Messia solvetur; sed tempus solutionis hic non assignatur. Unde hebdomades illas in tres partes dividit: prima septem hebdomades continet, post quas veniet primus Christus, scilicet Cyrus: secunda continet 62 hebdomadas, posr quas veniet Christus secundus, scilicet Rex Agrippa: qui tertio in una hebdomada residua in ultimo excidio Jerosolymitano peribit, quæ tribulatio usque ad Messiam durabit. Verum frustra fingitur illa tribulatio & duplex Christus. Sane Cyrus nequit esse Christus a Daniele promissus; quia Cyrus mortuus est, antequam 69 hebdomadæ inchoarentur, quæ incipiendæ sunt ab edicto de reædificanda urbe Jerusalem, *Dan.* 9. quæ modo sub Artaxerse ædificari cœpit. Unde nec Nehemias, nec Josedec, nec Zorobabel ille Christus esse potest, utpote qui ad finem harum hebdomadarum vitam non produxerunt. Multo minus Agrippa potest dici secundus Christus, utpote qui non fuit dux totius gentis Judaicæ, sed in sola Traconitide regnavit, & falso fingitur, eum in excidio Jerosolymitano occisum fuisse. Nihilominus Judæi contendunt, hoc Danielis Vaticinium non spectare ad Messiam, sed I. ad Templum ungendum & perficiendum, tum quia non legitur: *Sanctus Sanctorum*, sed *sanctitas sanctitatum:* tum quia Daniel tantum pro restitutione Jerusalem & templi oravit. Verum si textum sine punctis legamus, sonat, *Sanctus Sanctorum:* & ita legunt LXX. & ipsi Rabbini cum R. Ozia *in Sederolam*. Et patet ex contextu. Dein falsum est, post 70. hebdomadas Templum unctum esse, cum tunc per Titum destructum fuerit. Item Daniel plus accepit, quam petierit, licet etiam in oratione sua *v.* 17. Messiæ meminerit, dicens: *Ostende faciem tuam*. II. Judæi per Christum ducem intelligunt Cyrum, qui *Is.* 45. *v.* 1. dicitur Messias, ad quem usque numerando ab excidio primi Templi 7. hebdomades, scilicet 49. anni fluxerunt. Post hunc finitis reliquis 62. hebdomadibus occidetur Christus secundus, vel Hircanus, vel Agrippa, vel ultimus summus Sacerdos. Verum Cyrus nonnisi improprie Messias vocatur, sicuti & cæteri: & hebdomades non ab excidio urbis, sed ab edicto de reædificanda urbe numerandas esse Daniel ait. III. Volunt Judæi, in hoc Vaticinio solum innui captivitatem Babylonicam 70. annis duraturam, ab excidio Urbis & Templi usque ad eorum restaurationem, & post 62. hebdomadas, seu 420. annos in patria transactos novam captivitatem futuram, quæ post 70. hebdomadas decenniorum, vel Jubilæorum, vel sæculorum a Messia solvetur. Sed hæc explicatio est contra S. Tex-

tum dicentem, intra 70. hebdomadas iniquitatem esse delendam, & venturum ac occidendum Sanctum Sanctorum. Deinde teste Josepho *l. 7. de Bello c. 8.* a rege David usque ad Titum Jerusalem evertentem fluxerunt anni 1179. a quibus si subtrahas 470. annos a Davide usque ad ultimum annum Sedeciæ, manent anni 709. non vero 420. uti volunt Judæi. Denique hebdomades decenniorum &c. plane sunt contra usum S. Scripturæ, quæ nonnisi hebdomades dierum, *Dan.* 10. *v.* 3. & annorum, *Lev.* 25. *v.* 8. & *hic* numerat.

Exordium 70. hebdomadarum in sententia Marshami.

Schol. 2. Circa exordium 70. hebdomadarum Danielis variæ sunt veterum sententiæ, quæ modo exoleverunt, & apud D. Calmet in *diss. de* 70. *septim. Dan.* videri possunt. Famosiores hodiernæ sunt sequentes. Prima est Marshami in *Chronico Ægypt. ad sæcul.* 18. qui 7. primas hebdomadas, scilicet 49. annos, incipit ab anno primo Darii Medi usque ad annum primum Cyri. Deinde 62. septimanas seu 434. annos numerat ab inito per Cyrum regno usque ad annum primum Antiochi Epiphanis: ab hoc incipit ultima septimana, seu septem anni, quo tempore in profanatione Templi Christus occisus dicitur, Sacerdotes deleti sunt, hostia defecit, sacra ab Antiocho per tres annos profanata, donec Templum a Juda Machabæo fuit expurgatum, 1. *Mach.* 1. & ita unctus Sanctus Sanctorum. Hæc sententia est contra mentem & explicationem Ecclesiæ, quia Vaticinium Danielis non Messiam spectare contendit: imo multa falsa supponit, scilicet, duos a Daniele distingui Christos: Cyrum esse Christum: Sacerdotium tempore Antiochi pollutum a Daniele designari: priores 7. hebdomadas a posterioribus 62. divelli posse: exitum sermonis non esse sumendum ab edicto reædificandæ Jerusalem: 70. hebdomadis dimidiam addendam esse, &c.

Harduini.

Schol. 3. P. Harduinus in *Chron. V. T.* initium hebdomadarum ducit ab oraculo *Jeremiæ c.* 25. *v.* 11. quo 70. annorum captivitatem, & reditum Israelitis prædixit. Septem igitur hebdomadæ desinunt in annum primum Cyri, quo Josue summus Sacerdos inunctus fuit. A primo anno Cyri incipiunt reliquæ 62. hebdomadæ, quas excepit Judas Machabæus alter unctus; & Onias summus Sacerdos Sanctus Sanctorum Antiochiæ occisus, qui fuit figura Jesu Christi, sicuti etiam profanatio templi sub Antiocho fuit figura captæ Jerusalem a Romanis. Hoc systema a P. Lamy in *apparat. Chron. p.* 2. *c.* 4. quidem traductum fuit tamquam contra communem sensum Ecclesiæ pugnaret, sicuti illud Marshami: ab ejus tamen censura se purgavit ipse P. Harduinus. Nihilominus P. Lamy hoc systema licet ab Ecclesia non rejectum docte

refutat, & quia in multis cum Marshamo convenit, ex dictis Schol. præc. refellitur, maxime cum nec Judæ Machabæo, nec Oniæ characteres Messiæ a Daniele assignati etiam ut figuræ competant, & Onias ante expiatum templum occisus fuerit.

Schol. 4. P. Berti & P. Graveson initium hebdomadarum referunt ad annum septimum Artaxersis Longimani. Verior sententia illa nobis videtur, quæ initium hebdomadarum ducit ab anno regni Artaxersis Longimani vigesimo. Quippe hebdomadæ Danielis, quæ sunt annorum, & dant 490. annos, supputandæ sunt ab edicto Regis Persarum de urbe Jerosolyma ædificanda, *Dan.* 9. & in morte Christi desinunt, quæ consignari debet anno 486. ab exordio illarum hebdomadarum concurrente cum dimidio hebdomadæ septuagesimæ. Quatuor autem edicta Regum Persarum pro Judæis colligimus ex S. Scriptura. Primum datum est a Cyro, anno regni sui primo, 1. *Esd.* 6. *v.* 3. Sed ab hoc edicto nequit sumi hebdomadarum initium, quia in illo non fuit data licentia reædificandi Jerusalem, sed tantum Templum, 1. *Esd.* 1. *v.* 1. 2. 3. Nec officit, quod *Is.* 45. de Cyro dicatur: *Ipse ædificabit civitatem meam:* nam ibi vel sub nomine Cyri Christus intelligitur; vel nomine civitatis non structura materialis, sed civilis, id est coadunatio populorum denotatur; vel parva tuguriola, non vero muri, turres & propugnacula designantur. Secundum edictum datum est a Dario Hystaspe, anno secundo regni sui, in quo prius decretum Cyri confirmatur, 1. *Esd.* 6. Verum ab hoc etiam edicto initium hebdomadarum sumi nequit, quia sicut illud Cyri licentiam ædificandæ urbis non concedit. Tertium edictum datum est ab Artaxerse Longimano, anno regni sui septimo, 1. *Esd.* 7. *v.* 7. Sed hoc etiam edictum non dat licentiam reædificandæ urbis, sed tantum Templi, & liberi Religionis exercitii, 1. *Esd.* 6. *v.* 15. & toto capite septimo. Et Nehemias, 2. *Esd.* 1. *v.* 3. & c. 2. *v.* 13. narrat, Artaxersem anno regni sui vigesimo a Judæis e patria sua redeuntibus audivisse, muros Jerusalem eversos adhuc sub ruina jacere, & portas igne esse combustas. Quartum edictum datum est ab eodem Artaxerse Longimano, anno regni sui vigesimo, 2. *Esd.* 2. *v.* 1. Et ab hoc edicto 70. hebdomades inchoandæ sunt, quia hoc edictum est de reædificanda Jerusalem, 2. *Esd.* 2. & ab illo anno usque ad Christum occisum illæ 70. hebdomadæ impletæ sunt. Nam Artaxerses Longimanus ad regnum pervenit anno Periodi Julianæ 4241. anno quarto Olympiadis 76. uti constat ex Eusebio in *Chronico*, ubi scribit, Themistoclem e Græcia P. Berti.

profugum ad Persas confugisse anno quarto Olympiadis 76tæ; Thucydides vero auctor coævus *l.* 1. ait, Themistoclem confugisse ad Artaxersem regem, qui nuper regnare cœperat: adeoque annus regni Artaxersis vigesimus incidit in annum Period. Jul. 4260. mundi annum 3550. Cumque ejus decretum in mense Nisan exierit, spatio 7. hebdomadarum, id est 49. annorum ob hostes undique impendentes civitas quoad muros, fora &c. perfecte restituta fuit. Sequuntur deinde 62. hebdomadæ, seu 434. anni, quæ cum prioribus 49. dant 483. annos, quos si addas anno mundi 3550. habebis annum mundi 4033. æræ Christianæ trigesimum, quo Christus baptizatus fuit. Hinc a primo Paschate a Christo post suum Baptismum celebrato incipit annus primus hebdomadis septuagesimæ, cujus anno quarto Christus in cruce immolatus fuit. Post finitas 70. hebdomadas dissipatum est sanctuarium, civitas destructa, & tota gens dispersa. Utimur autem hic annis solaribus, tum quia anni lunares apud Judæos in usu non erant, sed tantum menses lunares: tum quia Judæi, ut annum lunarem solari æquarent, quolibet octennio tres menses intercalare solebant. Nostræ sententiæ non obstat, quod Artaxerses anno 4241. regnum non inierit, cum tunc Xerses adhuc regnaverit; utpote qui 20. annis regnavit, & regnare cœpit a Period. Jul. 4229. adeoque a Period. Jul. 4241. solummodo 12. annis regnaverat. Nam dicimus, a Xerse anno regni sui duodecimo Artaxersem filium suum more Persarum in Imperii consortium adscitum fuisse. Vid. Petavium *de doctrin. temp. c.* 28. & Pererium *in Daniel.*

Prophetia Aggæi de Messia. §. 282. Denique celebris de Messia venturo est Prophetia Aggæi, qui *c.* 2. *v.* 7. *&* 10. prædicit, gloriam secundi templi fore ampliorem quam templi Salomonici; quia ad secundum venturus esset Messia: *Et veniet desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria: dicit Dominus exercituum.* Et: *Magna est gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ.* Hic sermo est de Messia; qui solus est desideratus cunctis gentibus; solus perfectam pacem inter Deum & hominem dare potest, *v.* 10. & a quo solo major gloria Templi secundi desumi potest. Unde etiam ita sentit R. Akibha, & R. Isaac in *munim. fid. c.* 34. Deinde Messias dicitur venturus in hoc Templum secundum, quia *v.* 8. dicitur: *Implebo domum hanc istam;* את הבית הזה. Ergo de Templo secundo in individuo loquitur.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Judæi dicunt I. in Hebræo legi: ובאו חמדת כל־הגוים *venient desiderium cunctæ gentes*, id est: venient in desiderio omnes gentes, vel venient desideria cunctarum

gentium, legendo חמדת, maxime quia LXX. legunt: *καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν veniet electa omnium gentium:* scilicet, dona aurea & argentea. Hinc major gloria Templi secundi non ad Messiam, sed ad augustiorem structuram, ornatum, & munera oblata refertur. Sed contra est: quia in verbo באו est enallage numeri Hebræis usitata; quando verbum duobus substantivis, quorum unum alterum regit, additum cum posteriori convenit, quod cum priori convenire debebat, uti *Gen. 4. v. 10. Vox sanguinum fratris tui clamant ad me.* Deinde כל-הגוים nequit esse in nominativo, *omnes gentes*, cum חמדת *desiderium*, sit in regimine ob mutatum ה in ת, unde ly *in desiderio* verti non potest. Lectio LXX. verum sensum habet, si omnium gentium desideria ad Messiam aspiratura, & in eo implenda esse dicantur, ob quem solum major erit gloria Templi secundi, non vero ob aurum & argentum, ex quo veram gloriam Deus non æstimat. Certe ne quidem probari potest, in secundo Templo plus auri & argenti fuisse, quam in primo. Dicunt Judæi II. non hic intelligi Templum secundum, sed tertium a Messia ædificandum; nam textus ita interpungi debet: *Magna erit gloria domus istius*, scilicet secundæ, *& magna erit gloria novissimæ*, scilicet tertiæ, *plusquam primæ.* Accentus enim mutari possunt, imo hic debent, quia ה *novissimæ* domui præfixum tertium Templum indicat, quod *Ezechiel c. 40.* delineat. Sed contra est: quia textus Hebraicus non habet fictam illam interpunctionem, sed contrariam: nam הזה *istius*, non habet accentum *Sakeph* comma cum puncto, sed accentum continuativum *Mahpach:* deinde non repetitur in textu: *& magna erit gloria*, nec repeti debet, quia כבוד *gloria*, est in regimine, adeoque האחרון *novissimæ* est in genitivo, & ad eumdem sensum pertinet. Hinc accentus mutari non possunt, & ה præfixum indicat, hoc secundum Templum fore illustrissimum, quod quidem *Ezechiel c. 40.* delineavit, qui tamen plura addidit, quæ non ad templum tertium a Messia ædificandum, sed ad antitypum, scilicet Ecclesiam Christi allegorice descriptam, pertinent.

§. 283. Prophetiæ hæ (§. 2. 280. 281. 282.) explicatæ impletæ fuerunt, adeoque promissus Messias jamdiu advenit. Nam *Primo* Vaticinium Jacobi, *Gen. 49.* (§. 280.) jamdudum impletum est: siquidem potestas regia *Schebet*, & dignitas *Mechokekim* jamdudum est ablata a tribu & natione Judaica, quia a multis jam sæculis Judæi nec Regem habent, nec Legislatorem. Jam enim ante Christum natum Herodes Ascalonita Cæsareis copiis auctus expugnata Jerosolyma, & occiso Antigono regiam

Messias promissus jam venit.

potestatem vi invasit, & omnes Synedrii Judices, in quibus adhuc aliqua potestas legislativa vigebat, occidit, præter unum Babam, a quo Judaicas consuetudines disceret: ab hoc uno vero novi judices fieri non poterant, cum juxta Sanhedrin ad novum judicem constituendum ad minimum tres requirerentur. Conati sunt quidem Judæi Sanhedrin restituere; sed non potuerunt: imo 40. annis ante Templi & urbis excidium omnis etiam umbra Synedrii extincta fuit, uti in Talmud latius habetur; nam in J. Sanedrin Jerosolymitano R. Rahamon dixisse fertur: *Væ nobis, quia recessit Sceptrum de Juda: & nondum venit filius David*, id est Messias. Ergo ipsi Judæi veteres tempore Christi agnoverunt, & moderni etiam manibus palpant, Sceptrum, Synedrium, omnemque potestatem legislativam a Juda esse ablatam: consequenter promissus Messias jam advenit (§. 280.). Vid. S. Justinum *in dial. cum Tryph.* & alios copiose citatos a Cl. P. Gervasio *de Verb. Dei incarn.*

Secundo. 70. hebdomadæ Danielis, seu 490. anni (§. 281.) jam effluxerunt, sive a primo excidio templi (§. cit. Schol. 1. 2. 3.), sive ab anno Artaxersis septimo, aut vigesimo earum initium ducatur, uti patet (§. 281. cum Scholiis). Ergo promissus ibi Messias jam advenit. Deinde juxta hanc Prophetiam post mortem Messiæ *deficiet hostia, & sacrificium*, quod de facto Judæi nullum habent. Item *civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, quod sub Tito factum esse fatentur ipsi Judæi. Item *finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio*, *Dan.* 9. quæ omnia facta esse manibus palpant Judæi. Ergo Messias advenit. Denique Judæi nunquam tam diuturna captivitate puniti sunt, quam modo, uti patet inductione: nam servitus sub Chusan duravit 8. annis, *Jud.* 3. *v.* 8. sub Eglon 18. annis: sub Jabin 20. annis: sub Madianitis 7. annis: captivitas vero Babylonica duravit 70. annis. Jam vero per 1700. annos exules a terra sua, vagi, sine prophetiis & miraculis, sine sacrificio, sine Rege, sine solatio, absque eo, quod Deus eorum preces exaudiat, omnium ludibrium circumerrant, certo indicio, eos ob gravissimum scelus rejecti & occisi Messiæ severe adeo puniri.

Tertio. Tempus adventus Messiæ ab Aggæo Propheta præfixum (§. 282.) jam effluxit: nam Templum secundum a Tito jampridem eversum fuit, nec unquam reædificari potuit; imo si reædificaretur, non foret Templum secundum, sed tertium, cum tamen Propheta de secundo loquatur (§. 282. Schol.), uti etiam patet ex *v.* 7. ubi dicitur: *Adhuc unum modicum . . . & veniet desiderium gentium:* si autem non loqueretur de secundo, sed

de tertio Templo, quod Judæi ante finem mundi expectant, non esset tempus modicum. Ergo promissus hic Messias jam advenit (§. 282.).

Judaismi moderni systema.

Schol. Judaismus hodiernus contra adventum Messiæ potissimum pugnat, cujus hoc est systema: 1. Æterna salus & peccatorum remissio nonnisi Legis veteris observantia obtineri potest. 2. Messias promissus cum non sit necessarius ad liberationem spiritualem a peccato, erit Rex terrenus, qui populis omnibus devictis collecturus est omnes tribus Israel, & eas reducturus in Palæstinam, illisque & omnibus gentibus imperaturus. Unde 3. quia Judæi adhuc in suis calamitatibus gemunt, Messias nondum advenit: & ideo 4. Jesus Nazarenus non est Messias, & S. Scriptura Novi Testamenti non est a Deo inspirata. Insurgunt igitur contra adventum Messiæ I. quia non probatur ex Vaticinio Jacobi, *Gen.* 49. nam illius sensus est: non recedet a Judæis afflictio seu virga, hoc enim significat *Schebet*, donec veniat Messias: vel, non recedet tribus de Juda; *Schebet* enim etiam tribum denotat, *Gen.* 49. *v.* 28. donec veniat Messias: vel, non recedet Scriba seu Rabbinus; hunc quippe innuit vox מחקק, *de Juda*, donec veniat Messias. Verum hæ omnes interpretationes falsæ sunt; nam *Schebet* virgam dominationis, & *Mechokek* Legislatorem significat ex dictis (§. 280.). *Schebet* vero in Vaticinio hoc pro tribu sumi nequit, quia alias in statu constructo, & ly *Juda* in genitivo esse deberet, cum tamen ly *Juda* sit in ablativo, uti ex præfixo *mem* patet. II. Dicunt, sensum Prophetiæ esse: non auferetur sceptrum de Juda in æternum, postquam venerit Messias: nam ly עד־כי legi potest separatim, & sub עד poni potest *atnach*: & sic עד significat, *in æternum*, & כי significabit, *quia*, vel *postquam*. Verum hæc lectio omnino falsa est; nam sub præcedente רגליו *de femore ejus*, ponitur *atnach* seu duo puncta, adeoque ly עד nequit spectare ad illum sensum, nec significare *in æternum*: accentus vero *Jethif* sub ly עד non sejungit, sed explet sæpe orationem. III. Dicunt: *Schilo* potest intelligi de urbe Silo, quæ dum desinet esse sedes arcæ, tribus Juda regiam potestatem accipiet. Vel *Schilo* significat Moysen Legislatorem: vel Saulem unctum in regem, quando S. oleum in Silo asservabatur: vel Davidem & Jeroboam, qui in Silo uncti fuerunt: vel Reges exteros missos ad plectenda scelera Judæorum, quales fuerunt, Nabuchodonosor, Herodes, Pompejus, Vespasianus: vel denique *Schilo* Cyrum significat. Sed *Schilo* non potest denotare urbem Silo, quia nomen hujus urbis non scribitur שלה, sed שילו, & pugnat contra textum, assignare

Solvuntur objectiones.

initium sceptri, cum S. Textus finem prænuntiet. Nec potest significare Moysen nec Saulem, ante quos non fuit sceptrum in tribu Juda, & in David modo incepit, a Jeroboam vero non ablatum, sed imminutum fuit: nec reges illos exteros, qui nec de femore Judæ, nec expectatio gentium fuerunt. IV. Dicunt, sceptrum necdum a Juda ablatum esse, quia adhuc Judæus in Asia in urbe Bagdad regnat. Sed hunc fabulosum esse, ipsum Talmud Jerosolymitanum testatur.

Characteres Messiæ. §. 284. Deus in veteri Lege Prophetis adventum Messiæ futurum non solum revelavit, sed illos characteres etiam assignavit, quibus Messiæ nativitas, status & conditio, doctrina & opera, mors & resurrectio consignarentur. *Nativitas ejus.* Quantum ad Nativitatem Messiæ, Prophetæ notant I. ejus tempus, scilicet, quod futura sit sceptro a Juda ablato, intra 70. hebdomadas, & stante adhuc Templo secundo, uti patet ex §§. 280. 281. 282.

II. Ratione loci Messias Bethlehemi nasciturus dicitur, *Mich.* 5. *v.* 2. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Hanc Prophetiam de Messia ipsi Rabbini, Jonathan, Salomon & Isaac, & Principes Sacerdotum ac Scribæ ab Herode interrogati, *Matth.* 2. *v.* 5. explicant, adeoque de Zorobabel ex Bethlehem non oriundo intelligi nequit.

III. Messias ex tribu Juda & familia David oriturus prædicitur *Is.* 11. *v.* 1. *Egredietur Virga de radice Jesse.* Ubi sermonem esse de Messia fatentur ipsi Rabbini, nec cum Grotio de Ezechia explicari potest; dicitur enim, *veniet*, quod sicuti & subsequentia Ezechiæ tunc temporis jam nato convenire nequit.

IV. Messias ex Virgine nasciturus prædicitur *Is.* 7. *v.* 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hæc Prophetia spectat ad Messiam, non vero ad filium Isaiæ figuram Messiæ, uti Grotius putat cum nonnullis Catholicis, qui eam litteraliter de filio Isaiæ, mystice de Christo exponunt: quod tamen videtur esse contra S. Matthæum *c.* 1. *v.* 23. eam de solo Christo exponentem. Certe characteres ibi expressi nec Ezechiæ, nec filio Isaiæ competunt: non Ezechiæ, qui eo tempore jam natus fuerat, & 9. circiter annos attigerat: non filio Isaiæ, qui nec Emmanuel dictus est, nec fuit Deus fortis, Pater futuri sæculi, nec natus est ex Virgine. Non obstat, quod Messiæ adventus longo tempore post futurus in signum liberationis a duobus Regibus Rasin & Phacee dari non potuerit. Nam duo tunc timebat Achaz: Primo, ne si Jerusalem in potestatem

hostium veniret, tota posteritas Davidis & tribus Judæ periret. Secundo, an Judæi a furore duorum horum Regum liberandi forent. Igitur Isaias ex eo, quod Messias ex stirpe David, & quidem ex Virgine nasciturus esset, spem certam facit, nec stirpem David, nec totam gentem esse extinguendam. Hoc modo etiam antequam Messias scientia experimentali, non vero ob præteritam ignorantiam, novit reprobare malum & eligere bonum, re vera illi duo reges e Judæa fugati sunt. Quæ vero hic ulterius a D. Isenbiehl objiciuntur, qui hunc Isaiæ locum de Messia intelligendum negat, contra sensum veterum Patrum, Justini, Clementis Alex. Tertulliani, Origenis &c. qui videri possunt in mea Analysi PP. refutat D. Goldhagen in suo *Diario Relig.* & sententia hæc singularis Isenbiehlii a Theologis Moguntinensibus, Trevirensibus, Salisburgensibus, Argentoratensibus, Heidelbergensibus reprobata, ac demum Romæ confixa fuit. Vid. Cl. D. Zwerger *Vindicias Vat. Isai.* & censuram Sorbonnæ de an. 1778.

V. Circumstantiæ etiam Nativitatis Messiæ prædicuntur, uti ejus Præcursor, *Mal.* 3. *v.* 1. Ejus nomen Jesu, *Habac.* 3. *v.* 8. in toto enim illo cantico semper ad Messiam respicitur. Nova stella in ejus Nativitate oritura, *Num.* 24. *v.* 17. uti Onkelos cum aliis Rabbinis exponit. Item infantes circa Messiæ Nativitatem misere trucidandos prædicit *Jeremias c.* 31. *v.* 15. Et fugam in Ægyptum, *Osee c.* 11. *v.* 1. ubi textus loquitur quidem in sensu historico de Israele, sed in sensu allegorico a Spiritu S. intento de Christo.

Status ejus & conditio.

§. 285. Status item & conditio Messiæ a Prophetis indicantur. Dicitur Filius Dei, *Ps.* 2. *v.* 7. Deus, *Ps.* 44. *v.* 7. Propheta, *Deut.* 18. *v.* 15. Sacerdos, *Ps.* 109. *v.* 4. Princeps & Rex, *Is.* 9. *v.* 6.

Doctrina ejus.

§. 286. Quantum ad doctrinam & opera Messiæ, ille annum placabilem promulgabit, & salutarem Evangelii doctrinam afferet, *Is.* 61. *v.* 1. *ad medendum contritis corde*, & publicandam libertatem captivis & redemptionem. Plura vero a Messia patranda miracula Isaias *c.* 35. *v.* 4. affirmat: *Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt, &c.*

Mors & Resurrectio.

§. 287. Quantum ad mortem & resurrectionem Messiæ, Judæ proditionem & pretium 30. denariorum prædixit Zacharias *c.* 11. *v.* 13. Flagellationem Messiæ prædixit David *Ps.* 128. *v.* 3. Vestimentorum divisionem *Ps.* 21. *v.* 19. Manuum & pedum perforationem *v.* 18. ubi in Hebraico textu recentiori legitur כארי ידי ורגלי *sicut Leo manus & pedes mei.* At vero in Hebræo antiquo legebatur כארו *foderunt*, uti patet ex versione LXX. Syria-

ca, Arabica & Æthiopica, & R. Chaym in Masora testatur, se ita in textu legisse. Sepultura Messiæ prædicitur *Is.* 11. *v.* 10. Resurrectio *Ps.* 3. *v.* 6. *Osee* 6. *v.* 2. Ascensio in cœlum *Ps.* 67. *v.* 19. Missio Spiritus S. *Joel.* 2. *v.* 28. Vid. Huetium *de dem. Ev.*

Jesus Nazarenus est verus Messias. §. 288. Hi omnes characteres conveniunt Jesu Nazareno, adeoque ille est verus Messias Prophetarum ore promissus. I. Jesus venit sceptro a Judæis ablato; natus est enim sub Herode alienigena rege *Matth.* 2. occisus est septimanis Danielis expletis (§. 281. Schol. 4.): venit Templo secundo adhuc stante, *Luc.* 2. *v.* 27. & 46. *Joan.* 2. *v.* 14. II. Natus est in Bethlehem, *Matth.* 2. *v.* 1. Ex tribu Juda & familia David, *Matth.* 1. Ex Virgine, *Matth.* 1. *v.* 25. Habuit Præcursorem S. Joannem Baptistam, *Matth.* 3. *v.* 1. *Joan.* 1. *v.* 19. Nomen Jesu illi inditum fuit, *Luc.* 1. Stella in ejus Nativitate orta fuit, *Matth.* 2. Infantes eo nato trucidati sunt, *Matth.* 2. *v.* 18. Fugit in Ægyptum, *Matth.* 2. *v.* 15. III. Jesus est Filius Dei. *Matth.* 3. *v.* 17. (§. 142. 143.). Est Propheta, *Luc.* 14. *v.* 19. & 19. *v.* 41. Est Sacerdos, *ad Hebr.* 7. *v.* 11. & Rex ab ipsis Magis vocatur, *Matth.* 2. IV. Prædicavit salutarem doctrinam, quam plurimis miraculis confirmavit, uti patet ex tota narratione Evangelica. V. 30. argenteis a Juda venditus fuit, *Matth.* 26. *v.* 15. Vestimenta ejus divisa sunt inter hostes, *Joan.* 19. *v.* 23. Flagellatus est, *Matth.* 26. Manus ejus & pedes ac latus perforata sunt, *Joan.* 19. *v.* 34. Sepultus est, *Matth.* 27. *v.* 60. Resurrexit, *Luc.* 24. *v.* 46. *Marci* 16. Ascendit in cœlum, *Act.* 1. *v.* 12. *Matth.* 28. *v.* 19. Misit Spiritum S. *Act.* 2. *v.* 1. Ergo est verus Messias. Certe narratio Evangelica etiam apud Gentiles hic omnem fidem saltem historicam meretur: nuda est, simplex, sine fuco & inito simul consilio a viris omni humana industria & ope destitutis conscripta, qui historiam scribunt hominis, ut putabatur, ab infima plebe oriundi, historiam hominum oculis expositam, quæ publice in conspectu Judæorum & Gentilium contigit, & doctrinam multis miraculis, seu operibus vires naturæ longe excedentibus confirmatam, quæ in testimonium falsi a Deo fieri non possunt, nec magicis artibus adscribi debent, cum sibi semper constantia fuerint, & Christus ipsos dæmones ab obsessis expulerit; quibus omnes tot Martyres proprio sanguine subscripserunt, ita ut spectatis etiam notis criticis Evangelistæ falsi suspicionem movere non possint, maxime cum turpissimam mortem Christo illatam candide referant, quod certe non fecissent, si per fabellas Christi gloriam augere studuissent. Vide S. Justinum *in dial. cum Tryph.* & Tertullian. *cont. Judæ.* &c.

Schol. Jesum Nazarenum promissum esse Messiam negant Judæi. I. Quia Messias debet esse Rex potens, *Ps.* 2. *v.* 8. & bellator, *Ps.* 44. *v.* 6. & venire ad Palatium suum, *Mal.* 4. ubi loco: *veniet ad Templum*, hebraicus habet, *ad palatium* אל היכל: quæ certe non conveniunt Jesu Nazareno. Verum Messias Christus gentes regno suo spirituali dominatione per fidem subjecit, & dicitur bellator, quia de infidelitate, dæmone & morte triumphavit; & quod Malachias per היכל, *Templum* intellexerit, patet ex eo, quia de Sacerdotibus & sacrificio loquitur. II. Messias dicitur venturus in novissimis diebus, id est in fine mundi: mons domus Domini exaltandus, pax futura, & omnis residuus in Sion Sanctus vocabitur, *Is.* 2. *v.* 2. Item in adventu Messiæ lux lunæ erit sicut lux solis, & lux solis septuplo major, *Is.* 30. *v.* 26. Item Juda dicitur salvandus per Messiam, congregandi in terram suam Judæi, & omnis pavor & timor tollendus, *Jer.* 23. Demum *Ezech.* 38. & 39. Messias dicitur debellaturus Gog, & Magog: quæ omnia a Jesu Nazareno præstita non fuerunt. Ast per novissimos dies non finis mundi, sed finis veteris Testamenti: per montem Domini extollendum Ecclesiæ exaltatio, & pax spiritualis intelligitur, & omnis residuus in Sion, id est scriptus in libro vitæ, sanctus erit. Lux solis septuplo major futura magnitudinem gloriæ & lætitiæ, quam Messiæ adventus attulit Ecclesiæ, denotat. Per Christum Judas salvatus est a captivitate diaboli, collecti populi de omnibus terris in Ecclesiam, qui diabolum non amplius timent. Gratis autem fingitur, Messiam debellaturum esse Gog, & Magog, & Ezechielem loqui de Messia; nam verba ejus ad illos reges referenda sunt, qui post captivitatem Babylonicam Judæos novis calamitatibus oppresserunt: vel per Gog intelligitur Antichristus, aut ejus belli dux a Messia in secundo adventu debellandus: vel per Gog intelligitur Alexander M. aut Antiochus Epiphanes, uti putat Pererius: vel per Gog intelligitur Cambyses, aut si historia Judith post reditum a captivitate contigit, Holofernes, uti vult D. Calmet in *dissert. de Gog, & Magog.* III. Fatentur quidem Judæi, tempus adventus Messiæ a Prophetis prædictum forte effluxisse; obstare autem peccata populi Judaici, quominus venerit. Sed Vaticinia Prophetarum de tempore venturi Messiæ sunt absoluta, non vero conditionata, si peccata populi non obstent; nam Messias venit ad delenda peccata omnium gentium, quæ si obstarent, nunquam veniret.

Solvuntur objectiones.

§. 289. Cum tempus adesset, ut Unigenitus Dei Filius humanum genus redimeret, factum est ex Divino

Annuntiatio & Incarna-

de Filii Dei. decreto, ut homo fieret. *Missus* proinde *est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria,* quam cum gratia plenam & benedictam in mulieribus salutasset, obstupescentem confirmavit, dicens: *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? & respondens Angelus dixit ei: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Quod cum confirmasset exemplo Elisabeth senis concipientis, & ex eo, quod non sit impossibile apud Deum omne verbum, respondit Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc.* 1. Et statim Beatissima Virgo Maria Jesum Christum Filium Dei incarnatum in utero concepit, cujus Personam, officium & status nunc contemplabimur.

Ex Virgine conceptus & natus est. §. 290. Persona Christi & ratione Divinæ humanæque naturæ, & ratione unionis, quæ inter utramque naturam intercedit, consequentiumque illius consideranda est. At consideratio Divinæ naturæ Christi, quia est secunda Deitatis Persona, in capite de SS. Trinitate exposita fuit; supersunt igitur reliqua hoc loco explicanda. Et quidem Christus non per propagationem naturalem, sed ex Virgine homo factus fuit. Ita futurum prædixit Isaias *c.* 7. *v.* 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ubi vox עלמה: *alma,* significat illibatam & castissimam puellam, quæ ideo vocatur עלמה: *abscondita* a radice עלם *abscondit,* quia virgines a conspectu virorum absconditæ servabantur, 2. *Mach.* 3. *v.* 19. & 2. *Reg.* 13. *v.* 2. deinde עלמה: etiam in aliis locis S. Scripturæ significat *virginem incorruptam, Gen.* 14. *v.* 16. & *Exod.* 2. *v.* 8. Ubi Rebecca & soror Moysis viris adhuc incognitæ עלמה: vocantur: cum e contra בתלוה: *mulierem innuptam* significet, sive adolescentula sit virgo, sive ætate provecta, aut juvenis vidua, uti constat *Joel.* 1. *v.* 8. Hinc ly *alma* significat etiam virginem in lingua Punica, & ita vertunt LXX. Chaldaica, Syriaca & Arabica. Concordat novum Testamentum; nam *Matth.* 1. *v.* 18. dicitur: *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S.* & *v.* 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Id quod S.

Evangelista confirmat citato loco Isaiæ Prophetæ. Imo ipsi B. Virgini anxie quærenti respondit Angelus, *Luc.* 1. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ratio est, quia Christus Theanthropos pro nobis satisfacere debuit, adeoque sine omni peccato esse oportuit: sed si per propagationem naturalem ex concubitu & semine virili propagatus esset, originale peccatum vel saltem debitum ad illud contraxisset (§. 264. 267. Schol. 3.). Ergo per propagationem naturalem ex semine virili homo factus non fuit, & quia ex homine homo fieri voluit, ex Virgine humanam naturam assumpsit. Vid. S. Irenæum *l.* 3. *adv. hær.* & Tertullian. *l. de carne Christi.*

Schol. Ebion, Cerinthus, & Carpocrates Christum purum hominem more cæterorum ex commercio viri cum muliere ortum esse docuerunt. Qui tamen ex dictis refutantur.

§. 291. Conceptio igitur Christi non fuit naturalis, sed miraculosa: nam Conceptio Christi fuit a Virgine; sed hæc naturaliter concipere non potest, nisi a mare per seminis immissionem in concubitu, quo facto tollitur ipsa virginitas: ergo cum Christus a Virgine sine semine virili ex obumbratione Spiritus S. conceptus fuerit (§. 290.), Conceptio ejus naturalis non fuit, adeoque fuit eventus supernaturalis, & consequenter miraculosa (§. 112.). *Conceptio ejus miraculosa fuit.*

Schol. De modo Conceptionis Christi docent plures, eam ex massa sanguinea B. Virginis factam esse, utpote quam Spiritus S. a reliquo B. Virginis sanguine separavit, & exinde corpus Christi formavit. Recentiores Philosophi cohærenter suis principiis Physiologicis contendunt, Conceptionem Christi factam esse per impraegnationem ovuli in ovario B. V. Mariæ, non ex semine virili, sed miraculosam, ita ut stamen seu lineamenta corporis humani in ovulo Mariæ latens, quod alias per virilem auram seminalem expanditur, & in motum vitalem agitur, per operationem immediatam Deus motu vitali donaverit: vel, sicuti alii volunt, ita, ut in ovulo Mariæ stamen Corporis Christi Deus creaverit. Quia porro Conceptio Christi sine omni concubitu facta fuit (§. 290.); hinc sine omni voluptate carnali B. Virgo Christum concepit: & Conceptione miraculose facta, nutritio Corporis Christi in utero materno naturaliter fieri potuit, cum corpus B. Virginis aptum esset ad nutritionem ei modo ordinario præstandam. *Quomodo facta sit?*

§. 292. Corpus autem Christi non paullatim ac successive, ut solent alia vulgarium hominum corpora, sed statim ac in instanti conceptum & perfectum fuit. Ita *Corpus Christi successi.*

Ut productum non fuit. communis est Theologorum, cum S. Gregorio *M. l.* 18. *mor. c.* 52: *Angelo nuntiante & Spiritu S. adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.*

Et animam rationalem habuit. §. 293. Præter corpus Christus etiam anima rationali instructus fuit a corpore essentialiter distincta. Ita Christus ipse, *Joan.* 10. *v.* 17. ait: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Item Christus affectiones animæ humanæ detractis imperfectionibus habuit, uti Tristitiæ, *Matth.* 26. *v.* 38. Desiderii, *Luc.* 22. *v.* 15. Doloris, *ad Hebr.* 4. *v.* 15. Ratio est, quia Christus fuit homo perfectus: sed homo perfectus habet animam rationalem: ergo etiam Christus.

Apollinaristarum hæresis. *Schol.* Apollinaristæ ab Apollinari Laodiceno sic vocati animam humanam Christo denegarunt, putantes, Divinitatem in locum humanæ animæ successisse, ita ut Christus corpus humanum habuerit, qui loco animæ Verbum Divinum fuit. Hic error damnatus est in Concilio Alexandrino a. 362. cui præerat S. Athanasius: in Synodo œcumenica II. a. 381. can. 1. & in Synodo Romana a. 374. ubi anathema dicitur iis, qui in Christo vice animæ rationalis Verbum fuisse dicunt. Ex quibus patet, Christi animam a Deo in ipso Conceptionis Mariæ momento creatam fuisse, & quidem sine omni peccato originali, quia nulli corpori ex semine corrupto descendenti, sed a Spiritu S. formato unita fuit (§. 266. Schol. 3.).

Humanitas Christi est opus SS. Trinitatis. §. 294. Productio humanitatis Christi efficienter est a tota SS. Trinitate. Sacra enim Scriptura omnibus tribus Personis eam tribuit: de Patre dicitur, quod *miserit Filium suum natum ex muliere, ad Gal.* 4. *v.* 4. Ipse Filius productionem humanitatis suæ sibi tribuit, dum *Joan.* 16. *v.* 28. ait, se in mundum venisse, ut voluntatem Dei perficeret. Spiritui S. per quamdam appropriationem ob sanctificationem nostram per Incarnationem perfectam tribuitur, *Matth.* 1. *v.* 18. *Inventa est Maria in utero habens de Spiritu S.* Ratio est, quia opera ad extra sunt totius SS. Trinitatis: sed Incarnatio est opus ad extra: ergo est totius SS. Trinitatis.

Schol. Licet productio humanitatis Christi competat Spiritui S. appropriative, non tamen Pater Christi qua hominis dici potest, qui non dedit illi vitam ad essentiæ suæ similitudinem ex substantia sua: sed formando carnem Christi ex purissimo sanguine Beatissimæ Virginis (§. 291. Schol.).

Nativitas Christi ex Virgine. §. 295. Postquam Corpus Christi in utero materno novem mensibus delituerat, ex Mariæ utero egressum est, ita ut in hoc partu Beatissima Virgo inviolata Virgo clauso utero & inviolato virginitatis sigillo permanserit. Ita omnes Catholici docent & credunt juxta vaticinium

Isaiæ *c. 7. v. 14. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Accedit communis Patrum traditio: S. Augustinus *Ep.* 137. ait: *Ipsa virtus per inviolatæ matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit.* Similia habent S. Leo *Serm.* 1. *de Nat.* S. Ambrosius *Ep. ad Siric.* S. Hieronymus *in c. 44. Ezech.* &c.

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Carpovius vult, Christum more aliorum infantum aperto matris utero natum esse, tum quia S. Scriptura nihil extraordinarium de modo Nativitatis Christi memorat, sed utitur voce τίκτειν, quæ vulgarem partum significat: tum quia legi purificationis Maria subjecta fuit, *Luc. 2. v.* 23. tum quia apertio uteri non abstulit illi virginitatem formalem, quæ in abstinentia a concubitu consistit, sed tantum materialem, quæ in apertione uteri sita est. Sed S. Scriptura loco citato *Isaiæ* 7. expresse etiam de partu miraculoso ex Virgine futuro loquitur. Unde purificationis legi Beatissima Virgo subdita non fuit, utpote quæ ex hac Nativitate nullum sanguinis fluxum nec ulla menstrua patiebatur, sed ex sola humilitate legi illi se subjecit ad scandalum vitandum, & ut Christus omnem legem impleret. Virginitas vero non solum formalis, sed etiam materialis in textu Isaiæ & communi Patrum traditione innuitur. Proinde etiam errat idem Carpovius, dum Christum non sine doloribus a Beatissima Virgine natum esse existimat, utpote qui partum hunc miraculosum non comitabantur, cum naturalis causa eorum, scilicet concussio corporis vehementior ad expellendum fœtum, defuerit. An vero cum secundinis Christus natus sit, res necdum explorata est, quam nec nos dirimere volumus.

Quo anno orbis conditi & quo die Christus natus sit?

Schol. 2. Quoto anno orbis conditi Christus natus fuerit, non conveniunt Chronologi, neque nobis animus est, litem hanc dirimere. Illud communiter notant, Æram nostram vulgarem solido quadriennio post Christi Nativitatem incipere. Non solum autem de anno, sed etiam de mense & die mensis Nativitatis Dominicæ litem nobis plures intentat. Nonnulli apud Clementem Alex. diem 20. Maji: Basnagius diem 25. ejusdem mensis: alii diem 19. Aprilis assignant: S. Epiphanius *hær.* 51. diem 6. Januarii statuit. Novatores Romanæ Ecclesiæ traditionem 8. Kal. Jan. seu 25. Decembris Festum Nativitatis Domini celebrantis carpunt. Thomassinus & Serry licet diem 25. Dec. admittant, censent tamen, hoc ex Conceptione ejus 25. Martii facta probari non posse. Interim nos subscribimus communi Traditioni, quod Christus Dominus 8. Kal. Jan. seu 25. Decembris natus fuerit. Ita testatur Auctor *Constit. Apost. l.* 5. *c.* 13. ubi

ait: *Dies festos custodite, fratres, in primis Natalem, qui celebratur a vobis die 25. decimi mensis.* Manuscriptum vetustissimum a Cotelerio laudatum ait: *Annuntiatio facta est die Martii 25. Nativitas vero die 25. Decembris.* Idem tradit Chronicon Alexand. Kalendarium pervetustum a Bucherio editum: & omnia Martyrologia Ecclesiæ Occidentalis. Accedit Traditio Patrum: nam S. Hieronymus *Com. in Ezech.* diem Epiphaniæ a die Natali aperte distinguit: item S. Augustinus *in Ps.* 32. & S. Chrysostomus *hom. in Nat. Dom.* ait, sententiam nostram Occidentem incolentibus jam a superioribus temporibus notam esse. Non obstat I. quod olim lite jam mota Natalis Domini 6. Jan. celebratus fuerit. Nam complures etiam Orientales eum distinguebant, uti Theodorus Studita *Catech.* 32. S. Gregorius Naz. *or.* 39. alii vero duas apparitiones simul celebrabant. II. Non obstat, quod ea nocte, qua Christus natus est, pastores vigilabant super gregem suum, quod non videtur factum hyeme in Decembri. Nam in Palæstina hyems non admodum rigida est, & noctu accenso igne pastores facile vigilare poterant. Non obstat III. Christum licet 25. Martii conceptum non necessario per novem menses usque ad 25. Decembris in utero matris permansisse. Nam ordinarium tempus 9. mensium in partu Christi impletum fuisse, innuit S. Lucas *c.* 2. *v.* 6. *Impleti sunt dies, ut pareret.* Certe præmaturus fœtus vel serotinus imperfectionem naturæ infert. Vid. Honoratum a S. Maria *in animadv. ad reg. & usum Crit.*

De bove & asino præsepi alligato. *Schol.* 3. Pia est fidelium traditio, bovem & asinum præsepi alligatum fuisse, in quo Christus natus positus fuit, quæ fundatur tum in illo *Is.* 1. *v.* 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui;* tum in illo *Habacuc* 3. *v.* 2. *In medio duorum animalium cognosceris.* Quæ verba de bove & asino præsepi alligato explicat S. Hieronymus *Ep.* 86. *ad Eustoch.* S. Paulinus *Ep.* 11. & S. Gregorius Naz. *or.* 38. & ipsa Ecclesia in officio Nativitatis Domini.

Translatio S. Domus Nazarethanæ. *Schol.* 4. Pia etiam opinio fert, Domum Nazarethanam, in qua Verbum caro factum est, Apostolos in Sacellum convertisse, in eoque Altare erexisse, donec S. Helena Sæculo quarto magnificam Ecclesiam super illam erexit. Sed anno 1291. occupata Terra sancta a Serafio Ægypti Sultano, SS. Angeli sublatam in aera S. Domum in Dalmatiam detulerunt, & super collem prope litus maris Adriatici deposuerunt. Anno 1294. Angeli hoc Sacellum rursus in agrum Picenum detulerunt, quæ ibi in sylva cujusdam piæ matronæ nomine Lauretæ constitit. Rursus post 8. menses a. 1295. extra sylvam super col-

lem ab Angelis translatum fuit; cumque pugna inter duos fratres collis possessores exorta esset, post quatuor menses a. 1295. translata fuit, ubi modo conquiescit, & urbs Lauretum ædificata fuit. Translationem hanc refert Angelita, & eam cum antiqua traditione consentire asserunt Paulus Rinaldutius & Franciscus cives Recinatenses, qui jurato edixerunt, se ab avis multoties audivisse, quomodo S. Domus ipsis aliisque inspicientibus tranarit usque Lauretum. Probant eam Bollandistæ ad diem 25. Martii, Natalis Alexander in *hist. Eccl. Sæc.* 13. Theophilus Raynaudus *tom.* 8. sacer horror, quo ingredientes concutiuntur, dimensio accurate respondens spatio Nazarethano, ubi olim fuerat, & multa miracula a Tursellino collecta. Hæc Domus vero non sunt integræ ædes Nazarethanæ, sed tantum illud Domus conclave, ubi Beatissima Virgo salutata ab Angelo fuit, & Verbum caro factum est.

§. 296. Beatissima Virgo Maria non solum in partu, sed etiam post partum inviolata semper Virgo permansit. Ita Catholici credunt & docent ex Traditione, cujus testes sunt Origenes, qui contrariam opinionem vocat magnam insaniam, S. Ambrosius, sacrilegium, Gennadius, blasphemiam. S. Basilius in *S. Christi generat.* ait: *Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara desierit aliquando esse Virgo.* S. Epiphanius *hær.* 78. scribit, eos pro hæreticis haberi, qui dicerent, Mariam post editum Christum cum Josepho consuetudinem habuisse. S. Hieronymus *cont. Helvidium* expresse probat, Mariam semper Virginem permansisse. S. Augustinus *tr.* 10. *in Joan.* ait: *Num Maria iterum peperit? absit.* Et Concilium Calcedonense in *alloc. ad Mariam* dicit, Virginitatem ejus sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum. Idem definivit Synodus Capuana a. 389. & Conc. Lateran. a. 649. can. 3. *Beatissima Virgo post partum.*

Schol. Helvidius Beatissimam Virginem post Christum natum cum S. Josepho congressam, & filios ex eo suscepisse docet. I. Quia *Matth.* 1. *v.* 18. dicitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S.* Ergo postea convenerunt. Verum S. Scriptura ostendere vult, quod postea factum non sit: sicuti quando dico: Helvidius antequam pœniteret, mortuus est, non sequitur, quod postea pœnituerit. II. Christus dicitur *Filius Mariæ primogenitus.* At solum ostenditur, quod antea filios non habuerit, non vero, quod eos postea genuerit. III. Mentio fit fratrum Christi, *Matth.* 13. *v.* 55. Sed nomine fratrum consanguinei more Scripturistico designantur. *Solvuntur objectiones Helvidii.*

§. 297. Christus ex semine Abraham & David ortus *Christus*

ex semine David ortus fuit.

fuit. Nam Beatissima Virgo Maria ex semine Abraham & David orta fuit, uti patet ex genealogia Christi, *Matth.* 1. & *Luc.* 3. Ergo etiam Christus Mariæ Filius ex eadem familia ortus fuit.

Genealogia Christi expenditur Cur S. Matthæus tres Reges omiserit?

Schol. 1. Circa Genealogiam Christi ab Evangelista recensitam varia dubia moventur; & primo quæritur, cur S. Matthæus *v.* 8. tres Reges Ochoziam, Joam, & Amasiam omiserit, qui tamen 4. *Reg.* 8. & 2. *Paralip.* 22. ponuntur. Musculus hoc factum putat per incuriam interpretis, qui a Joram lectione delapsus est ad Hosiam, vel pro Ochosia legit Hosiam, & ab eo prolapsus est ad Joathan. Verum cum in omnibus editionibus hi Reges desint, & S. Matthæus ipse dicat, quatuordecim tantum generationes se referre, incuriæ interpretis hæc omissio tribui non potest. Abulensis hanc rationem assignat; quia S. Matthæus voluit ponere tres distinctiones, & in qualibet quatuordecim generationes, seu voluit facere Thesseradecades propter mysterium numerorum, tum ut designaret tria tempora, ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis, & a reditu ex Babylone usque ad Christum: tum ut in Thesseradecadibus per decem significaretur Lex vetus propter decalogum, per quatuor Lex nova propter quatuor Evangelia, per tres vero SS. Trinitas. Intentio hæc S. Matthæi videtur colligi ex sequentibus, ubi expresse colligit tres quaterdenas generationes. Verum hæc ratio nimis mystica est, nec in numeris tantum mysterium inveniri putat P. Contzen, ut eorum causa Genealogia interrumpatur. S. Hieronymus putat, hos reges omissos esse ob peccata eorum. Ast ex eadem ratione etiam Salomon, Roboam, Joram, Achaz, Manasses, Amon & Jechonias omitti debuissent. Ex quibus patet, veram rationem hujus omissionis nos latere; videtur tamen hæc esse, quod hi reges ipsius Religionis persecutores ex domo Idololatriæ & sanguine Achab anathemati devota 4. *Reg.* 9. proxime orti fuerint. Certe hi Reges ipsam veram Religionem persecuti sunt, uti patet de Ochozia, qui etiam Joachaz dictus est 2. *Par.* 22. De Joa, 2. *Par.* 24. *v.* 21. De Amasia, 2. *Par.* 25. *v.* 16. Merito igitur in Genealogia Messiæ non ponuntur, qui eum ex animis subditorum delere conati sunt.

Quomodo v. 11. Matth. cum 1. Par. 3. v. 15. concilietur?

Schol. 2. Ulterius quæritur, quomodo *v.* 11. *Josias autem genuit Jechoniam*, cum illo 1. *Par.* 3. *v.* 15. concilietur, ubi dicitur: *Filii autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanam, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum: v.* 16. *de Joakim natus est Jechonias & Sedecias.* Hic Joakim, non vero Josias pater Jechoniæ dicitur, & sine Joakim unus in tertia Thesseradecade

S. Matthæi deest. Variant hic iterum Interpretes: nonnulli putant, in Genealogia S. Matthæi Davidem bis legendum esse, ita ut sit finis primæ & initium secundæ Thesseradecadis: itemque Josiam esse finem secundæ & initium tertiæ Thesseradecadis: quod si fiat, & Christus non numeretur, nulla deerit generatio. Sed hæc explicatio minus commode S. Matthæum exponit. Dici potest, Jechoniam, de quo *Matth.* 1. *v.* 12. *Jechonias autem genuit Salathiel*, alium esse a Jechonia filio Josiæ, de quo *v.* 11. hic enim vocabatur Joakim & Jechonias vel corrupte Jeconias, fuitque pater Jechoniæ, de quo *v.* 12. qui proprie dictus est Joachim & Jechonias. Unde hic ex 1. *Par.* 3. supplenda est una generatio, & ante versum 12mum addendum: *Jeconias autem genuit Jechoniam*, & sic unus, qui in tertia Thesseradecade deesse videtur, suppletur. Nam sub nomine Jechoniæ filii Josiæ intelligi Joakim, de quo 1. *Par.* 3. patet ex S. Ambrosio *l.* 3. *in Lucam*, S. Epiphanio *l.* 1. *de hæres.* S. Augustino *l.* 2. *de cons. Evang.* & omnibus recentioribus interpretibus. Et ulterius hoc probat magna nominum affinitas, cum varie nominetur Jechonias, maxime quando a Græcis hoc nomen vertitur. Sic 1. *Par.* 3. *v.* 17. vocatur Jechoniah. 4. *Reg.* 24. *v.* 8. *ἰωαχεὶν*. *Ezech.* 1. *v.* 2. Jojahin. Deinde multa vetustissima manuscripta exemplaria hoc loco *v.* 11. loco Jechonias legunt Joakin: uti vetustum exemplar in Collegio Lincolniensi Oxonii: aliud in Bibliotheca Bodlejana: item Novum Testamentum, quod olim fuit F. Froy Franciscani, postea Thomæ Clementis, & nuper Thomæ Montfortii: item Biblia Græca V. & N. T. Francisci Junii. In omnibus his Codicibus legitur: *ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν*. Unde totus locus restituendus est: *Josias autem genuit Joakim, & fratres ejus in transmigratione Babylonis; Joakim autem genuit Jechoniam*. Ita D. Calmet.

Schol. 3. Putat D. Calmet *v.* 12. ubi dicitur: *Salathiel autem genuit Zorobabel*, omissum esse Phadajam, qui 1. *Par.* 3. *v.* 19. pater Zorobabelis dicitur. Verum notant alii, Zorobabelem 1. *Par.* 3. alium esse ab hoc Zorobabel; nam hujus filius est Abiud, illius vero in Paralipomenis filii sunt Mesullam & Ananias. Porro progenies primæ & secundæ Thesseradecadis S. Matthæus desumpsit ex libris Genesis, Ruth, Regum & Paralipomenon: tertiæ vero ex Genealogiis singularum familiarum, quæ in loco publico asservabantur, 1. *Par.* 9. tum propter officia, tum propter connubia, tum propter hæreditates, tum propter Principatus. *Difficultas v. 12. solvitur.*

Schol. 4. S. Matthæus Genealogiam S. Josephi potius, quam B. V. Mariæ recenset, quia alienum fuit a mori- *Cur S. Matthæus*

Genealogiam S. Josephi texat?

bus Hebræorum, ut mulierum Genealogia retexeretur; uti patet ex assiduis S. Scripturæ testimoniis: & quia lege cautum fuit, ne puellæ ex aliis tribubus viros accerserent, & si fieri posset, viri ejusdem familiæ nuberent, ostensa Genealogia Josephi ex David, Beatissimæ Virginis & Christi ex familia David progenies satis ostendebatur.

Quomodo S. Matthæus cum S. Luca in Genealogia concilietur?

Schol. 5. Ulterius quæritur, quomodo S. Matthæus, qui Joseph filium Jacob esse dicit, cum S. Luca concilietur, qui Joseph filium Heli esse statuit. Varias denuo vias ingrediuntur Interpretes. Nonnulli binomios esse Christi progenitores affirmant; unde apud duos Evangelistas est tantum nominum, non vero personarum distinctio. Sed hæc sententia nulla ratione probatur, maxime cum a Nathan usque ad Adamum nomina vulgaria S. Lucas posuerit. S. Augustinus *l. 2. de consens. Evang. c.* 15. putat, Joseph fuisse filium naturalem Jacob, & adoptivum Heli, quam tamen opinionem retractat *l. 1. Retract. c.* 7. S. Hilarius *in Matth. 1.* censet, S. Matthæum enarrasse generationem Christi regiam ex regibus: S. Lucam vero sacerdotalem ex sacerdotibus. Sed hæc sententia non videtur satisfacere, quia S. Lucas nil de Aarone & filiis ejus, & aliis notis Sacerdotibus memorat. Grotius cum multis recentioribus, quibus favet D. Calmet in *diss. de Geneal. Christi*, putant, S. Lucam genus Jesu Christi texere per Matrem ejus, cujus Genealogiam refert, cujus maritus erat Joseph, qui filius Heli, id est Joachim Patris Beatissimæ Virginis, dicitur, quia erat gener ejus; S. Matthæum vero texere Genealogiam Christi per Joseph Patrem ejus putativum. Sed huic sententiæ deest suffragium Patrum, & juxta eam non videtur Beatissima Virgo genus suum ex Salomone ducere, & sic Jesus Filius Salomonis dici non posset, nec illi ullum jus hæreditarium fuisset in promissiones posteritati Salomonis factas, 2. *Reg.* 12. v. 25. quod tamen Calmetus salvare conatur. Cornelius a Lapide putat, S. Matthæum texere Genealogiam Beatissimæ Virginis ejusque Filii Christi per Matrem B. V. scilicet S. Annam, quæ fuit soror Jacob et filia Mathan, nupsitque Heli, sive Joachim, ex quo genuit Beatissimam Virginem: S. Lucam vero Genealogiam texere per Patrem Beatissimæ Virginis, id est Heli sive Joachim. Sed hæc opinio iterum est contra antiquam traditionem, qua docemur, moris non fuisse, mulierum Genealogiam texere, & qua constat, Heli sine liberis decessisse. S. Joannes Damascenus *l. 4. de fide c.* 15. hunc Genealogiæ ordinem construit. Levi a David per Nathan oriundus filios genuit Melchi, & Pantherem: Panther genuit Barpanthe-

rem, unde prodiit Joachim Pater Beatissimæ Virginis. Rursus Mathan filius David per Salomonem genuit Jacob patrem Josephi: defuncto Mathan, Melchi frater Pantheris uxorem Mathani duxit, unde natus est Heli, qui cum Jacob unam matrem agnoscebat: cum vero Heli sine liberis decederet, Jacob ducta uxore Heli Josephum genuit, qui filius naturalis Jacobi, legalis Heli fuit. Verum notat D. Calmet, hanc Genealogiam cum Evangelio non satis cohærere. Tradunt quidem Origenes *l.* 1. *cont. Celsum c.* 25. & Judæi in Thalmud Babylonico, ac in vita Jesu Christi a Judæis edita, & Toldos Jesu dicta, patrem Jesu Pantherem dictum esse; sed hoc alii veteres nobis non tradiderunt, nisi forte dicere libeat, nomina Pantheris & Barpantheris cognomina fuisse Mathan & Levi. Pro conciliando igitur S. Matthæo cum S. Luca teneri potest sententia Africani & communior recentiorum, Joseph fuisse filium naturalem Jacob, & legalem Heli: quippe Heli sine liberis decessit, cujus proinde viduam uxorem ex Legis præcepto, *Deut.* 25. *v.* 5. sibi vindicante Jacob, natus est ex illo conjugio Joseph, filius Jacob secundum naturam, & Heli secundum Legem.

Schol. 6. In Genealogia Christi a S. Luca *c.* 2. recensita, inter progenitores Christi legitur etiam Cainam, qui tamen non reperitur in codicibus Hebraicis, *Gen.* 10. unde putant nonnulli eum non a S. Luca, sed ab aliena manu textui assutum fuisse. Verum a S. Luca esse relatum patet tum ex eo, quod S. Lucas sequatur Versionem græcam, in qua Cainam legitur apud LXX. in editione Romana, Sixtina, MS. Alexandrino, Oxoniensi, editione Complutensi & Aldina. Deinde Cainam a S. Luca relatum agnoscit S. Ambrosius, S. Beda, & S. Hieronymus, qui *quæst. in Gen.* censet, S. Lucam ideo recensuisse Cainam, quia gentibus scribens non debebat aliquid contrarium scribere illi Scripturæ, quæ erat in gentibus divulgata. Tandem Vulgata nostra, licet ejus authentiæ non officiant leviora ejus generis menda, sine gravissima tamen ratione erroris hic argui non debet, maxime cum viri docti jussu Romani Pontificis ejus correctioni insudantes, Cainam ob antiquorum Codicum concordantiam in Evangelio S. Lucæ reliquerint. Philo quidem, Julius Africanus, S. Irenæus & S. Epiphanius *Chronotaxin* LXX. sequentes Cainam omittunt; sed illi non versionem LXX. sed aliam Græcam, & Patres versionem S. Luciani Martyris secuti sunt. Eusebius *l.* 9. *præp. Evang. c.* 21. ex Demetrio in supputatione priscorum annorum etiam annos Cainam includit, & sequitur Origenem, qui in versione LXX. apposuit etiam versionem Theodotionis 1. *Paralip.* 1. In nonnullis quidem Codici-

An Cainam a S. Luca additus fuerit.

bus græcis Cainam non legitur, sed illi vel sunt versio Græca communis, vel interpolata. Porro LXX. Cainam ex libris genealogicis addere potuerunt, quia etiam Paraphrastas egerunt.

Parentes Beatissimæ Virginis. *Schol.* 7. Traditio communis habet, Parentes Beatissimæ Virginis Mariæ dictos esse Joachim & Annam. S. Joachim hoc nomine laudatur a S. Epiphanio *hær.* 78. & S. Damasceno *l.* 4. *de fid. Orth. c.* 15. a Martyrologio Romano 13. Kal. April. & a Menologio Græcorum die 9. Sept. Iidem hi Patres & Martyrologia laudant S. Annam sub nomine Matris Beatissimæ Virginis. Et Justinianus I. Imperator a. 550. templum in honorem S. Annæ, & aliud sæculo 8vo Justinianus I. Constantinopoli erexit, uti ex optimis monumentis probat Bailletus. De S. Joachim & Anna tamquam parentibus B. V. etiam Jacobus Episcopus Edessenus S. Damasceno coevus honorifice loquitur. Et S. Leo III. sæculo 8vo in Basilica S. Pauli historiam SS. Joachim & Annæ depingi jussit. Ait quidem S. Augustinus *l.* 23. *cont. Faustum c.* 9. *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod Patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quemdam nomine Joakin, quia canonicum non est, non me constringit.* Et S. Petrus Damiani *serm.* 3. *de Nat. Virg.* in eos invehit, qui studio superfluæ curiositatis hæc nomina inquirunt. Sed notandum, quemdam Manichæum nomine Seleucum, ut refelleret caput 1mum S. Matthæi, vulgasse apocrypham Scripturam de generatione Virginis ex tribu Levi, non vero ex tribu Juda. Ideo negat S. Augustinus, Patrem Virginis fuisse quemdam Joakimum ex tribu Levi, non vero Joachim ex tribu Juda. Ad eadem apocrypha scripta Seleuci, & Gnosticorum de stirpe Mariæ respexit B. Petrus Damiani.

Christus verus homo factus est. §. 298. Christus verus homo factus est. Christus enim dicitur natus ex Virgine, *Luc.* 1. *v.* 35. passus, mortuus, accepisse corpus, *Matth.* 26. *v.* 26. habuisse caput, *Matth.* 27. *v.* 29. manus, pedes, *Luc.* 24. *v.* 39. latus, *Joan.* 20. *v.*25. pectus, *c.* 13. *v.*23. carnem, ossa, *Luc.* 24. *v.* 39. crescebat, *Luc.* 2. *v.* 40. esuriebat, *Matth.* 4. *v.* 2. sitiebat, *Joan.* 19. *v.* 28. edebat, & bibebat, *Luc.* 14. *v.* 1. dormiebat, *Matth.* 8. *v.* 24. lachrymabatur, *Luc.* 19. *v.* 41. sudorem emittebat, *Luc.* 22. *v.* 44. Sanguinem in venis & arteriis gerebat, *Joannis* 19. *v.* 34. & quia circumcisus fuit, *Luc.* 2. *v.* 21. virile corpus habebat. Quia igitur eadem criteria in nostro corpore humano virili deprehendimus, Christus verum corpus virile habuit.

Deinde Christus habuit veram animam rationalem nostræ similem; instructa enim erat facultate cognoscitiva inferiore, scilicet sensu, dum videbat, *Joan.* 1. *v.* 38. au-

diebat, *Luc.* 13. *v.* 1. 2. phantasia, dum cogitationum communionem inter se habentium reproducta una, altera etiam reproducebatur, cujus exemplum videmus *Luc.* 13. *v.* 1. 3. 4. memoria seu facultate ideas reproductas recognoscendi pro iisdem, quas ante habuit, dum alibi dicta in aliis occasionibus repetit. Item anima Christi habuit facultatem cognoscitivam superiorem, scilicet intellectum, *Luc.* 2. *v.* 46. 47. ubi in Templo sedens in medio Doctorum satis ostendebat, se facultate distincte sibi aliquid repræsentandi esse præditum. Item habebat rationem, seu facultatem nexum veritatum perspiciendi, uti patet ex variis ejus disputationibus, *Matth.* 22. *v.* 19. &c. Rursus quoad voluntatem anima Christi habuit facultatem appetitivam inferiorem: sicuti enim Christus esuriendo & sitiendo appetitum habuit sensitivum, ita, quia affectus sunt appetitus sensitivus, vel aversatio sensitiva vehementior, Christus non fuit sine affectibus: sic & misericordiam, *Matth.* 9. *v.* 36. tristitiam, *Joan.* 11. *v.* 33. lætitiam, *Luc.* 10. *v.* 21. desiderium, *Luc.* 22. *v.* 15. amorem, *Joan.* 11. *v.* 5. indignationem, *Joan.* 11. *v.* 33. ei S. Scriptura tribuit. Præterea dum Christus bonum & malum distincte cognovit, appetitum & aversationem rationalem habuit, quando salutem hominum voluit, *Joan.* 17. *v.* 24. Igitur veram animam rationalem quoad facultates naturales nostræ similem Christus habuit, uti ex principiis Psychologicis apparet. Denique anima rationalis corpori unita fuit, uti ex omnibus actionibus Christi constat, in quibus motu in corpore facto, similis in anima contingebat, juxta illa, quæ in Psychologia Philosophi explicant. Ergo ex corpore & anima constat, & ita verus homo fuit. Hinc merito ejus Genealogiam refert S. Matthæus *c.* 1. merito vocatur *Filius hominis*, *Matth.* 17. *v.* 21. vocatur *Filius David*, *Matth.* 1. *v.* 1. vocatur *Homo*, 1. *ad Tim.* 2. *v.* 5. Et *fructus ventris Virginis*, *Luc.* 1. *v.* 32. Vide S. Iræneum *cont. hær. l.* 3. *c.* 22. & Tertulliani librum *de carne Christi* in mea Analysi PP. tom. 3.

Schol. Simon Magus, & ejus discipuli docuerunt, Christum veram & solidam carnem ex Beatissima Virgine non assumpsisse, nec vere passum fuisse; sed juxta Basilidem Simon Cyrenæus, cui Judæi crucem Christi imposuerunt, a Jesu in suam formam commutatus est, & Jesus vicissim ejus formam induit, & ita Simon in figura Jesu passus fuit. Valentinus item docebat, Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spirituale quoddam corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per canalem, ita per Mariam Virginem transmeasse. Hi hæretici vocantur Phantasiastæ, quorum impietatem secuti *Phantasiastæ.*

sunt Heracleonitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi & hodierni Anabaptistæ. Denique Apelliani veram quidem & solidam, non tamen ex Beatissima Virgine natam & sumptam, sed ex elementis coagmentatam carnem Christum assumpsisse dixerunt, I. quia *ad Philipp.* 2. *v.* 6. Christus dicitur factus in similitudinem hominum; & *ad Rom.* 8. *v.* 3. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Sed ly in similitudinem hominum, non ad carnis substantiam, sed vulgarem de Christo existimationem, quasi esset merus homo refertur, quia ejus conversatio ab illa communi cæterorum hominum non differebat. Deinde Christus dicitur factus in similitudinem carnis peccati, quia non ex traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat; hinc quia mortuus est, & mors est pœna peccati, non habuit carnem peccatricem, sed tantum similitudinem gerentem peccati. II. S. Matthæus dicit Christum natum non ex, sed in Maria: & ipse Christus profitetur, se neque matrem neque fratres habere, *Matth.* 12. *v.* 48. Et *Joan.* 2. *v.* 4. dicebat ad Matrem: *Quid mihi & tibi est, mulier?* ac vix unquam Beatissimam Virginem matrem vocat. Verum particula *in* & *ex* promiscue sæpe sumuntur. Item non negat, se habere matrem, & fratres, id est consanguineos, sed tantum vult corrigere falsam Judæorum opinionem putantium, eum more communi ex matre genitum esse, & docet, matrem & fratres spirituales legem Dei observantes carnalibus esse præferendos. Tandem dicit, nihil sibi & matri in patratione miraculorum esse, quia virtutem ea patrandi non a matre per temporalem, sed a Patre per æternam generationem accepit. Noluit vero Beatissimam Virginem matrem vocare, ne aliquibus errandi occasionem præberet; sufficienter tamen ejus maternitatem declaravit, vocando se Filium hominis: unde etiam S. Joannes Beatissimam Virginem expresse *Matrem Christi* appellat.

An Christus ante Incarnationem in Maria corpus aliud habuerit? §. 299. Christus ante suam in Maria Incarnationem corpus hypostatice cum Divinitate unitum non gessit. Nam *Luc.* 1. dicitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ratio est: si Christus ante suam in Maria Incarnationem gessit corpus hypostatice secum unitum, in Incarnatione illud aut deposuit, aut retinuit. Si deposuit, ubi mansit? si retinuit, non unum, sed duo corpora Christo tribuenda sunt.

Barclajus &c. *Schol.* 1. Barclajus *in Theol. vere Christ.* Poiretus *in œconom. Div. l.* 3. & Petersenius *in myster. primogeniti omnium creatur.* Christo corpus cœleste ante Incarnationem ex Maria, ante sæcula, vel ab æterno tribuunt; quod corpus est quid medium inter creatum & increa-

tum: I. enim dicitur *Primogenitus omnium creaturarum:* hoc vero de Divinitate dicitur. II. *Ad Hebr.* 13. 8. dicitur: *Jesus Christus heri & hodie.* Sed hoc indicat, Christum in V. & N. T. esse fundamentum salutis nostræ, uti ex sequentibus colligitur.

Schol. 2. Humanitas Christi est vera creatura, utpote per operationem Dei immediatam quoad animam ex nihilo producta: & quia humanitas Christi eamdem speciem cum nostra essentiam habet; modus enim productionis ejus speciem non mutat; humanitas Christi est nobis consubstantialis.

§. 300. Christus assumpsit imperfectiones humanas naturales. Hinc dormiivisse, esuriisse, lachrymasse, affectibus commotus fuisse legitur (§. 298.). Ratio est: Christus verus homo fuit (loc. cit.), ita ut humanitas ejus fuerit nostræ omnino similis & consubstantialis: sed imperfectiones humanæ naturales, sunt consequens constitutionis essentiæ humanæ: ergo illas assumpsit. *Christus imperfectiones humanas naturales assumpsit.*

Schol. 1. Christum doloribus obnoxium non fuisse negarunt Valentiniani, & Eutychiani dicti Incorrupticolæ ex Acephalorum grege; id est eorum, qui fuerunt sine capite; ex quo a Petro Moggo Episcopo Alexandrino recesserunt eo prætextu, quod Concilio Chalcedonensi anathema palam dicere dissimularet. Hanc hæresim multum adjuvit Justinianus Imperator ab uxore sua Eutychianis favente deceptus, qui cum in Orthodoxos strenue sibi adversantes excandesceret; & jam exilii pœnam in eos decreturus esset, repentina morte sublatus fuit. Favere illis videtur S. Hilarius *l.* 10. *de Trinit.* ubi fuse probat, Christum non habuisse doloris sensum: *Quamvis,* inquit, *ictus incideret, aut vulnus descenderet... afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent.* Et hoc explicat exemplis, aquæ, ignis, & aeris, quæ si verberentur, perforentur, aut dividantur, minime sentiunt. A pluribus sæculis de mente S. Hilarii disputatur a Catholicis. Erroris eum accusarunt Claudianus Mamertus *l.* 2. *de statu animæ c.* 9. Baronius *ad annum* 563. *n.* 4. Illum, e contra vindicant Lanfrancus contra Berengarium, Magister sententiarum *in* 3. *sent.* S. Bonaventura *in* 3. *d.* 16. *q.* 5. S. Thomas 3. *p.* & omnes passim Theologi. Alii putant, S. Hilarium incidisse quidem in hunc errorem, sed revocasse; uti Guillielmus Parisiensis, teste S. Bonaventura loc. cit. & Petavius *l. de Trin. c.* 5. Nam S. Hilarius sententiam Catholicam expresse docet *in Ps.* 53. *Esurivit,* inquit, *sitivit, dormivit, lassatus fuit, mœstus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est.* Et *in Ps.* 44. *In eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo* *Incorrupticolæ.*

naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se morti ingruentem non renuit. Et *in Ps.* 68. *Percussus est Dominus peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens.* Et *l.* 10. *de Trinit. n.* 47. scribit: *Pro nobis dolet. n.* 55. *Flevit & doluit. n.* 67. *Passus quidem est Unigenitus Deus, quæ homines pati possunt.* Ex his colligimus, S. Hilarium nunquam in errorem incidisse, sed secum conciliari posse; unde in loco primo citato solum vult, quod non doluerit Christus, ictuum tela non senserit ex conditione & necessitate naturæ per peccatum corruptæ, & dolores ab eo removet, quales nos experimur, qui sunt a peccato, rationem perturbantes & ineluctabiles. Item Clemens Alexand. *l.* 6. *Stromatum* ait: *Ipse autem... passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.* Verum Tournely putat, S. Clementem paullo liberius extra metas strictioris Theologiæ processisse. Vide meam Analys. PP. tom. 2.

An Christus ex necessitate naturæ doloribus obnoxius fuerit?

Schol. 2. Salvo fidei dogmate modo exposito, lis est inter Scholas, an Christus doloribus obnoxius fuerit, ex sola sua voluntate, an ex necessitate naturæ simul & libera voluntate. Putant nonnulli, Christum non ex necessitate naturæ, sed ex sola libera voluntate doloribus & aliis infirmitatibus obnoxium fuisse, quia necessitas subjacendi humanis infirmitatibus est ex peccato, quod in Christo non fuit. Alii censent, Christum non tantum ex sua voluntate, sed etiam ex necessitate naturæ, quam assumpsit, doloribus subditum fuisse, quia carnem nostræ per omnia similem absque peccato, adeoque doloribus & aliis infirmitatibus subditam assumpsit. Et patet etiam ex *Ep. ad Hebr.* 4. *v.* 15. ubi dicitur, *tentatus per omnia.* Idem probat ratio ex legibus unionis corporis & animæ ducta, qua fit, ut ex certis animæ cogitationibus resultet certa in corpore fluidi nervei & sanguinis commotio, & ex motu corporis certa in anima sensatio, adeoque dolores & cæteræ infirmitates naturalem carnis conditionem consequuntur. In multis tamen infirmitates illæ, quas nos patimur, ab illis Christi differunt. Et quidem 1. necessitate, quia illas Christus ad libitum excutere potuit: *Oblatus* enim *est, quia ipse voluit, Is.* 53. *v.* 7. Deinde 2. differunt causa, quia necessitas subjacendi naturæ infirmitatibus non fuit in Christo, sicut in nobis, ex peccato, cujus pœnæ sunt. 3. Differunt effectibus, quia humanæ infirmitates plerumque nobis dominantur, rationis usum præveniunt, eam perturbant, & ad impatientiam nos provocant: at in Christo ordinatæ erant, placidæ, & ad nutum ab eo regebantur. Vide Cl.

P. Gervasium *de Verb. incarn.* & Præf. oper. S. Hilar. a nostris Maurin. præfixam.

§. 501. Christus non assumpsit imperfectiones humanas morales; adeoque nullum unquam in eo peccatum fuit. Ita testatur S. Scriptura, 1. *Joan.* 5. *v.* 5. *Peccatum in eo non est*. Et Christus ipse, *Joan.* 8. *v.* 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 2. *Ad Cor.* 5. *v.* 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* id est hostiam pro peccato. Et 1. *Pet.* 2. *Qui peccatum non fecit*. Ratio est: Imperfectio moralis infert repugnantiam adversus legem. Sed hanc Christus non habuit, utpote ab Adami semine corrupto non propagatus (§. 291.). Ergo imperfectiones morales & peccatum non habuit. *Christus non assumpsit imperfectiones morales, nec peccavit.*

Schol. 1. Calvinus *l.* 2. *Inst. c.* 16. Christo peccatum imputare non erubuit, & illa verba Christi in cruce: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* fuisse verba animi impatientis & disperantis ait. Sicuti & illa verba: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*, impatientiam denotare videntur. Sed prima verba sunt hominis non desperantis, sed acerbissimum suum dolorem indicantis. & derelictionem illam, qua in parte inferiore & sensitiva omni sensibili solatio carebat, demonstrantis. Deinde Christus non absolute postulavit, ut calix ab eo transiret, sed instinctu naturali mortem refugit, ut se verum hominem probaret; Divinæ tamen voluntati perfectissime conformis fuit.

Schol. 2. Quærunt hic Scholæ, an Christus absolute peccare non potuerit, & unde ejus impeccabilitas provenerit. Respondemus, impeccantiam Christi ex vi unionis hypostaticæ profluxisse; unde in eo peccatum absolute esse non potuit. Ita docent SS. PP. S. Dionysius Alex. *Ep. ad Paulum Samosatenum: Nemo est, qui peccare non possit, nisi unus Christus*. S. Ambrosius *Apol.* 2. *de David, c.* 9. S. Augustinus in *Ench. c.* 36. Ratio est: Qui natura Deus est, & una cum Verbo Persona, vi unionis hypostaticæ peccati capax non est: sed Christus natura sua Deus est, & una cum Verbo Persona: ergo peccati capax non est. Porro quomodo cum hac impeccabilitate steterit in Christo libertas, maxime circa mandatum moriendi illi impositum implendum, est quæstio admodum intricata, & vix a nobis extricabilis. Dicimus, impeccabilitatem Christi cum ejus libertate conciliari per hoc, quod licet Christus non potuerit velle non mori in sensu composito, id est conjungere negationem mortis cum præcepto obligante; bene tamen in sensu diviso, id est velle negationem mortis ut abstractam a præcepto: sic enim vere potuit velle mori, etiam *Non peccare potuit.*

supposito præcepto, & tamen non potuit velle transgredi hoc præceptum: non potuit velle negationem mortis ut abstrahentem a tali præcepto, & non potuit velle negationem mortis ut conjungendam cum præcepto, adeoque liber fuit. Alii putant, mandatum moriendi absolutum & a libero Christi consensu omnino independens non fuisse, sed conditionatum, si nempe Christus illud acceptare vellet, quod re ipsa volens et lubens acceptavit.

Christus infirmitates humanas personales non assumpsit. §. 302. Infirmitates humanas personales, v. g. lepram, cæcitatem &c. Christus non assumpsit. Nam infirmitates humanæ personales sunt pœna peccati (§. 269.). Sed Christus sine ullo peccato fuit (§. 301.). Ergo nec pœnæ peccati in eo locus fuit.

An forma decorus fuerit? *Schol.* An Christus forma decorus fuerit, certo definiri nequit: nihil enim certi nobis de hoc constat in S. Scriptura, quæ dum speciosum nobis exhibet, de animæ pulchritudine explicari potest; dum vero deformem describit, de ejus passione loquitur. Similiter SS. Patres diversimode hic sentiunt. Vide dissert. D. Calmet.

Anima Christi perfectissimam scientiam habuit. §. 303. Anima Christi ab ipso statim conceptionis instanti perfectissima rerum omnium humana scientia donata fuit. Ita docet 1mo. S. Scriptura, *Is.* 11. *v.* 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus scientiæ & pietatis.* Id quod probavit etiam eventus, dum summum suum intellectum adhuc duodennis ostendit sedens in medio Doctorum, & dum spinosissimas quæstiones sibi propositas sapientissime solvisse in Evangelio legitur. 2do. Ita docent PP. S. Justinus *q.* 58. S. Basilius *Ep.* 141. S. Cyrillus *l.* 5. *cont. Nest.* ait: *Credimus enim, ex ipso ventre atque utero Virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse, plenum procul dubio sapientia & gratia, quæ illi naturaliter inerat.* 3tio. Rationes affert S. Fulgentius tum ex unione hypostatica, tum ex eo, quod Christus Patris, quem nil latere potest, Sapientia existat.

Schol. Gnostici & Valentiniani, teste S. Irenæo *l.* 1. *c.* 17, Christum sub ferula præceptoris Alphabetum didicisse asserebant. Ariani & Nestoriani, qui Christum purum hominem esse dicebant, omnem illi in primo instanti conceptionis scientiam denegabant. Inter Eutychianos etiam emersit secta Themistiana, a Themistio Diacono, & Severiana a Severo; a doctrina vero secta Corrupticolarum & Agnoitarum, ob ignorantiam, cui Christum obnoxium fuisse dicebant, dicta. Et Grotius *in c.* 13. *S. Marci* docet, Christo nonnisi post resurrectionem omnem scientiam concessam fuisse. Probare hoc volunt I. Quia *Luc.* 2. dicitur Jesus profecisse sapientia

& ætate. Sed hoc intelligitur non de sapientia increata & Divina, sed solum de experimentali, quando scilicet eas in anima humanas doloris & tristitiæ affectiones expertus est, quas licet antea novisset, non tamen senserat, vel profecit non quoad se, sed quoad nos, quibus proficere videbatur. II. Leontius de Christo ait: *Et ipse aliqua ignoravit, & Scriptura de eo dicit: proficiebat ætate & sapientia.* Verum Leontium hic metas excessisse notant Theologi.

§. 304. Anima Christi ab ipso conceptionis instanti beatifica & intuitiva Dei visione donata fuit, non tamen Deum proprie comprehendit. Quod anima Christi beatifica visione donata fuerit, ad finem quidem non pertinet; eruitur tamen ex S. Scriptura, & est communis Theologorum, ut qui hoc negaret, temeritatis notam non effugeret. Quippe *Joan.* 1. *v.* 18. dicitur: *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi de Christo non solum ut Deo, sed ut homine sermo est. Hinc Eusebius *l.* 10. *Demonst. Evang. c.* 21. sic Christum loquentem inducit: *Cum enim adhuc intra cellam gestantis me in utero laterem, te tamen Deum meum videbam.* Et S. Leo *Ep.* 25. *Simplex & incommutabilis natura Deitatis, sic naturam assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.* *Christus beatifica visione fruebatur.*

Non tamen Deum proprie comprehendit: licet enim totum, quod Dei est, ac modo perfectissimo creatæ capacitati accommodato cognoverit; non tamen modo infinito, quo Deus cognosci potest, eum cognovit, cum infinitæ cognitionis anima creata incapax existat. Deinde hæc propositio Augustini de Roma damnata fuit in Concilio Basileensi sess. 22. *Anima Christi Deum videt tam clare & intense, quam Deus videt seipsum.* Et S. Fulgentius ait: *Possumus plane dicere, animam Christi habere plenam notitiam Deitatis; nescio tamen, utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum seipsa Divinitas novit.* *Non tamen Deum comprehendit.*

Schol. Maxima difficultas est, quomodo visio beatifica cum perpessione dolorum in Christo conciliari possit. Dici potest, beatitudinem solius animæ cum doloribus stare posse, quia voluptas ex visione Dei, dolor ex vulnerato corpore oritur. Vel unio animæ cum Verbo summam voluptatem, unio vero animæ cum corpore ex læsione ejus ob leges unionis summum dolorem protulit. Vel Christus cohibuit in superiori animæ parte gaudium ex visione beatifica promanans, ne in inferiorem partem difflueret, ut ita per dolores opus nostræ salutis perficeret, sicuti cohibuit, ne gloria animæ in corpus redun- *Quomodo visio beatifica stet cum dolore?*

daret. Verbo: Mysterium est. Porro Christus per scientiam beatificam cognovit, quæ beati in cœlo vident, & videre possunt. Per scientiam infusam cognovit omnia objecta naturalia & libera per proprias eorum ideas; supernaturalia vero per ideas inditas. Denique per scientiam experimentalem illa omnia cognovit, quæ per varias operationes vel mentis, vel sensuum externorum successive intellexit, aut in se expertus fuit.

Gratia & dona Christi. §. 505. In Christo fuit *1mo* Gratia unionis seu substantialis, per quam humanitas Christi substantialiter sancta fuit, uti ex sequentibus magis patebit. *2do* Gratia capitis, uti pariter inferius apparebit. *3tio* Gratia habitualis & sanctitas adventitia perficiens animam ad operationes supernaturales; *Joan. 1. v. 14. Plenum gratiæ & veritatis*. Cujus ratio est, quia gratia habitualis est necessaria ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas: & hæc gratia dicitur naturalis, si spectetur humanitas in sensu composito unionis: nec tamen sequitur, Christum esse sanctum tantum per participationem; nam effectus hujus gratiæ solum est, reddere subjectum gratum Deo, & juvare ad operationes supernaturales modo magis connaturali exercendas.

4to In Christo fuit Gratia actualis, non quidem excitans, sed operans & cooperans; nam gratia excitans solum datur, ut sopitos ad bonum excitet, qua utique Christus ad bonum semper paratus non indiguit: Gratia vero operans & cooperans est ipsa Dei nobiscum operantis actio, seu concursus, qui ad omnem actionem creatam est necessarius.

5to In Christo fuerunt Gratiæ gratis datæ, fides, sermo sapientiæ, scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, 1. *ad Cor.* 12. *v.* 7. uti videri potest in tota historia Evangelica.

6to In Christo fuerunt omnes virtutes morales infusæ, quæ ordinantur ad bonum, quod modificatur per Legem Divinam, non vero per rationem humanam, & causantur per operationem Divinam; hæ enim virtutes cum gratia habituali simul infunduntur, & animam inclinant ad eorum actus facilius eliciendos. Item fuerunt in eo omnes virtutes acquisitæ, quæ ordinantur ad bonum modificatum secundum regulam humanæ rationis, & possunt causari per actus humanos, quorum principium est ratio; nam Christus has exercebat, sicut alii homines: fuerunt tamen hæ virtutes in Christo seclusis imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis repugnant: unde in Christo non fuit Fides, &

Spes, quæ visioni beatificæ omnia clare videnti & possidenti repugnant; nec continentia, quantum ad resistentiam pravis motibus, qui in Christo non fuerunt.

7timo Fuerunt in Christo dona Spiritus S. teste Isaia *c. 11. v. 2. Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientiæ & Intellectus: Spiritus Consilii & Fortitudinis: Spiritus Scientiæ & Pietatis: & replebit eum Spiritus Timoris Domini.* Hic tamen Timor mere filialis & castus fuit, non vero servilis ex metu gehennæ: item Consilium sine aliqua dubitatione sanum & rectum de agendis judicium fuit.

§. 306. At vero Christus per hucusque demonstrata non solum humanam naturam, sed etiam juxta alibi dicta, quia Patri suo est ὁμοούσιος, Divinam habet (§. 142. 143. 144.); adeoque duæ sunt in Christo distinctæ, inconfusæ, & impermixtæ naturæ, Divina scilicet & humana. Ita docet *1mo* S. Scriptura, tum quando duas in Christo naturas expresse distinguit, *Joan. 1. v. 14. Verbum caro factum est:* non utique conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; & *ad Philipp. 2. v. 6. Forma Dei & servi* non confusa & permixta, sed distincta in Christo asseritur; tum quando duas voluntates in Christo distinguit, *Luc. 22. v. 42.* tum quando contraria Christo tribuit, ut quod e cœlo descenderit, & in terra versetur, & tamen simul sit in cœlo, *Joan. 3. v. 15.* *2do* Ita docent PP. quorum testimonia in Concilio Chalcedonensi act. 2. probata fuerunt. S. Hilarius *l. 9. de Trin.* S. Gregorius Naz. *or. de Nat. Duplex erat in eo natura.* S. Ambrosius *l. 2. de fide: Servemus distinctionem Divinitatis & carnis.* S. Chrysostomus *hom. de Ascens. Sociavit utramque naturam.* S. Augustinus *ep. ad Volus. Copulans utramque naturam.* S. Cyrillus *de Incarnat. Non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfuse inter se servantes.* *3tio* Constat ex definitionibus Conciliorum, Constantinopolitani sub Flaviano a. 448. alterius sub Anatolio a. 450. & denique Chalcedonensis. *4to* Unio naturarum non poterit fieri in Christo ex duabus naturis permixtis aut permutatis, quia Divinitas utpote immutabilis in aliam naturam, & humanitas in Divinitatem converti nequit, a qua infinite distat. Nec unio facta est ex duobus in unum coalescentibus, quia hoc modo fieret vel ex pluribus partibus quantitativis, vel ex materia & forma, quorum neutrum Deo enti simplicissimo convenit. Deinde Christus Deus (§. 242.) & homo est (§. 298.). Ergo essentiam Divinam & humanam habet. Cumque Christus sicut ut Deus, ita & ut homo agat, actio autem principium activum & vim supponat; duplex in Christo principium activum seu vis,

Duæ in Christo sunt naturæ.

scilicet Divinum & humanum esse debet, adeoque duplex natura, Divina & humana; nam natura juxta Philosophos est essentia entis cum principio ejus activo.

Eutychetis hæresis & systema. *Schol.* Eutyches Archimandrita celeberrimi Monasterii Constantinopolitani circa a. 443. unam in Christo post Incarnationem naturam statuit, putans aliter contra Nestorium defendi non posse, esse unum Christum. Delatus proinde ad S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, in coacta ab illo a. 448. Synodo damnatus fuit. Hac de re conquestus apud S. Leonem I. Papam, a S. Flaviano de impietate Eutychetis rite instructum, ab eo pariter damnatus fuit. Eutyches igitur ad Imperatorem Theodosium appellans obtinuit, Synodum Ephesinam indici, in quo latrocinio contranitentibus Papæ Legatis, ab Episcopis sibi faventibus Eutyches absolutus fuit, damnato Theodoreto, Iba, & ipso S. Flaviano, qui appellationem interponens pluribus vulneribus trucidatus fuit. Tandem Theodosio mortuo sub Marciano Imperatore a. 451. in Concilio Chalcedonensi 630. Episcoporum Eutyches damnatus fuit. Systema hæresis Eutychianæ hoc est. 1. Ante factam unionem Christus habuit naturam vere Divinam ex substantia Patris ab æterno. 2. Deinde in tempore in utero matris formata est humana natura a Divina quidem distincta, nostræ tamen non consubstantialis. 3. Accedente porro unione, humana natura ita absorpta est, ut una natura fieret, quæ dici posset aut Divinitas incarnata, aut caro Deificata. 4. Ex quo secuta est confusio proprietatum, ita ut ipsa Divinitas facta sit passibilis & mortalis; caro vero omniscia, omnipotens &c. Probant hoc I. ex S. Scriptura, ubi *Joan. 1. v. 14.* dicitur: *Verbum caro factum est*: ergo Verbum in carnem versum fuit, sicuti virga Moysis in serpentem, *Exod. 4. v. 2.* uxor Lot in statuam salis, *Gen. 19.* aqua in vinum in Cana Galilææ; panis in Corpus Christi in SS. Eucharistia. Ast Verbum caro factum est, non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Certe virga Moysis, uxor Lot, & aqua sunt res mutationi obnoxiæ, adeoque in serpentes, statuam salis, & vinum converti potuerunt: Verbum autem Divinum non est quid mutabile. Conversionem panis probant verba: *Hoc est corpus meum*, quia panis est res mutabilis; unde non dicit Christus: *Corpus meum factum est panis.* nec Evangelista: *Caro est Verbum*: sed *Verbum caro factum est*. II. Putant sibi Eutychiani favere Patres, qui loquentes de Incarnatione utuntur voce mixtionis, uti S. Irenæus *l. 2. c. 21.* Tertullianus *in apologet. c. 21.* &c. Imo Julius Papa in *Ep. ad Dionysium Corinthium* ait: *Necesse est, eos, cum duas naturas dicunt, unam na-*

turam adorare, alteram non adorare. Et S. Gregorius Thaumaturgus *in expos. fid.* ait: *In Christo non sunt duæ Personæ, neque duæ naturæ*. Verum Patres utuntur nomine mixtionis ad significandam hypostaticam utriusque naturæ in Christo unionem, non ad significandam utriusque naturæ confusionem. S. Julio Epistola illa ab Eutychianis fuit supposita, & nomen naturæ pro Persona usurpari potest. Denique illa expositio fidei non est opus S. Gregorii Thaumaturgi, sed alicujus hæretici, uti notat Leontius adversus Apollinaristas Patrum depravatores.

§. 307. Licet autem duæ sint in Christo naturæ, una tamen tantum est in eo Persona. Hoc testatur 1mo. S. Scriptura, quæ *Joan.* 1. *v.* 3. dicit de Verbo, quod *erat a principio apud Deum:* & *v.* 14. *Verbum caro factum est*. Ergo Persona Christi est eadem & una Persona cum Persona Verbi, quod erat a principio. Item una & eadem Christi Persona in S. Scriptura simul homo & Deus dicitur: sic *ad Philipp.* 2. *v.* 6. unus & idem Christus dicitur esse *in forma Dei, & in forma servi;* unus & idem Filius Dei *factus ex muliere*. Ergo non duæ, sed una est in Christo Persona. Hoc argumentnm ex cit. *Ep. ad Philipp.* petitum rejiciunt P. Harduinus in *suis Comment.* & P. Berruyerius *p.* 2. *tom.* 8. *q.* 1. ex eo, quia exinanitionem illam ad Verbum transferri non posse arbitrantur; quos docte refutatos vide apud Cl. P. Gervasium *de Verb. Dei Incarn.* 2do. Hanc veritatem profitentur antiqua fidei symbola & Concilia. In Symbolo Apostolorum profitemur Jesum Christum Filium Dei natum ex Maria Virgine. Et Concilium Ephesinum, Calcedonense & Synodus V. definiunt, unum esse Christum eumdem simul Deum & hominem. 3tio. Patres unam tantum in Christo Personam agnoscunt. S. Ignatius *Ep. ad Eph.* S. Irenæus *l.* 3. *c.* 16. S. Athanasius *l. de Incarn.* S. Ambrosius *de Incarn. c.* 5. *Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine*. S. Augustinus *l. de corrept. & grat. c.* 11. *Ipse & Verbum, quod sine initio est, una Persona est*. 4to. Ratio est: Humana Christi natura ideo producta est, ut cum Divina Filii Dei natura totum θεάνθρωπον constitueret, quod pro nobis Deo satisfaceret, adeoque non quidem in essendo, sed in subsistendo incompleta fuit; alioquin totum cum altera natura non constituere potuisset, quia ex duabus naturis in subsistendo completis nonnisi totum per accidens consurgit; consequenter humana Christi natura, utpote in subsistendo incompleta, non est suppositum & caret propria subsistentia: sed quod non est suppositum, non est Persona: ergo humana Christi natura non

Una tantum est in Christo Persona.

est Persona, & personalitas Christo ut homini non competit. Porro quia quoad humanitatem Christus non est Persona, quoad Divinitatem vero est Filius Dei, & secunda SS. Trinitatis Persona (§. 141.), subsistentia sua & personalitate gaudens; hinc Christus est & Deus, & homo in una Persona, & humanitas in Persona Verbi subsistit. Deinde si duæ sunt in Christo Personæ, quænam pro nobis passa est? non Divina, quæ pati non potuit, adeoque nec pro nobis satisfacere: non humana; quæ utpote finita pretium infiniti valoris pro nobis solvere nequivit. Unde ruit nostra redemptio, & tota Christiana religio.

Nestorii hæresis, & ejus systema. *Schol.* 1. Nestorius ex Monacho Ecclesiæ Antiochenæ Sacerdos, ac deinde Constantinopolitanus Episcopus circa annum 427. duas in Christo Personas statuebat. Rumore suæ hæresis ad Cœlestinum Papam delato, is per litteras Nestorium ad resipiscendum hortatus est, intentans illi post decem dies communionis Ecclesiasricæ privationem. His spretis Nestorius, etiam S. Cyrillum Alexandrinum adversus se pugnantem velut hæreticum Apollinaristam traduxit. Interim Nestorii impietate commoti plures probi ab ejus communione se se segregarunt, a quibus ille ad Concilium generale provocans, adversarios suos vinctos Præfecto urbis flagris cædendos tradidit. Denique annuente Cœlestino P. celebrata est Synodus universalis Ephesina a. 431. ubi Nestorius vocatus nec comparens, Ecclesiasticis infulis privatus, exul & profugus inter blasphemias voces animam efflavit. Systema hæresis Nestorianæ hoc esr: 1. Beatissima Virgo non θεότοκος Deipara, sed Christipara est. Unde 2. Christus non verus & consubstantialiter Deus, sed tantum per gratiam, adoptionem, assistentiam, aut inhabitantem tamquam in templo Divinitatem esr: & 3. Moralis est, non physica & hyposratica in Christo unio Divinitatis cum humanitate: & 4. Non una in Chrisro est Persona, sed duæ, non unus, sed duo Christi, adeoque Verbum humanitatem sibi uniendo perfectum natura & Persona hominem assumpsit, qui primum in utero Beatissimæ Virginis formatus, & deinde ad unionem cum Verbo assumptus fuit. Putat suffragari sibi I. S. Scripturam, quæ humanitatem Christi exhibet ut Templum, *Joan.* 2. *v.* 9. Tabernaculum, *ad Hebr.* 9. *v.* 11. Indumentum, *ad Philipp.* 2. *v.* 7. quæ non habent cum inhabitante & induto unionem hypostaticam. Verum humanitas Christi his rebus comparatur, quia per mortem dissolvenda erat, & quia sub ea Divina Majestas latebat; non vero ut denegetur inter Divinam & humanam naturam unio hypostatica. II. Citat pro se PP. quorum nonnulli vocant

Christum *hominem Deiferum*, uti S. Basilius *serm. de Spir. S.* Alii *hominem Deificatum* & *Dominicum*, uti S. Athanasius *in expos. fid.* Alii dicunt, hominem fuisse a Verbo assumptum, uti S. Augustinus *l.* 11. *de Civ. c.* 2. Alii humanitatem Christi vocant *Divinitatis instrumentum*, uti S. Damascenus *l.* 3. *de fide*. Alii humanam naturam vocant *templum Divinitatis*. Ast Christus dicitur homo Deifer & Deificatus ob unionem hypostaticam; homo, id est humana natura assumpta est in unitatem Personæ. Humanitas est instrumentum Divinitatis conjunctum, non separatum, & Templum per unionem hypostaticam. III. Specialiter opponunt S. Chrysostomum, qui *hom.* 3. *in c.* 1. *ad Hebr.* ait: *Hic & Judæos & Pauli Samosateni assectas, & Arianos, Marcellumque & Sabellium ferit & Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens duas Personas, & Deum & hominem.* Sed hic S. Chrysostomus loquitur de duabus Personis SS. Trinitatis, Patre scilicet & Filio; nam exponit illa verba: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, quæ *hom.* 5. *de incompreh. Dei nat.* de Patre & Filio in SS. Trinitate exponit. Certe hæc verba aliquando pro se protulissent Nestoriani, si sibi favissent. Vide *dissert.* P. Daniel S. J. *l.* 3. *p.* 569. IV. Dicunt: Natura humana in Christo habet existentiam; ergo etiam subsistentiam propriam. Verum ab existentia non valet conclusio ad subsistentiam; nam existentia est status entis, quo ad agendum & patiendum aptum est: subsistentia vero est modus existendi incommunicabiliter, qui a nobiliori Persona seu subsistentia Divina suppleri potest.

Concilium Ephesinum juste damnavit Nestorium.

Schol. 2. Albertinus Calvinista, & David de Rodone in *l. de supposito* Nestorium ab omni errore absolvunt, & Concilium Ephesinum multis probris lacessunt. Verum cum notissima esset Nestorii impietas: cum diligenti examine scripta Nestorii discussa fuerint: cum Nestorius ad Concilium vocatus venire contumaciter noluerit, & aliis etiam Synodis particularibus contra se congregatis non obediverit; juste ab Ephesina Synodo depositus & damnatus fuit. Vid. Acta Conc. Ephes. *in collect. Conc.* Admisit quidem Nestorius unam in Christo Personam, sed unitate morali, affectus, voluntatis & concordiæ, non vero unitate personali.

Cyrillus Alex. ab omni labe hæresis immunis est.

Schol. 3. Nullus Nestorium magis exagitavit, quam S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui anno 419. coacta Synodo Alexandriæ duodecim Capitula, seu Anathematismos contrarios blasphemiis Nestorianis edidit, quibus tamen Nestorius duodecim alios opposuit, ubi erroris Apollinaris & Arii S. Cyrillum insimulavit. At S. Cyrillus editis vindiciis omnem a se erroris suspicionem amo-

vit, ita ut etiam Joannes Antiochenus cum cæteris Orientalibus tandem Ephesinæ Synodo accesserint, & Theodoretus inita cum S. Cyrillo concordia Nestorium damnaverit. Verum non defuerunt, qui conati sunt non ita pridem stylum in S. Cyrillum acuere, contendentes, Synodum Ephesinam immerito ejus scripta approbasse. Hanc sententiam gravi censura notavit Harlæus Archiepiscopus Parisiensis an. 1693. Certe duodecim S. Cyrilli Capitula approbavit Synodus Alexandrina a. 430. Concilium Ephesinum Act. 1. Concilium Chalcedonense Act. 5. Synodus V. generalis c. 13. Et Cœlestinus Papa ejus doctrinam laudat. Facundus quidem narrat *l. 2. c. 4.* Gennadium Constantinopolitanum virum sanctum damnasse Capitula S. Cyrilli; sed hoc vel falsum est, vel factum fuit, quia Gennadius falsis rumoribus de S. Cyrillo sparsis deceptus fuit, quod idem Isidoro Pelusiotæ contigit. Ex prudenti vero œconomia S. Cyrillus de suis Capitulis siluit, nunquam tamen ea revocavit. Dicit quidem S. Cyrillus subinde, unam esse in Christo naturam, sed intelligit Verbi Divini essentiam, & duas post unionem naturas sola quidem ratione divisas, non vero sola ratione distinctas admittit.

Tria Capitula merito damnata sunt. *Schol. 4.* Origenistæ, ut Synodum Chalcedonensem deprimerent, an. 545. Justinianum Imperatorem moverunt, ut suo edicto famosa tria Capitula damnaret, quæ sunt, 1. Scripta Theodoreti contra duodecim Anathematismos S. Cyrilli. 2. Ibæ Episcopi Edesseni Epistola ad Marim Persam. 3. Theodori Mopsuesteni scripta, quæ Judaicæ nugæ & maledicta appellantur. Justiniani edictum Orientales receperunt, Occidentales rejecerunt, putantes per damnationem horum trium Capitulorum tolli auctoritatem Synodi Chalcedonensis, quæ Theodoretum & Ibam absolvit, & erroris non coarguit. Vigilius Papa, ut utrisque satisfaceret, judicatum edidit, in quo tria Capitula damnavit, salva Synodo Chalcedonensi. Sed huic judicato alii, maxime Facundus Hermianensis se opposuit. Interim Justinianus Imperator contranitente Vigilio Papa, instigante Theodoro Cappadoce a. 546. Synodo indicta, novo edicto tria Capitula damnavit. Videns vero nihil firmari posse sine auctoritate Romani Pontificis, tandem annuente Vigilio Synodum V. generalem obtinuit, cui tamen ob parvum numerum Episcoporum Occidentalium Vigilius non interfuit. In hac tria Capitula damnata fuerunt, & eamdem Synodum Vigilius a. 554. aliique deinde Romani Pontifices confirmarunt. Hoc vero non obstante, Venetiarum & Istriæ Episcopi celebrata Synodo a. 557. facto schismate, tria Capitula citra labefactationem Concilii Chalcedonensis damnari non

potuisse dixerunt: licet postea re mature discussa; tandem damnationem illam etiam receperint. Merito igitur tria hæc Capitula tamquam Nestoriana a V. Synodo generali damnata fuerunt: unde juxta P. Graveson *in hist. Eccles.* contrarium asserentes hodie sunt temerarii, superbi & inobedientes: Et P. Berti observat, hanc de tribus Capitulis quæstionem, non esse quidem de Catholico dogmate, quatenus absolute non tractat de fide Incarnationis; esse tamen de facto dogmatico circa libros hæresi scatentes, & personas hæreticas; in quo etiam Ecclesiæ judicium juxta multos est inconcussum (§. 28. cum Schol.). Certum quippe est, Synodum V. post accuratam trium Capitulorum discussionem illa *can.* 12. 13. & 14. damnasse, quod Vigilius P. a. 553. Pelagius II. *ep. ad Eliam*; & S. Gregorius M. *l.* 2. *ep.* 36. confirmavit. Certe Theodorus Mopsuestenus a S. Cyrillo *ep. ad Lambon.* vocatur pater Nestorii, & nomen ejus ex diptychis Mopsuestenis expunctum fuit. Theodoretus impugnavit Anathematismos S. Cyrilli; & Nestorium inique damnatum esse asseruit in *epistol. ad Andream.* Ibas Patres Ephesinos a S. Cyrillo veneno obcæcante deceptos esse dixit, & ejus epistola scatet hæresi Nestoriana. Ergo tria Capitula juste damnata fuerunt. Theodoretus quidem in Concilio Chalcedonensi absolutus, suæque sedi restitutus fuit: & Ibas lecta ejus epistola ad Marim in hoc Concilio orthodoxus declaratus & suæ sedi restitutus est: Verum in Synodo V. nihil contra Theodoreti personam actum fuit, sed tantum contra ejus scripta, quæ ipse jam antea implicite damnavit, dicens anathema Nestorio in Concilio Chalcedonensi. Ibas vero absolutus fuit, quia probari non poterat, epistolam ad Marim ipsius esse; unde pariter in Synodo V. nil contra ejus personam actum fuit, & Ibas ipse illam epistolam in Concilio Chalcedonensi implicite damnavit. Vide Cl. P. Berti *de disc. Th.*

Schol. 5. Joannes Antiochenus Episcopus multa egerat in gratiam Nestorii, & in suo Ephesino Conciliabulo S. Cyrillum Alex. & Mnemonem Antiochenum excommunicavit: Unde Nestorianæ hæresis suspicionem incurrit apud Patres Ephesinos. Verum Joannem cum suis Orientalibus tantum personæ, non vero erroribus Nestorii adhæsisse patet, tum quia ante Concilium eum hortabatur, ut vocem & sensum Deiparæ admittat. Item in suo Conciliabulo ne verbum quidem extat de approbata Nestorii doctrina. Et denique post initam inter Ecclesias pacem in *ep. ad Sixtum* Nestorii doctrinam cum auctore suo publice damnavit. Quia tamen Joannes Nestorii personæ plus æquo favit, erroris ejusdem suspectus

Joannes Antiochenus Nestorii errori non adhæsit.

fuit, & errore facti deceptus cum suis S. Cyrillum, putans eum errorem Apollinaris docere, & Concilium Ephesinum, putans non esse legitimum, oppugnavit.

In Christo datur unio personalis. §. 308. Quia igitur humanitas Christi caret propria subsistentia, & cum subsistentia Verbi unam Personam constituit (§. 307.); ideo recte humanitas Christi in Persona Verbi subsistere dicitur, & in Christo datur unio personalis. Quippe unio est status plurium, quæ ad unum constituendum concurrunt: sed Divinitatis & humanitatis, quæ sunt plura, talis status est, ut ad constituendum unum Theanthropum concurrant: ergo Divinitatis & humanitatis in Christo est unio; quæ quia ad unitatem Personæ ex duabus naturis constantis producendam tendit, vocatur personalis seu hypostatica. Unde unio hypostatica est status Divinitatis & humanitatis, quo ad unam hominis personam constituendam concurrunt.

Christus an sit compositus? *Schol.* Christus non est compositus ea ratione & compositione, quæ fit ex partibus incompletis proprie dictis, quia quælibet natura in Christo perfecta est & in essendo completa, non vero pars incompleta, quæ cum altera faciat totum, cum utraque natura post unionem inconfusa & impermixta permaneat: unde nonnisi abusive a nonnullis veteribus partes appellantur. Potest tamen Christus dici compositus ea compositione, quæ est distinctorum unio: quo modo Veteres Christum compositum dicebant, ut ostenderent, duas inconfusas in Christo naturas esse. Licet porro in sano sensu dici possit, Christum esse duas naturas; quia tamen juxta Wicleffum hoc idem significabat, ac unamquamque naturam esse totum Christum, merito hæc propositio a Concilio Constantiensi damnata fuit. Item Christus potest dici esse ex duabus naturis: at propter fraudes Eutychianorum docentium, Christum ante unionem, non vero post eam, ex duabus naturis esse, hæc propositio aliquando suspecta fuit. Item Christus potest dici esse ex tribus substantiis, scilicet Divinitate, corpore & anima: hunc tamen loquendi modum, tamquam minus caute dictum a Synodo Toletana XI. anno 675. improbavit Benedictus II. P. quod cum intellexissent Hispani, mentem suam in alia Synodo Toletana XV. anno 688. explicarunt, contendentes utrumque dici posse; melius tamen dici tres substantias ad eludendas Arianorum & Apollinaristarum fraudes. Unionis personalis extrema sunt Persona Divina assumens, & natura assumpta.

Unio hypostatica est realis. §. 309. Unio personalis in Christo est 1. realis; nam Christus verus Deus & verus homo in una Persona est (§. 307.), adeoque unio naturarum personalis prædicatur de Christo secundum rei veritatem: ergo est realis.

2. Habet initium; humanitas enim Christi in tempore a Deo producta fuit (§. 289.), nec fuit ab æterno; & hinc status ejus, quo cum Divinitate ad constituendum totum Theanthropon concurrit, non est ab æterno, sed cœpit in tempore. Hinc *Habet initium.*

3. Non est absolute necessaria, eo ipso quod non sit ab æterno (§. 45.), licet posito decreto hypothetice necessaria fuerit. *Non est absolute necessaria.*

4. Est indissolubilis & semper durabit, quia *Luc.* 1. *v.* 33. dicitur: *Regni ejus non erit finis*: & *Joan.* 12. *v.* 34. *Christus manet in æternum*: & Concilium Chalcedonense definit, utramque naturam in eamdem Personam concurrisse indivisibiliter & inseparabiliter. *Est indissolubilis.*

Schol. Marcellus Ancyranus docuit, Christum post ultimum judicii diem deposito Servatoris officio, corpus & animam depositurum, quibus in nihilum redactis regnum hucusque occupatum dimittet, & Patri suo resignabit. Sed sic regnum Christi non foret æternum, quod pugnat expresse cum citato textu S. Lucæ.

§. 510. Igitur in triduo mortis Christi Verbum semper cum anima & corpore separatis unitum permansit. Docet hoc dogma Symbolum Apostolorum, ubi Christus dicitur *mortuus, sepultus, & ad inferos descendisse*. Jacuit autem in sepulchro Christus quantum ad corpus, anima vero ad inferos descendit: sed qui Christum nominat, dicit Divinitatem cum humanitate, vel tota simul, vel ejus partibus conjunctam. 2do. Docent hoc Patres; S. Athanas. *de salut. Christi adventu*, S. Gregorius Niss. *de resurr.* S. Augustinus *ep.* 187. S. Leo *serm.* 17. *de Pass.* S. Damascenus *l.* 3. *de fide c.* 27. ait: *Quamvis Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, Divinitas tamen a neutro, hoc est nec ab anima, nec a corpore quoquo modo sejuncta est.* Unde tritum illud: *Quod verbum semel admisit, nunquam dimisit.* *In triduo mortis Christi Verbum cum corpore & anima unitum permansit.*

Schol. 1. Anno 1462. sub Pio II. gravis controversia orta est inter Dominicanos & Franciscanos. Franciscani negabant, Sanguinem Christi triduo mortis effusum Divinitati unitum permansisse; Dominicani affirmabant. Per tres dies præsente ipso Papa quæstio hæc disputata fuit, nec quidquam Papa definivit, sed biennio post Cal. Augusti Constitutionem edidit, & litigantibus silentium imposuit, sub pœna excommunicationis prohibens, ne partes aliqua erroris vel alterius censuræ nota se se mutuo configerent, donec a S. Sede res definiretur. Sed adhuc sub judice lis est. Unde perperam nonnulli sententiam negantem, ut temerariam, falsam & erroneam, & a Sede Apostolica damnatam traducunt, uti notat Col- *An sanguis tridui passionis effusus Divinitati unitus manserit?*

lius in *dissert.* Sententiæ affirmanti & nos subscribimus, tum quia S. Scriptura sæpe testatur, nos pretioso Christi Sanguine redemptos esse, quæ virtus non erat, nisi ex unione cum Verbo: tum quia Patres testantur, in triduo mortis Christi Divinitatem cum corpore & anima separatis conjunctam permansisse; ergo etiam cum Sanguine effuso, maxime quia Sanguinem ex aperto Christi latere effluentem salutarem, & vivificum appellant: tum quia quod Verbum semel admisit, nunquam dimisit; cum igitur Sanguis sit pars vitæ necessaria in corpore, etiam effusus Divinitati unitus permansit: tum quia huic sententiæ aperte favent Pius II. Clemens VI. Paulus II. etsi nihil definiverint. Non obstat I. quod in illo triduo totum, quod Christus est, integrum non permanserit, quia Christus ob separationem animæ a corpore verus homo non fuit. Nam licet in Passione compositum ex corpore & anima dissolutum fuerit, utrique tamen Divinitas conjuncta permansit, quia reassumenda erant in resurrectione; ergo etiam Sanguini effuso in resurrectione reassumendo. Non obstat II. quod sic posset dici Deus effusus, sicuti dicitur natus, mortuus: nam communicatio cadit in totum, nec ab aliqua solum parte, sed a tota humana natura sumitur; Sanguis autem est tantum pars corporis humani, nec totum corpus, nec tota natura humana. Denique notat P. Gonet, etiam pituitam, choleram, melancholiam, spiritus vitales & animales, dentes, ungues & capillos Verbum assumpsisse, quia spectant ad integritatem & perfectionem naturæ humanæ: non vero assumpsit lachrymas, sudorem, salivam, quia non spectant ad integritatem corporis humani.

An particulæ Sanguinis in nonnullis Ecclesiis asservatæ sint verus Christi Sanguis?

Schol. 2. Sanguinem Christi, qui Mantuæ in Monasterio Weingartensi, in S. Sindone Taurini, in Sudario Veronicæ, in S. Spina Sacelli regii Parisiensis, & in ferro S. Lanceæ Romæ aliisque Passionis instrumentis asservatur & cernitur, esse verum Christi Sanguinem, non vero Sanguinem alicujus imaginis, quæ Beryti a Judæis crucifixa copiosum cruorem emisit, multi historici probant apud P. Honoratum a S. Maria in *animadv. ad reg. & us. Crit.* eorum sententiæ parum faventem. Platina in vita Leonis III. refert, eum Mantuam profectum esse ad visendum Christi Sanguinem, qui tunc ob assidua miracula in magna veneratione erat, neque examinata eum approbasse. De SS. Sanguine Mantuano desumptus est SS. Sanguis Weingartensis, quem approbavit Innocentius VII. in Bulla: *Splendor paternæ*. De S. Sindone testatur Julius II. esse reliquias SS. Sanguinis fusi, & de Spinea Corona, Lancea & Sudario alii Scriptores. Item patet ex Bulla Pii II. ad Abbatem S. Mariæ Xantonen-

sis Diœcesis, ubi Papa ait: non repugnare asserere, Redemptorem nostrum de Sanguine in cruce effuso ob ipsius Passionis memoriam partem aliquam in terris reliquisse. Accedit S. Thomas, qui *quodlibet*. 5. *a*. 5. ait: *Sanguis autem Christi, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam imagine Christi miraculose fluxisse, vel etiam ex corpore Christi*. Certe necesse non est, omnem Sanguinem naturalem a Christo in passione effusum, ab eo resurgente reassumptum fuisse: cum enim tota quantitas Sanguinis, quem Christus fudit, non esset necessaria ad integritatem & perfectionem humanæ naturæ, in resurrectione tota resumenda non fuit; sed modica portio in terris ad consolationem fidelium relinqui potuit. Sed modo quæritur, an hæ particulæ Sanguinis adhuc hypostatice Verbo uniantur. Sententia negativa videtur esse probabilior; tum quia hic SS. Sanguis in terris remanens non habet amplius ordinem ad humanitatem Christi, ut sit pars ejus: tum quia reliquæ partes materiæ, quæ aliquando in Christo Verbo unitæ fuerunt, & postea per continuam transpirationem resolutæ & deperditæ, non manent Verbo unitæ: tum quia alias sequeretur, aliquam naturam hypostatice Verbo unitam esse adhuc in terris, & alibi, quam in cœlo & SS. Eucharistia, quod non est concedendum. Non obstat I. illud: quod Verbum semel admisit, nunquam dimisit: quod solum intelligitur de partibus integris, non vero de earum particulis ad integritatem corporis non necessariis. Nec obest II. quod Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus* dicat: *non guttam sanguinis modicam, quæ propter unionem ad Verbum ad redemptionem totius generis humani sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur, effudisse*. Nam Clemens loquitur de gutta Sanguinis, quando erat in corpore Christi, cum alio Sanguine pars integralis, & de guttis effusis reassumendis in resurrectione; non vero de particulis Sanguinis in terris ad consolationem fidelium relictis. Vid. *discuss. Theologico-criticam de SS. Sanguine e SS. Latere Christi in Monast. Weingart.* Cl. P. August. Haag.

An hypostatice Verbo uniantur?

§. 311. Unio personalis supponit unitionem personalem, quæ est actus, quo Divina natura & humana ad unam Theanthropi Personam constituendam concurrerunt. Hæc unitio hypostatica seu personalis humanitatis Christi cum Divinitate in ipso momento conceptionis Christi facta fuit. Nam *Luc.* 1. dicitur: *Ecce concipies & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur*. Et: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Hic Angelus productionem humanæ Christi naturæ immediate

Unitio personalis in ipso conceptionis instanti facta est.

cum obumbratione virtutis Altissimi conjungit, & exinde infert, quod sanctus Mariæ Filius, Dei Filius futurus sit: ergo unitio personalis in ipso momento conceptionis Christi facta fuit. Et quia anima Christi in ipso productionis corporis momento producta fuit (§. 293. Schol.), eodem etiam momento anima cum Divinitate unita fuit: & quidem statim postquam Beatissima Virgo Maria consentiebat dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (§. 289.); quippe tum ante alloquium Angeli, tum durante illo *v.* 31. & 35. semper de conceptione Christi, ut re futura, non ut præterita vel præsente sacer textus loquitur. 2*do.* Ita docent Patres. S. Athanasius *l.* 1. *de Incarn. Conjunctio ex utero facta est*. S. Augustinus *Ench.* c. 36. *Ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei Filius*. S. Cyrillus *ep.* 2. *ad Nest. Verbum in ipso utero carni unitum*. Theodoretus *dial.* 2. *Ne punctum quidem temporis interjectum fuit inter assumptionem carnis & unionem*.

Schol. Origenes docuit, prius tempore animam Christi creatam esse, quæ bonis suis operibus deinde meruerit hypostaticam cum Verbo Divino unionem. Nestorius vero voluit, Christum prius extitisse hominem perfectum tum essentia tum persona, antequam a Verbo assumeretur. Qui ex dictis refutantur.

Beatissima V. Maria recte dicitur Deipara. §. 312. Unitio Divinitatis & humanitatis in Christo in ipso momento conceptionis facta est (§. 311.); unde Beatissima Virgo Maria non solum Christotocos, sed etiam Deotocos, id est Deipara, recte appellatur. Nam *ad Gal.* 4. *v.* 4. dicitur Deus misisse Filium suum *factum ex muliere, factum sub lege*. Ex quo ita: Recte vocatur Deipara, quæ concepit, peperit & genuit Unigenitum Dei Filium: sed B. V. Maria concepit, peperit & genuit Unigenitum Dei Filium: ergo recte dicitur Deipara. 2*do.* Antiqui Patres B. V. Mariam expresse Deiparam vocant. S. Dionysius Alex. *ep. ad Paulum Samos.* S. Gregorius Naz. *or.* 51. *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est:* & S. Cyrillus *l. de recta fide*, laudat etiam testimonia Attici Antiochi, Amphilochii, Chrysostomi, &c. 3*tio.* Hoc idem definivit Conc. Ephes. *c.* 1. & Chalcedon. *act.* 5.

Solvuntur objectiones Nestorii. *Schol.* Nestorius negavit, Beatissimam Virginem esse Deiparam, sed solum Christiparam appellari voluit: I. Quia hæc vox non habetur in S. Scriptura, & Patres Chalcedonenses eam symbolo addere noluerunt. Ast sensus hujus vocis saltem in S. Scriptura habetur, & symbolo addita non fuit ob hæresim Eutychianam. II. Beatissima Virgo non genuit Divinitatem, nec Christo est

consubstantialis, & humana tantum substantia ex ea generata fuit: ergo nequit dici Deipara. Sed ut Beatissima Virgo dicatur Deipara, sufficit, quod genuerit Christum, qui ob substantialem utriusque naturæ unionem est verus homo, & verus Deus. Est proinde Filio suo consubstantialis secundum humanam naturam, & genuit non Divinam substantiam, sed Divinam Personam secundum carnem. III. S. Anna nequit dici Avia Dei, ut Romæ definitum est in damnatione libri Thomæ a S. Cyrillo *de laudibus S. Annæ*. Verum S. Anna in sano sensu Salvatoris nostri Avia dici potest, in quantum Christus ex Filia S. Annæ genitus fuit. Liber autem Thomæ proscriptus fuit, quia dixit, S. Annam esse Socrum Spiritus S. & concurrisse ad unionem hypostaticam.

§. 313. Unio hypostatica in Christo nec est naturalis, quia non habet rationem sui sufficientem in viribus naturæ. Nec solius rationis, quia duæ naturæ in Christo non sola ratione, sed re ipsa inter se distinguuntur. Nec est mere moralis in consensu cogitationum & voluntatis consistens, quia hæc unionem diversarum naturarum in una hypostasi non infert. *Unio hypostatica quid sit?*

Schol. 1. Unitio & unio hypostatica in Christo est mysterium incomprehensibile: illustrari tamen aliquo modo potest exemplo unionis animæ cum corpore: 1. sicut enim ex hac unione resultat una natura totalis per se subsistens & alteri incommunicabilis, ita ex unione Verbi cum humanitate resultat non quidem una natura totalis, in quo comparatio deficit, sed unum totum duplici natura constans, scilicet unus Christus, cujus natura humana ita in Verbo subsistens & completa est, ut non possit alteri communicari. 2. Sicut ex unione corporis & animæ ita unum suppositum resultat, ut homo dicatur talis, qui est unum subjectum denominationis & principium quod omnium actionum & passionum: ita ex unione utriusque naturæ in Christo una exurgit Persona, quæ est principium quod, & subjectum denominationis omnium Christi actionum & passionum. 3. Sicuti anima in homine est principium superius & dirigens omnes ejus actiones: ita natura Divina conjunctam sibi humanitatem in uno Christi supposito regit, & specialem in eam dominatum exercet; unde fluit valor infinitus actionum Christi, tum propter Personam, quæ est illarum principium quod, tum propter Divinam naturam, quæ est illarum moderatrix, unde vocantur operationes Theandricæ. 4. Denique sicut anima cum corpore unitur sine medio superaddito, per hoc præcise quod sit actus & forma compositi humani, ita unio hypostatica non est quid a Verbo & humanitate distinctum, sed Verbum Divinum hu- *Explicatur hæc unio aliqualiter.*

manitati sine medio superaddito copulatur, quia per suam subsistentiam & personalitatem infinitam terminat & perficit humanitatem creatam, naturæ humanæ subsistentiam excludendo. Hinc pro natura extremorum unio hypostatica est partim creata, partim increata: dici etiam potest naturalis, prout naturale opponitur ficto, vel quatenus in ipso conceptionis instanti facta fuit, vel quatenus natura hominis, non vero ejus Persona assumpta fuit: non vero potest dici naturalis, quasi esset debita naturæ humanæ, vel necessaria & non libera, vel a natura humana exigeretur.

Unio facta est in Persona Verbi. *Schol.* 2. Unio non est facta cum natura Verbi, sed cum Persona; alias enim sequeretur, etiam Patrem & Spiritum S. esse incarnatum, cum natura sit eadem in omnibus tribus Personis. Nec obstat, quod Patres passim dicant, a Divinitate humanitatem fuisse assumptam, quia intelligunt Divinitatem Personæ Verbi conjunctam, seu Deum Verbum, non vero naturam ipsam Divinam absolute.

Duplex in Christo voluntas & operatio. §. 514. Ex unione hypostatica naturæ Divinæ cum humana, utraque natura semper operatur cum altera conjunctim, & humana semper ad nutum Divinitatis (§. 513. Schol. 1.); non tamen quælibet operatio est utriusque naturæ proprietas & effectus. Hinc duplex admittenda est in Christo voluntas & operatio, Divina & humana. Patet hoc 1mo ex verbis Christi, *Matth.* 26. *v.* 39. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Joan.* 6. *v.* 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Sed hæc Christi voluntas humana fuit, non Divina; nam sicuti una est in tribus Divinis Personis essentia, ita una est voluntas. Imo & humana illa Christi voluntas, licet inclinatione naturali mortem refugeret, perfecte tamen Divinæ Patris sui voluntati subdita fuit. Ita citatos textus explicant S. Gregorius Niss. *l. contra Apollinar.* S. Athanasius *l. de Incarn.* & S. Ambrosius *l.* 10. *in Lucam*, quod etiam probat S. Hippolytus *l. contra Beronem.* Idem patet ex factis Christi: sic *Joan.* 1. *v.* 43. voluit in crastinum exire in Galilæam: sed non voluit quatenus Deus, qui Divinitate ibi & ubique erat: ergo quatenus homo, adeoque humana etiam in eo voluntas fuit. Constat etiam ex actionibus & passionibus Christi humanis: dicitur enim tristatus esse, lachrymas fudisse, esuriisse, sitiisse, quæ sine humana voluntate explicari non possunt. Merito proinde hanc veritatem definivit Synodus VI. *act.* 18. prædicans *duas naturales voluntates in Christo, & duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum*

doctrinam. 2do Ratio est: In Christo est duplex perfecta & distincta natura, Divina & humana (§. 306.), & quælibet habet suas inconfusas proprietates. Ergo etiam est duplex voluntas & operatio; alias Christi Humanitas perfecta non esset, si propria careret voluntate & operatione (§. 298.).

Schol. 1. Unam in Christo voluntatem docuerunt Monothelitæ sæculo septimo, scilicet Cyrus Episcopus Alexandrinus, Macarius Episcopus Antiochenus, Sergius Episcopus Constantinopolitanus, & ejus successores Pyrrhus & Paulus. Cyro fortiter repugnavit S. Sophronius adhuc monachus; tum promotus ad sedem Jerosolymitanam coacta Synodo nascentem hæresim proscripsit. Sergius callide scripsit ad Honorium Papam, ut duarum voluntatum perinde ac unius professione abstinendum esse decerneret, maxime cum antiqui Patres hanc quæstionem silentio compressissent, & duarum voluntatum prædicatio contrarietatem in Christo invehere videretur. Honorius minus caute assensit Sergio, & paullo post defunctus successorem habuit Severinum. Sergius litteris Honorii acceptis cum Cyro & Theodoro Heraclium Imperatorem jam titubantem facile in præceps impulit, suisque consiliis effecit, ut *Ecthesim* ederet, hoc est fidei expositionem, statuens, ne quis unam aut duas in Christo voluntates nominaret, cum jam in multorum animis opinio unius voluntatis esset disseminata. Quare Joannes IV. Severini successor *Ecthesim* merito proscripsit. Constantinus Heraclii filius decreto Joannis adhæsit: sed Constans ejus in Imperio successor agente Pyrrho *Ecthesim* famoso suo *Typo* confirmavit. Martinus vero I. coacta Synodo Lateranensi 105. Episcoporum tum Heraclii Ecthesim, tum Constantis Typum & primarios hæreticorum duces damnavit. Hinc commotus Constans Martinum Constantinopolim accersit, ubi crudeliter exceptus, ignominiose per urbem traductus, ærumnis confectus Chersonæ exul gloriosus Martyr occumbit, sed non sine Divina in persecutorem ultione; nam Constans Imperator occiditur, eique Constantinus Pogonatus, id est barbatus, religiosus Princeps succedit, quo favente Synodus VI. generalis Constantinopoli anno 680. celebrata est, præsidentibus Legatis S. Agathonis Papæ, & anathema dictum est Theodoro Pharanitæ, Cyro, Sergio, & uti nonnulli volunt, etiam Honorio P. &c. & duplex in Christo voluntas & operatio asserta fuit. Non una fuit circa unam in Christo voluntatem & operationem sententia. Monothelitæ, qui cum Eutychianis unam tantum in Christo naturam admittebant, dicebant, quod unica sit in Christo voluntas hypostatica seu personalis, qua hoc vel illud,

Monothelitarum hæresis.

hoc vel isto modo volebat, ita ut omnino absorpta fuerit a Divinitare humana voluntas & operatio, sicuti post unionem absorpta est in Christo humana natura. Alii dicebant, ex duplici Christi voluntate Divina & humana unam compositam fieri, quæ vocatur Deivirilis seu Theandrica. Alii unam voluntatem in Christo statuebant, quia voluntas humana mere passive se habebat, nempe ut instrumentum, quo Divinitas utebatur; unde actio humanitatis non erat, sed passio. Alli unam voluntatem gnomonicam in Christo esse dicebant, qua Christus more cæterorum hominum debuit rationes ponderare, quibus ad hoc potius, quam illud agendnm determinaretur. Rationes petunt I. ex PP. nam S. Dionysius Areopagita *ep. ad Cajum* ait: Deo viro facto, unam quamdam Theandricam operationem expressit in vita. Verum præterquam quod textus S. Dionysii corruptus videatur, qui non legit *unam*, sed *novam*, uti observat Martinus I. in Conc. Lateran. dicitur una Theandrica operatio, sive propter unitatem suppositi agentis: sive quia Verbum Divina non egit sine humanitate, nec humana sine ductu & influxu Divinitatis: sive intelliguntur operationes, quæ utriusque naturæ influxum postulant. II. S. Cyrillus Alex. *l. 4. in Joan.* ait, fuisse in Christo *unam quamdam operationem per ambas naturas*. Et S. Athanasius *or. 4. cont. Arian.* ait, *humanitatem Christi fuisse instrumentum Divinitatis*. Et *de salut. Christi adv.* Christum fuisse *sine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, quia solius Divinitatis voluntas in eo fuit*. Et S. Gregorius Niss. *contra Euno.* ait: *Propria est carnis perpessio, Dei autem operatio*. Et S. Gregorius Naz. *or. 36. Voluntas non fuit Deo contraria. quia tota deificata fuit*. Verum unam operationem ratione Personæ agentis, & ratione intimæ conjunctionis utriusque naturæ admittit. S. Athanasius voluntates carnales, & cogitationes perversas solum a Christo excludit, non vero humanas: & dicit, voluntatem Christi solius fuisse Divinitatis, non quantum ad naturam, sed directionem, quia Divinitas omnes actiones humanas singulariter regebat. S. Gregorius Niss. solum vult, quod in negotio Redemptionis Dei operatio potissimam partem habeat. S. Gregorius Naz. aperte est pro nobis; nam si est in Christo voluntas Deo non contraria & ideo deificata, erit humana voluntas. III. In Christo est unica Persona. Ergo unica operatio; nam actiones sunt suppositorum. At ex hoc solum sequitur, unam esse personam operantem, sed non unam operationem personæ; subsistentia enim est modus existendi, non vero principium quo elicitivum operationum, quod est natura. Personalitas tamen necessaria est, non quidem ut

principium activum, sed tamquam conditio, ut totum seu suppositum, quod appellatur principium quod operationis, operetur; hinc actiones sunt suppositorum non elicitive, sed denominative, quia supposito tribuuntur, & ab his denominatur agens. IV. Si duæ voluntates admittantur in Christo, erunt sibi contrariæ: per Divinam enim mortem elegit, quam per humana refugiebat. Sed humana voluntas in Christo Divinæ semper conformis fuit: & quidem pars inferior seu sensitiva voluntatis humanæ motum sibi ab Auctore naturæ impressum fugiendo mortem sequebatur, & sic Deo conformis fuit: pars vero superior mortem a Deo imperatam acceptavit, & sic nec Deo contraria fuit. V. Denique Catholici admittunt triplex operationum genus in Christo: aliæ sunt solius humanitatis propriæ, uti manducare: aliæ solius Divinitatis, uti peccata remittere: aliæ utriusque naturæ concursum postulant, uti tactu corporali morbos sanare: hæ operationes tertii generis proprie vocantur Theandricæ: aliæ vero primi & secundi generis, licet sint tantum proprietates & effectus humanæ vel Divinæ naturæ, a qua tamquam principio quo procedunt, quia tamen unum est suppositum agens, & Verbum Divinum Divina non agit sine humanitate, nec humana sine ductu & influxu Divinitatis ob unionem hyposticam; omnes Christi operationes Theandricæ vocantur, licet non sit una operatio. Hinc humanitas in Christo est quidem instrumentum Divinitatis, sed conjunctum & activum, non vero separatum, & mere passivum.

Schol. 2. Magdeburgenses, & nonnulli Galli contendunt, Honorium Papam errori Monothelitarum adhæsisse. Sed pro Honorio Apologiam jam olim scripsit Joannes IV. Papa in *epistola ad Constantinum Imp.* ubi ait: *Hinc ergo duæ hæ contrariæ voluntates mentis & carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt.* Et Honorius ipse *ep.* 1. *ad Sergium* ait: *Unde & unam voluntatem fatemur D. N. J. C. quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.* Ait deinde, abstinendum esse a vocabulo unius aut geminæ operationis: *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi Nestorionos sectantes nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* Cum ergo Honorius in Christo solum neget voluntatem carnis cum ratione pugnantem, & prohibeat geminas operationes in sensu Nestorii a duabus personis elicitas; aut unam operationem in sensu Eutychetis ab una natura prodeuntem: cum profiteatur, unum esse operantem

Honorius P. non adhæsit Monothelismo.

ratione hypostasis, sed operari in duabus naturis, & ipsas duas naturas in unitate personæ operari sibi propria; in *ep.* 2. nequit dici Monothelismo adhæsisse. Dicit quidem Honorius unam voluntatem Christi, sed per exclusionem duplicis humanæ voluntatis spiritus & carnis spiritui repugnantis; dicit Christum Divina operatum media humanitate, sed huic non tribuit solam passionem, uti Monothelitæ, & operationem humanitatis non excludit. Hinc quoad verba quidem, Honorii epistolæ cum confessione Macarii & epistolis Sergii conveniunt, non vero quoad sensum & intentionem, quia hi Monothelitæ negabant, humanitatem esse instrumentum activum, & geminam vel unam operationem silentio premebant, ut facilius suam hæresim diffunderent: & quia Sergius virus suum sub verbis Catholicis in suis epistolis occultavit, mirum non est, quod Honorius illud non advertens ejus doctrinam approbaverit.

An Honorius a VI. Synodo excommunicatus sit?

Schol. 3. Potissimum argumentum, quo adversarii nostri probant, Honorium Papam Monothelitam fuisse, petitur ab anathemate a Synodo VI. *act.* 13. in eum & doctrinam ejus contorto his verbis: *Cum his simul projici a S. Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Ad hoc respondet Baronius, Acta Synodi VI. depravata fuisse; & damnationem Honorii a Theodoro Monothelita esse additam: tum quia S. Agatho in *ep. ad Constantinum* ait, nullum prædecessorum suorum a fide aberrasse: tum quia prima sedes a nemine judicatur: tum quia Legati Sedis Apostolicæ Honorii inter Sanctos Pontifices reconditi damnationi non tam facile consensissent: tum quia ante Synodum VI. tria Concilia Romæ, & tria in Africa celebrata in causa Monothelitarum Honorii non meminerunt: tum quia Theophanes Scriptor Græcus damnationis Honorii non meminit. Alii cum Anastasio respondent, Synodum VI. solum receptam esse usque ad prolationem canonum. Turrecremata putat, Concilium deceptum esse errore facti, quod de Honorii epistola judicaverit juxta exemplar in græcam linguam a Monothelitis translatum, licet Catholico prorsus sensu Honorius scripserit. Natalis Alex. & Petrus de Marca putant, Honorium a Synodo VI. non esse damnatum ut hæreticum, sed velut reum nimiæ facilitatis & dissimulationis, quia fidem præbens Sergio, & vocabulum geminæ operationis prohibens, causam, etsi ignarus, dedit Monothelitis, hæresim suam audacius promovendi. Alii denique putant,

Honorium damnatum ex supposito, quod hæreticus fuerit, licet revera in hæresim non sit prolapsus. Vid. Cl. P. Jac. Chmel. *Vindic. Conc. œcum. VI.*

In Christo admitti debet communicatio idiomatum in concreto.

§. 315. Cum in Christo sit duarum naturarum hypostatica unio, sequitur, in eo locum esse communicationi idiomatum, quæ est mutua & reciproca nominum, proprietatum & attributorum utriusque naturæ in Christo prædicatio & communio in concreto ratione unius Christi Personæ. Cum enim unica sit in duabus distinctis naturis Christi Persona, necessario sequitur, de uno Christo propter diversas naturas, proprietates utriusque naturæ in concreto prædicari posse. Pro qua communicatione sequentes regulas tradunt Theologi.

Regulæ pro communicatione idiomatum in concreto.

1. Nomina concreta substantiva, quæ ipsam substantiam ejusque subjectum exprimunt, & naturam ipsam sive Divinam sive humanam significant, earumque proprietates de Christo prædicari possunt. Sic bene dico: Deus est homo: homo est Deus: Deus est mortalis: homo est immortalis. Nam sensus est: Christus, qui verus Deus est, est quoque verus homo & mortalis: Christus, qui verus homo est, est quoque verus Deus, & immortalis. Excipitur tamen 1. ne nomina substantiva suppositum creatum inferant: unde male dicitur: homo factus est Deus; bene vero dicitur: Deus factus est homo. Nam in priori propositione sensus foret: humana persona factus est Deus, quod Nestorianum est; in posteriori vero sensus est: Persona Divina facta est homo, quod verum est. 2. Nulla debet fieri reduplicatio: unde falsum est: Christus quatenus Deus homo est; nam ly *quatenus* naturam, non personam afficit. 3. Propositio licet aliunde vera non debet favere hæresi: unde hæc propositio: Christus est creatura: rejicitur; sed dici debet: Christus ratione humanitatis est creatura.

2. Concreta adjectiva substantialia, quæ substantiam designant, non possunt prædicari de Christo: sic non possum dicere: Christus est homo deificatus, quia videtur formam, scilicet naturam Divinam accidentaliter subjecto inesse, sive naturam Divinam Christum sibi unitam habere unione tantum morali. Possunt vero concreta adjectiva, quæ significant proprietates Divinæ vel humanæ naturæ, de Christo prædicari: vere enim dico: Christus est æternus, est temporalis: nam hæc prædicata in recto significant suppositum, quod horum attributorum ob unionem hypostaticam utriusque naturæ est unum subjectum.

3. Nomina abstracta Divinæ naturæ de Christo identice dici possunt: sic Persona Verbi potest identice dici Divinitas; non vero nomina abstracta naturæ humanæ:

sic nequit dici: Verbum est humanitas; nam Persona Verbi identice est idem cum natura Divina, non vero cum natura humana.

4. Nomina abstracta unius naturæ non possunt prædicari de altera: sic non possum dicere: Divinitas est humanitas, nisi abstracta pro concretis sumantur.

5. Proprietates utriusque naturæ in Christo, nec de se invicem, nec de naturis in abstracto dici possunt ob distinctionem: sic male dico: Divinitas est passibilis.

An Christus possit dici creatura? *Schol.* Juxta n. 1. hujus §. licet male sonet dicere, Christus est creatura, & ideo ob reverentiam Christi, ab hac loquendi ratione abstinendum sit; non tamen est contra fidem dicere: Christus ratione assumptæ humanæ naturæ est creatura. Nam ratione hujus dicitur *factus esse ex semine David, ad Rom. 1. v. 3. factus ex muliere, ad Gal. 4. v. 4.* factum vero esse, est esse creaturam. Hinc S. Hilarius *l. 12. de Trin. c. 45.* Christum ratione humanitatis vocat creaturam. Et S. Hieronymus *in 2. ad Eph.* ait: *Nos libere proclamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam, quem vermem & hominem, & crucifixum & maledictionem, tota spei nostræ fiducia profitemur.* Ratio est, quia vox *creatura* primario ad ipsam naturam, non ad personam refertur; creatura enim secundum essentiam, & proprietatem naturæ, non vero secundum modum subsistendi dicitur.

Hæc propositio: Unus e Trinitate passus est: est Catholica. §. 516. Ex prima regula (§. 515. n. 1.) fluit, quod hæc propositio: *Unus e Trinitate passus est*, sit Catholica & Orthodoxa. Ita definivit Joannes II. P. *ep. 2.* decernens, Christum esse & recte dici unum de Trinitate. Eamdem Synodus V. *can. 10.* his verbis consecravit: *Si quis non confitetur D. N. J. C. unum de S. Trinitate, anathema sit.* Et Synodus VI. *act. 4.* approbavit epistolam Agathonis P. in qua Christus dicitur una de tribus Personis S. Trinitatis. 2do. S. Proclus in *ep. ad Armenos* ait: *Unum de Trinitate incarnatum.* S. Fulgentius *l. de Incarn. c. 10.* ait: *Una ex Trinitate Persona Christus ... carne conceptus & natus est.* Et Facundus Hermianensis de tribus Capitulis ait: *Non est, quod de verbo reprehendamur, dicentes: Unus de Trinitate passus est.* 3tio. Ratio est: In hac propositione ly *unus* nequit significare unam substantiam; non enim idem valet, ac unus de tribus Diis, cum in Trinitate sit unus tantum Deus (§. 148.), adeoque significat unam Personam: sed de illa dici potest, quod sit passa (§. 515. n. 1.): ergo dicta propositio est Catholica.

Petri Fullonis hæresis. *Schol.* Circa annum 463. Petrus Fullo seu Cnaphæus invadens sedem Antiochenam, Deum in Divinitate passum esse asserebat: & Trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus for-*

tis, Sanctus immortalis, addidit: *Qui crucifixus es pro nobis*. Ejectus proinde e sede Antiochena, & a Simplicio P. damnatus, ad Monachos Acæmetas se contulit, & a Basilisco Tyranno sedi restitutus sub Felice III. P. iterum damnatus fuit. Sub Imperatore Justino nonnulli Monachi Scythæ duce Joanne Maxentio etiam confessioni fidei addendum esse putabant, unum ex Trinitate esse crucifixum, acerrime de hoc cum Victore Diacono disputantes, & ad Romanum Pontificem recurrentes; cum vero jussi essent expectare, moræ impatientes varias turbas excitarunt, at ab Hormisda Papa rejecti sunt, eo quod Eutychiani essent. Rursus vero alii Scythæ Monachi, qui cum Nestorianis negabant, Christum dici posse unam ex Trinitate Personam, anno 533. a Joanne II. communione privati sunt. Ex his colligi videtur, hanc propositionem: *Unus e Trinitate passus est*, non esse Catholicam: tum quia damnata est a Concilio Chalcedonensi, teste Dioscoro in suggestione ad Hormisdam, & a Felice III. contra Petrum Fullonem: tum quia additamentum illud: *Qui crucifixus es pro nobis*, ad Trisagium, rejectum fuit: tum quia *Henotico* seu professioni fidei Zenonis Imperatoris, ubi dicitur: *Trinitas mansit Trinitas, incarnato uno de S. Trinitate Deo Verbo*, Orientales Episcopi subscribere noluerunt. Verum Concilium Chalcedonense dictam propositionem non damnavit, sed ideo solum definitionibus suis eam inserere noluit, ne ea Eutychiani abuterentur: & Dioscorus solum narrat, quod eam Eutychiani tantum proposuerint. Denique Trisagium omnes Veteres de Deo Trino, non de solo Filio intellexerunt: unde Felix III. damnavit Fullonem, qui illo additamento innuere volebat, Deum in Divinitate passum esse. Quod si vero illud additamentum ad unam Personam SS. Trinitatis referatur, Veteres omnes eam admittebant, uti probat Valesius in notis ad Evagrium. Patres denique reprobarunt Zenonis Henoticon, quia Semieutychianis favebat, & tres tantum Synodos omissa Chalcedonensi observari volebat: & quia ad Imperatorem non spectabat, definire res fidei. An vero Zeno hæreticus fuerit, Critici non conveniunt.

Christus non est tantum Filius Dei adoptivus.

§. 517. Ex regula secunda (§. 515. n. 2.) etiam colligimus, Christum non posse dici Filium Dei tantum adoptivum. Nam in S. Scriptura Christus vocatur *Filius Dei unicus*, *Luc.* 1. *v.* 38. *Unigenitus*, *Joan.* 1. *v.* 18. *Proprius*, *ad Rom.* 8. *Dilectus*, *Matth.* 3. Ergo non est tantum Filius adoptivus. 2*do*. Ex PP. S. Hilarius *l.* 6. *de Trinit.* ait: *Filius suus est, non adoptio ejus est*. Et S. Augustinus *tr.* 7. *in Joan. Est filius Dei unicus, non adoptatus*. Deinde contraria sententia damnata fuit

a Concilio Forojuliensi a. 791. Ratisbonensi & Romano a. 792. & Francofurdiensi a. 794. 3*tio.* Ratio est: Adoptio cadit in personam extraneam, quæ non ex natura & origine, sed ex gratia vocatur ad hæreditatem: sed nulla est in Christo extranea Persona, cum tantum una, eaque Divina sit in Christo Persona, quæ ex natura sua habet jus ad paternam hæreditatem: ergo Christus non est Filius tantum adoptivus.

Error Felicis & Elipandi. *Schol.* 1. Felix Episcopus Urgellitanus consultus circa annum 783. ab Elipando Toletano Episcopo, quid de humanitate Christi sentiret, respondit: Christum, quatenus homo est, appellandum esse Filium Dei non naturalem, sed adoptivum. Dubitatur vero, an Felix & Elipandus asserendo Filium Dei adoptivum, negaverint cum Nestorio hypostaticam unionem, & Filium Virginis a Filio Dei distinxerint; an vero eamdem Personam Filium Dei naturalem ratione Divinæ naturæ, adoptivum vero ratione humanæ naturæ appellaverint. Probabilius videtur, duos hos Præsules Nestoriani erroris reos fuisse: tum quia in libro sacrosyllabico Paulini dicuntur novi hostes, & veternosa fæce perfidiæ polluti: tum quia in Epistola Synodica Concilii Francofurdiensis eorum hæresis in Nestorio damnata dicitur, & illi redarguuntur, quod Nestorio anathema dicere noluerint: tum, quia Agobardus in *l. cont. Felicem* testatur, se ejus Schedulam reperisse, ubi asserit, Dei Filium nullatenus dici debere passum aut crucifixum, sed hominem tantum ab eo assumptum, adeoque cum Nestorianis (§. 307.) jam refutati sunt.

Christus ne quidem secundum humanam naturam Filius adoptivus dici potest. *Schol.* 2. Durandus *in* 3. *d.* 4. putat, Christum ut hominem posse dici Filium Dei adoptivum. Idem sentit Scotus, qui tamen monet, ob hæreticorum fraudes, ab his loquendi formulis abstinendum esse; eorum tamen sententiam contra fidem Catholicam non esse censent viri docti cum P. Berti. Nihilominus dicendum est, Christum ne quidem sub expressa humanitatis restrictione dici debere Filium Dei adoptivum: nam in S. Scriptura Christus etiam secundum humanitatem vocatur *Filius Dei*, *Luc.* 1. *v.* 35. *Unigenitus*, *Joan.* 1. *v.* 18. *Proprius*, *ad Rom.* 8. ubi de Christo ut homine sermo est; nam secundum humanitatem natus est, regnum Patris obtinuit, & in mortem traditus fuit. Ratio est: quia sicut naturalis filiatio non convenit naturæ, sed Personæ, quæ nascitur, sic etiam adoptio: sed humanitas Christi non habet hypostasim diversam a Dei-Verbo, seu a Filio Dei naturali; nequit ergo illi competere adoptio seu filiatio, quæ non sit propria & naturalis. Non obstat I. quod S. Hilarius *l.* 2. *de Trinit.* dicat: *Potestatis digni-*

tas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur: et S. Cyrillus *dial.* 3. & S. Athan. in *disput. cont. Arian.* & Missa Toletana vocet Christum adoptatum. Nam illi per ly *adoptari* denotant assumptionem humanæ naturæ. Non obstat II. quod in Christo sit causa formalis adoptionis, scilicet humanitas, & gratia habitualis. Nam ratio formalis filiationis est persona, non natura: & gratia habitualis in homine est fundamentum adoptionis, non vero in homine Christo, in quo ex unione hypostatica gratia habitualis derivatur. Non obstat III. quod Christus quatenus homo ex substantia Dei per veram generationem non prodierit: ergo est tantum Filius adoptivus. Nam sufficit, quod Christus quatenus homo saltem prout substantialiter unitur hypostatice cum Deo, una sit cum Deo Persona, & consequenter Filius naturalis. Non obstat IV. quod Christus ut homo non possit dici Deus; ergo Filius Dei adoptivus. Nam licet Christus ut homo indefinite non possit dici Deus, quia sic homo solam humanam naturam denotat; potest tamen dici Deus, si sumatur ut hic homo singularis Deo hypostatice conjunctus, quia sic tam natura, quam Persona illi hypostatice unita designatur. Vid. P. Berti *de disc. Th.*

Christus secundum humanitatem non est ubique.

§. 318. Ex regula quinta (§. 315.) fluit, assumptam a Christo humanitatem non esse ubique. Patet hoc 1mo. ex S. Scriptura, quæ *Joan.* 12. dicit, Christum alicubi non fuisse: *Non eram ibi:* certe non secundum Divinitatem, secundum quam ubique est: ergo secundum humanitatem. Neque dicas, non fuisse quidem ibi localiter, fuisse tamen modo Divino, quia Verbum ibi erat. Nam licet Deus non sit in mundo localiter, nemo tamen audet dicere, eum non esse in mundo: ergo nec S. Scriptura de Christo hoc dicere posset. Putat quidem Carpovius, Christum, quoad actum naturæ scilicet visibilis, loquentis, tangibilis &c. secundum humanitatem non esse ubique; esse tamen ubique quoad operationem in omnes creaturas, cum tamquam instrumentum Verbo conjunctum omnia conservet. Verum ex quonam capite probari potest, quod humanitati Christi hæc operatio ubique competat, cum certum sit, duas naturas esse in Christo inconfusas, & proprietates earum esse distinctas (§. 306.); & consequenter operationem conservativam & influxum causæ primæ velut proprietatem naturæ Divinæ distingui a proprietatibus humanæ naturæ, nec illi communicari? Hallucinatur Carpovius in eo, quod illa, quæ competunt Christo in concreto seu personaliter, humanitati Christi abstracte consideratæ tribuat. Deinde *Joan.* 17. *v.* 11. ait Chri-

stus: *Jam non sum in mundo: relinquo mundum.* Certe si humanitas Christi est ubique, quomodo Christus natus, mortuus est, resurrexit & in cœlum ascendit? 2do. Ita docent Patres. S. Greg. Naz. *ep. ad Cledon.* S. Chrysost. *hom. de Laz.* & S. Augustinus *ep. ad Dardan. n.* 10. *Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita Divinitatem astruamus hominis, ut veritatem auferamus corporis: non est enim consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus.* 3tio. In Christo sunt duæ distinctæ naturæ (§. 506.), quæ de se invicem nequeunt prædicari (§. 515. n. 5.). Ergo etiam distinctæ proprietates, quæ de se invicem prædicari non possunt; & consequenter ubiquitas, quæ est proprietas Divinæ naturæ, de humanitate dici nequit.

Solvuntur objectiones Lutheranorum. *Schol.* Lutherani nonnulli communicationem idiomatum etiam in abstracto & ratione naturæ admittunt, putantes, aliquas naturæ Divinæ proprietates, uti ubiquitatem, omnipotentiam & omniscientiam, in naturam humanam esse transfusas. Quod probant I. quia Christus ut homo *sedet ad dexteram Patris, Matth.* 26. *est in gloria Patris, ad Philipp.* 2. *omnis potestas illi data est in cœlo & in terra, Matth. ult. est in medio duorum vel trium in nomine suo congregatorum, Matth.* 10. *habitat in eo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* & *ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Sed in omnibus his locis fallunt nos Lutherani, dum, quæ Christo in concreto personaliter tribuit S. Scriptura, illi humanitati Christi in abstracto consideratæ tribuunt. Sic Christus ratione suppositi & Personæ sedet ad dexteram Dei, non præcise ratione naturæ humanæ: humanitas Christi est in gloria Patris in supposito: omnis potestas ei data est in supposito: Christus in medio illorum est auxilio gratiæ, protectione & auctoritate: in Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, id est vere & realiter, non tantum figurate: & omnia implet gloria sua. Dicunt II. Verbum Divinum est ubique: sed Christus est Verbum Divinum: ergo est ubique. Sed Syllogismus habet quatuor terminos: Christus quippe est Verbum Divinum non spectatum sine humanitate, sed duplici natura constans, humana & Divina. III. Dicunt: Verbum & humanitas intime uniuntur: sed Verbum est ubique: ergo etiam humanitas Christi; alias enim Verbum alicubi esset, ubi homo non est. Verum quæ intime uniuntur, sine se invicem esse non possunt, si adæquate uniantur, ita ut unum altero latius non pateat; secus si latius pateat. Divinitas porro latius patet, quam humanitas. Item nullibi est Verbum, quin sit homo, quia nusquam ab

humanitate separatur: sed non sequitur ibi esse hominem, ubi est Verbum, quia Verbum non ubique localiter includit humanitatem, quam non assumpsit per localem coexistentiam, sed per unionem hypostaticam: unde hæc propositio: Verbum alicubi non est homo: duplici sensu intelligi potest: 1. Verbum alicubi deseruit humanitatem; qui sensus falsus est: 2. Verbum alicubi est, ubi non est caro Verbi; & hic sensus verus est.

§. 319. Ex communicatione idiomatum in Christo etiam sequitur, quod Humanitas Christi hypostatice Verbo unita, unica adoratione cum Divinitate Verbi colenda sit. Nam 1mo. *ad Hebr.* 1. *v.* 5. Apostolus illa verba *Ps.* 96. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, Christo adaptat. Unde etiam Magi Christum adoraverunt, *Matth.* 2. *v.* 11. & cæcus natus a Christo sanatus, *procidens adoravit eum*. Et Christum a mortuis resurgentem Apostoli adoraverunt, *Matth.* 28. *v.* 17. 2do. S. Athanasius *ep. ad Adelphium* ait: *Rerum creatarum Dominum carnem factum, Dei Verbum adoramus*. Et S. Ambrosius *in Ps.* 98. *Per terram intelligitur Christi caro, quam hodie in Mysteriis adoramus*. Item Synodus œcumenica V. *can.* 5. Et Concilium Lateranense sub Martino I. definit *can.* 9. *Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est; talis anathema sit*. 3tio. Ratio est: Humanitas Christi in Verbo subsistens inducit communicationem idiomatum, & mutuam proprietatem utriusque naturæ in Christo prædicationem in concreto ratione unius Christi Personæ (§. 315.). Sed proprietatibus naturæ Divinæ cultus adorationis debetur. Ergo etiam Humanitati Christi Verbo unitæ. *Humanitas Christi unita Verbo adoranda est.*

Schol. Sociniani, Grotius & Simonius volunt, Magorum adorationem non fuisse cultum latreuticum, sed mere politicum. Verum latreuticum fuisse, Magosque Christum non pro mero homine habuisse, satis ex eo elucet, quod stultus conatus fuisset, regis peregrini causa tam longum iter suscipere: unde S. Matthæus per vocem προσκυνῶν, qua veneratio regum Persarum summa, totoque in terram prostrato corpore significanda ostenditur, hunc cultum denotavit. Quando vero dicimus, Christum quatenus hominem simul cum Verbo eodem adorationis cultu prosequendum esse, ly quatenus non cadit super humanitatem a Verbo sejunctam; omnes enim norunt, humanitatem nude spectatam adorari non debere; sed super humanitatem hypostatice Verbo unitam, quæ unio est causa adorationis S. Humanitati Christi debitæ.

§. 320. Porro ex hypothesi lapsus humani generis in *Incarna-*

Ita non fuit absolute necessaria.

peccatum Incarnationem necessitate absoluta non fuisse necessariam, certum est 1*mo* ex S. Scriptura, quæ opus Redemptionis nostræ plane gratuitum, & merum beneficium esse asserit, *ad Rom.* 3. *v.* 24. *ad Tit.* 3. *v.* 5. Ergo Deus ad illud non necessitatur. Accedit ratio: Quia opera externa, quale est Incarnatio, Deo sunt libera: item homo libere peccavit, & Deus nobis ad gloriam suam non indiget: ergo Incarnatio non fuit absolute necessaria, & Deus hominem sine ulla imperfectione in massa damnationis relinquere potuisset. Nihilominus congruum fuit, ut supposito hominis lapsu Incarnatio fieret: tum ut opus, quod Deus formaverat, & diaboli invidia confractum fuerat, per Divinam misericordiam reformaretur; tum ut Divinæ perfectiones in Incarnatione & Unione hypostatica magis manifestarentur.

An ex hypothesi creationis mundi Incarnatio necessaria?

Schol. 1. Raymundus Lullus, de quo Vasquez in præsenti disputatione *q.* 1. *anno* 2. docuit, ex hypothesi creationis mundi necessariam fuisse simpliciter Incarnationem Verbi, tamquam opus perfectissimum, & absolutissimum mundi ornamentum. Hæc sententia est contra communem fere Theologorum, tum quia Incarnatio nihil commune habet cum visibili hac rerum universitate; tum quia mundus sine Incarnatione subsistere potuisset, sicuti re vera per quatuor annorum millia substitit, quin aliqua perfectione sibi debita caruerit. Wicleffus in *Trialogo* longius progressus docuit, Deum absoluta necessitate compulsum fuisse non tantum ad Incarnationem Verbi, & ad hominem a perditione redimendum, sed etiam ad creationem universi, & eorum, quæ in illo continentur. Probat hoc I. quia Deus habet infinitam inclinationem ad Incarnationem tamquam bonam; ergo ad oppositum non amplius liber est, quia infinita inclinatio ad rem tollit libertatem ad oppositum. Verum inclinatio hæc Dei est tantum entitative & subjective infinita, non vero objective & appretiative, quasi illud objectum aut in se quoad entitatem sit infinitum, aut alteri cuilibet objecto sit a Deo necessario præferendum. Et quia nec judicium intellectus dictat, objectum illud habere bonitatem omnibus aliis absolute præferendam; hinc Deus etiam non vult Incarnationem, eam necessario omnibus objectis præferendo, & sic illa inclinatio non lædit libertatem Dei ad volendum, vel non volendam Incarnationem. II. S. Anselmus *l. Cur Deus homo*, probat necessitatem Incarnationis ex eo, quia supposito lapsu hominis inconveniens fuisset, Deum non incarnari, & hominem redimere, adeoque impossibile etiam fuit; nam inconveniens Deo est impossibile, & sic Incarnatio fuit absolute necessaria. Verum cum non positive vel

contrarie sit Deo inconveniens, lapsum hominem non reparare, sed tantum negative, quatenus Deus omitteret id facere, quod est quidem conveniens, sed ad quod faciendum nulla necessitatis lege tenetur; non sequitur Incarnationem esse absolute necessariam. Idem S. Anselmus ibidem docet, Incarnationem esse necessariam solum ex hypothesi, quod Deus voluerit vacuas Angelorum sedes ab hominibus impleri, non vero necessitate absoluta.

An Deus potuerit hominem sine Incarnatione salvare?

Schol. 2. Controvertitur hic in Scholis salva fide, an si Deus voluit hominem salvum facere, potuerit illæsis justitiæ suæ legibus plenam & condignam pro ipsius offensa satisfactionem non repetere, adeoque non incarnari, & omnem culpam & pœnam illi gratis relaxare. Controversia hæc dirimi potest ope distinctionis, dicendo primo, Deum ex hypothesi, quod lapsum hominem salvum facere voluerit, potuisse absoluta & extraordinaria sua potentia absque Incarnatione & suæ justitiæ satisfacere, & hominem servare; quia inexhausta est Divina potentia, cui limites ponere non debemus, licet modum ignoremus, quo fieri possit. Ita etiam sentiunt Patres. S. Athanasius *or.* 2. *contra Arian.* ait: *Etiam sine ullo ejus adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem.* S. Augustinus *l.* 13. *de Trin. c.* 10. S. Greg. Naz. *or.* 9. &c. Secundo, ex potentia tamen ordinaria & legibus Divinæ justitiæ, ita necessaria fuit Incarnatio Verbi, ac satisfactio Deo per Ipsum persolvenda, ut sine illa homo lapsus reparari non potuisset: nam de potentia ordinaria Deus ex immotis justitiæ suæ legibus peccatum impunitum relinquere nequit, tum quia ex natura sanctus & justus est; tum quia peccatum summe odit. Unde S. Irenæus *l.* 3. *c.* 18. inquit: *Nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.* Et S. Augustinus idem docet *serm.* 174. & S. Anselmus ex dictis Scholio præcedenti hoc probat ex eo, quod hoc Deo inconveniens, adeoque impossibile foret; quod argumentum solum probat pro potentia Dei ordinaria, nec infert absolutam necessitatem Incarnationis pro potentia extraordinaria, uti ibidem dictum fuit.

Motivum Incarnationis est redemptio humani generis.

§. 321. Motivum Incarnationis Verbi Divini fuit humani generis redemptio. Ita S. Scriptura, *Luc.* 19. *v.* 10. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat: ad Gal.* 4. *v.* 4. *Misit Deus Filium suum ... ut eos, qui sub lege erant, redimeret:* 1. *ad Tim.* 1. *v.* 15. *Peccatores salvos facere. Ut destrueret opera diaboli:* 1. *Joan.* 3. *v.* 8. *Ut tollat peccata mundi.*

An Ada-

Schol. Pelagiani negarunt, Christum ideo venisse, ut

An non peccante Christus venisset? homines a labe originali mundaret, quam rejiciebant; & Abaelardus negat, Christum venisse, ut hominem a captivitate diaboli liberaret. Sed his ex dictis refutatis, quærunt Scholæ; an vi præsentis decreti & rerum ordinis, redemptio humani generis a peccato, ita sit motivum adæquatum Incarnationis, ut si Adam non peccasset, nec homo a peccato redimendus foret, Christus non venisset. Respondemus negative, tum quia *Luc.* 5. dicitur: *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent; non veni vocare justos, sed peccatores.* Et in symbolo Nicæno profitemur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est:* tum quia ita sentiunt Patres: S. Athanasius *or.* 3. *cont. Arian. Quod autem Filius Dei homo factus est, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset.* S. Augustinus *serm.* 8. *de verb. Dom. Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset.* Christus igitur dicitur Primogenitus omnis creaturæ, *ad Rom.* 8. *v.* 29. ratione Divinitatis, non vero ratione humanitatis, nisi honore & dignitate. Tituli Doctoris, Legislatoris &c. in Christo titulo Redemptoris subordinantur, quo sublato non extarent. Adamo etiam potuit revelari Incarnationis mysterium sine præscientia sui peccati, cujus finis fuit; potest enim alicui revelari effectus, non revelata causa. Deus item sine unione hypostatica modo perfectissimo se communicasset ex parte sui; ex parte vero termini communicasset se modo perfectissimo saltem apposite ad finem sibi præfixum. Denique docent hic Theologi, principalem causam fuisse originale peccatum: unde solis peccatis actualibus existentibus, Christus vi præsentis decreti non venisset.

Christus unionem hypostaticam per opera tempore priora non meruit. §. 322. Neque humanitas, neque anima Christi de facto meruit unionem hypostaticam per opera prioritate temporis eam antecedentia. Ita definivit Concilium Ephesinum I. *can.* 13. & Constant. I. *can.* 1. Ratio est, quia nec humanitas, nec anima Christi ante unionem hypostaticam extitit (§. 311.). Ergo hanc per opera tempore præcedentia mereri non potuit.

Nec per opera natura priora aut subsequentia. *Schol.* Christus per nullam operationem natura priorem unionem hypostaticam promeruit; nam hæc uni Divinæ clementiæ, & nulli merito tribuitur, *Joan.* 3. *v.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Nec eam per merita illam subsequentia promeruit, etiam ut prævisa, quia unio hypostatica est principium meriti; ergo sub meritum cadere nequit: imo actus meritorius unionis hypostaticæ eam jam supponit; nam ut actus sit meritorius unionis hypostaticæ, debet esse infiniti valoris, quod ipsum habet ex unione hypo-

statica. Ex eadem ratione nec SS. Patres veteris Testamenti meruerunt substantiam Incarnationis de condigno; bene tamen de congruo meruerunt aliquas Incarnationis circumstantias: sic Abraham prompta sua obedientia meruit, ut ex semine suo Messias nasceretur, *Gen.* 22. *v.* 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Item Daniel suis votis & desideriis meruit abbreviari tempus adventus Messiæ *c.* 9. *v.* 24. Denique Beatissima Virgo Maria non meruit de condigno, ut fieret Mater Dei, quia opera ejus non fuerunt pretii & valoris simpliciter infiniti, nec consequenter ejusdem ordinis cum unione hypostatica, maxime cum nulla Dei promissio intercesserit, nec ad dignitatem illam aspiraret Virgo humillima, quæ Angelo hoc Mysterium nuntiante turbata fuit. Meruit tamen de congruo, quia fuit maxima amica Dei, & probabile est, illam orasse Deum, ut Filium suum in mundum pro redemptione generis humani mitteret, & quidem ferventius, quam alii V. L. Patres. Congruum ergo fuit, ut propter ejus preces mitteretur Filius Dei, & illam suam Matrem efficeret. Unde Sancti Patres communiter dicunt, Beatissimam Virginem ob sanctitatem suam meruisse concipere Regem cœlorum & Dominum.

An PP. V. T. Incarnationem meruerint?

An Beatissima Virgo?

§. 323. Omne genus actionum, ad quod perficiendum Christus in mundum missus est, dicitur officium ejus; & ideo Redemptio generis humani, & quidquid ad eam pertinet, est officium Christi. Porro ad redemptionem generis humani spectabat 1. ut Christus Deo plenam pro hominibus satisfactionem præstaret. 2. ut voluntatem Dei hominibus annuntiaret, iisque viam salutis monstraret. 3. ut fideles suos regat, protegat & salvet. Hinc triplex Christi officium emergit, scilicet Sacerdotale, Propheticum & Regium. Et ideo *Is.* 33. *v.* 22. dicitur: *Judex noster, Legislator noster, Rex noster, qui salvabit nos.*

Officium Christi quotuplex?

§. 324. Primo igitur Christus pro nobis vere & proprie justitiæ Divinæ satisfecit. Ita 1*mo.* docet S. Scriptura, quæ testatur, quod Christus proprio Sanguine suo nos redemerit, *ad Eph.* 1. *v.* 7. *In quo habemus redemptionem* λύτρωσιν *per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: Matth.* 20. *v.* 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis:* Λύτρον, quod pretium pro redemptione captivi solutum significat: sed qui verum pretium pro redemptione nostra solvit, vere pro nobis satisfecit, non solo consilio & exemplo: ergo Christus vere pro nobis satisfecit. Dicunt Sociniani, λύτρον improprie sumi pro liberatione sine dato pretio, sicuti Deus dicitur populum liberasse sine pretio. Verum qualis consequentia? subinde λύτρον significat satisfactionem

Christus vere pro nobis satisfecit.

improprie: ergo semper certe dare animam hoc pretium sufficienter indicat. Rursus in S. Scriptura Christus dicitur pro nobis, seu loco nostri per veram substitutionem passus & mortuus esse, *ad Rom.* 5. *v.* 8. *Christus pro nobis mortuus est.* 1. *Petr.* 3. *v.* 18. *Justus pro injustis:* ergo vere pro nobis satisfecit. Dicunt Sociniani, particulam ὑπὲρ tantum causam finalem mortis Christi denotare, scilicet ut nos a peccato retineret, & ejus odium nobis inspiraret. Verum vim satisfactoriam mortis Christi clare ostendunt verba sequentia: *Ut nos justificaret & Deo reconciliaret*, *ad Rom.* 5. *v.* 10. 3*tio.* Christus in morte perferenda peccatorum nostrorum pœnas solvit; nam ex confessione ipsius Socini, *Is.* 53. *v.* 4. de Christo dicitur: *Vere languores nostros ipse tulit*, *& dolores nostros ipse portavit.* Ubi Syriaca legit: *Vere passiones nostras ipse pertulit*, *& dolores nostros ipse passus est.* Et Græca: *Ipse peccata nostra portat*, *& pro nobis dolet.* Unde ly נשא non significat tantum, *abstulit*, sed etiam, *pœnam luit.* Nec obstat S. Matthæus, qui *c.* 8. *v.* 17. hunc locum interpretatur de morbis corporis a Christo sanatis; nam morbi illi erant plerumque pœnæ peccatorum: unde recte dicit, ideo Christum sanasse ægrotos, ut ostenderet, se esse, qui peccatorum nostrorum pœnas sustulisset, & castigatione sua pacem nobis restituisset. Sane Christum peccatorum nostrorum pœnas in se transtulisse patet ex *Is.* 53. *v.* 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, *attritus est propter scelera nostra*, Hebraice מעונותינו *ab iniquitatibus nostris. Disciplina* מוסר *castigatio pacis nostræ super eum*, *& livore ejus sanati sumus.* Ergo pœnas peccatorum nostrorum luit, & proprie pro iis satisfecit, 4*to.* Christus morte sua sacrificium expiatorium obtulit; quo oblato & accepto, Deus peccata nostra remittere, nosque impunitos dimittere poterat; nam dicitur Sacerdos noster, qui Sanguine suo ingressus in Sanctum Sanctorum æternam redemptionem invenit, *ad Hebr.* 9. *v.* 11. 12. Hac quippe compellatione & descriptione S. Scriptura docet, Christum rem istam vere & realiter præstitisse, cujus aliquod signum figurativum editum est in Sacerdote Vet. Testamenti. Huc pertinet comparatio Christi cum Pontifice maximo, *ad Hebr.* 9. *v.* 6. & clarissimum testimonium, omnia sacra Levitica fuisse umbram futurorum, *ad Hebr.* 10. *v.* 1. Rem vero istam, cujus signum a Pontifice edebatur, quoties in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, fuisse expiationem, aut sacrificium pro peccatis hominum in remissionem offerendum, Moyses *Lev.* 16. *v.* 14. docet. Ergo morte Christi ita expiata sunt peccata nostra, ut Deus, moriente Christo, verissimum sacrificium & sa-

tisfactionem pro illis acceperit. Patrum testimonia afferre opus non est, quos sibi adversos Socinus fatetur. Vid meam Anal.

Schol. 1. Satisfactio apud Scriptores juris Naturæ significat redditionem rei æquipollentis pro re ablata, ut dammum resarciatur. Unde satisfactio pro peccato est redditio voluntaria honoris & reverentiæ æquivalentis ex propriis, & alias indebitis ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam. *Satisfactio quid?*

Schol. 2. Socinus novum Religionis systema in Polonia procudit, quod satisfactionem Christi potissimum excludit, cum pro toto Religionis fundamento hoc principium ponat, solo pietatis & bonorum operum studio Deum placari, & vitam æternam impetrari posse. Systema ejus hoc est. 1. Deus pro infinita sua bonitate decrevit, omnibus resipiscentibus, & pie in hoc mundo viventibus omnia peccata condonare, & illos ad immortalem vitam transferre, dummodo in bono usque ad finem perseveraverint. 2. Ut hanc voluntatem Deus mundo patefacerer, misit Jesum Christum in mundum, qui hanc Dei bonitatem nobis non solum annuntiavit, sed & miraculis confirmavit, & occasione hujus annuntiationis mortem crucis Deo mandante subiit. 3. Ut vero prædicationem Christi esse certam cognosceremus, Deus Christum nobis velut vitæ exemplar proposuit, tertia die a mortuis excitavit, & in cœlum transtulit. 4. Igitur justificamur, seu peccata nobis remittuntur, id est pro justis declaramur, per hoc, quod promissionibus Christi confidamus, & mandata ejus servemus. Res autem a Christo promissæ sunt vita æterna, & Spiritus S. quarum rerum fide homo movetur, ut mandatis Dei obediat; unde habet liberum arbitrium. 5. Sed quia homo mandatis Dei non obtemperaret, si natura illius per peccatum originale corrupta foret; ideo peccatum originale non datur, & homo in eodem statu nascitur, in quo Adam creatus fuit. 6. Cum vero S. Scriptura sæpius dicat, Christum ad salvandum nos venisse; Socinus hoc vult intelligi, Christum nos salvasse, quatenus & promissiones vitæ æternæ, & Dei mandata nobis revelavit: & ideo 7. Deus & potuit, & voluit peccata condonare sine ulla interveniente vera satisfactione; imo impossibile fuit, ut alienam satisfactionem acciperet. 8. Quare Christus non satisfaciendo, sed docendo & doctrinam suam morte & Sanguine confirmando, nos redemit. Hoc vero redemptionis genus cum non sit supra vires meri hominis; hinc 9. Christus non est essentialis & æternus Deus, sed merus homo, & solum dicitur Unigenitus Dei Filius, quia inter homines nullum pattem habuit, sine concursu *Socini hæresis & systema.*

maris conceptus, a Patre sanctificatus, in mundum missus, a mortuis resuscitatus, & in cœlum exaltatus fuit. Hinc non datur Verbi Divini Incarnatio. Et quia 10. Spiritus S. a Christo, qui non est verus Deus, mitti dicitus; ideo Spiritus S. non est verus Deus; & sic 11. Corruit magnum Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis mysterium, & præter Patrem D. N. J. C. nemo est verus & essentialis Deus. 12. Quia tamen Christus in S. Scriptura sæpe dicitur Rex, Dominus & Judex noster, licet sit merus homo; eam tamen a Deo potestatem accepit, ut Ecclesiam regere, & vitam æternam fidelibus largiri possit, & ideo merito ab omnibus adorari & religiose coli debet. Hoc systema Steinbartus in *Syst. puræ Philos.* Grunerus in *Inst. Th.* & alii, novis figmentis contra aperta S. Scripturæ testimonia explicare conati sunt. Insurgunt ergo contra veram Christi satisfactionem. I. Quia in S. Scriptura dicitur, nobis Deus gratis peccata dimittere. Verum remissio hæc, licet sit gratuita respectu nostri, jure tamen fit respectu Christi. II. Christus non potuit pro nobis satisfacere, quia injustum est, innocentem plecti pro reo, *Deut.* 24. *v.* 16. Et Christus pro seipso debuit Legi obedientiam. Verum injustum non est, innocentem plecti pro reo, quando innocens, qui habet perfectum dominium vitæ suæ, se sponsorem pro reo constituit; quia tunc reatus pœnæ in eum conjectus censetur. Deinde Christus homo factus Patri quidem obedientiam debuit, sed liberam, quia libere homo factus est. III. Christus non sustinuit pœnam æternam, quam nos sustinere debebamus: ergo non vere satisfecit. Sed licet pœna a Christo tolerata non fuerit æterna quoad durationem, fuit tamen quoad pretium & valorem æquivalentem. IV. Sic Christus utpote Deus sibi ipsi satisfecisset. Verum cum Christus, nec sit simplex Deus, nec simplex homo, sed Deus homo, non satisfecit sibimetipsi ut homini & mediatori inter Deum & hominem; sub illo enim respectu Deo satisfecit, licet dici possit sibi satisfecisse ut Deo. Vid. D. Tournely *de Incarn.* & P. Berti.

Satisfactio Christi fuit necessaria. §. 525. Satisfactio Christi ad reparandum hominem lapsum fuit necessaria. Nam 1mo. Deus tam in Veteri, quam in Novo Testamento mortis pœnam sæpius interminatus est, *Gen.* 2. *v.* 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris: Ezech.* 18. *v.* 2. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: ad Rom.* 1. *v.* 18. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum.* Ergo cum Deus nec mentiri possit, nec mutari, necesse fuit comminationem illam exequi, & vel hominem moriendo huic edicto satisfacere, vel in

Christum hominem vadem & sponsorem pœnam transferre. *2do.* Apostolus in *Epistola ad Hebræos* sæpe inculcat, sacrificia legalia reatum, peccata tollere non potuisse, sed nobilius sacrificium Christi necessarium fuisse, *ad Hebr.* 10. *v.* 4. *Impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Quæ verba clare innuunt, necesse fuisse, nos Sanguine Christi mundari. Unde *ad Hebr.* 9. *v.* 22. dicitur: *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quam ista.* *3tio.* Suffragatur ipsa Christi precatio, qua *Matth.* 26. *v.* 39. oravit, ut si possibile esset transiret a se calix passionis: qui cum teste eventu eum non transiit, sub conditione reparandi hominis lapsi necesse fuit, ut Christus eum biberet. *4to.* Ratio accedit: nam verisimile non videtur, Deum sapientissimum voluisse proprium suum Filium tam acerbæ & ignominiosæ morti subjici, si necessaria non fuisset satisfactio per hominem Deum oblata, & si faciliori via opus Redemptionis humanæ peragi potuisset. Vide §. 120. ubi demonstratum est, hanc satisfactionem exigi a Divina justitia.

Schol. 1. Sociniani volunt, satisfactionem Christi non fuisse necessariam. I. Quia Deus sine omni satisfactione peccata nobis remittere potuit, sicuti & homo injurias sibi illatas. *Resp.* Deus nequit peccatum impunitum relinquere, ne ejus gloria obscuretur (§. 120.); homo vero licet peccatum præcavere debeat, cum tamen res mundanas non regat, actus judiciales exercere nequit, quibus gloriæ Divinæ obscuratio aboleatur, nisi sit persona publica; unde si sit persona privata, Deo vindictam relinquere debet. II. Justitia vindicativa non est Deo essentialis, tum quia in Deo non esset sine creatura peccante: tum quia contrariatur ejus misericordiæ: tum quia vel susciperet magis & minus; vel deberet omnia peccata æqualiter plectere: tum quia Deo foret necessaria, utpote illi essentialis, & non libera; quæ omnia Deo non conveniunt. *Resp.* Justitia vindicativa sine peccante non esset in Deo quoad actum secundum & exercitium; bene vero quoad actum primum, velut proprietas dicens ordinem ad creaturas. Deinde Justitia & misericordia sunt circa diversa objecta & diversos effectus, adeoque inter se non pugnant: & susciperet magis & minus tantum quoad effectum externum, non quantum ad proprietatem Divinam infinitam. Denique justitia Divina libera est, quantum ad exercitium & varias pœnæ circumstantias, non vero quantum ad pœnæ substantiam. III. Salva misericordia fieri potest, ut Deus quem vult puniat: ergo

Solvuntur objectiones.

& salva justitia fieri potest, ut cui vult peccata sine satisfactione remittat, maxime quia hoc nobis sub sola conditione emendationis promisit. *Resp.* Exercitium misericordiæ Dei per sapientiam semper determinatur; unde fieri potest, ut non punire Dei sapientia sub certis circumstantiis indignum sit: hinc illæsa manet misericordia, licet Deus puniat: sed commisso peccato semper adest ea conditio, qua existente si Deus non puniret, nulla esset justitia punitiva, licet ea æque sit in Deo necessaria, quam sanctitas & sapientia. Certe resipiscentia & emendatio est ex gratia; hæc vero ex meritis Christi per pretium Sanguinis sui & satisfactionem pro nobis solutam nobis comparata est.

Qua necessitate Christus pro nobis satisfecerit?

Schol. 2. Catholici omnes summo consensu docent, necesse fuisse, ut Christus pro nobis satisfaceret: sed dissentiunt, qua necessitate Christus ductus fuerit, ut pro nobis satisfaceret. Alii enim duntaxat assignant necessitatem congruentiæ, alii necessitatem hypotheticam supposita Divina voluntate exigendi condignam satisfactionem, alii necessitatem tantum decreti ac voluntatis Dei, alii dicunt, de potentia ordinaria Dei, non vero de extraordinaria, satisfactionem Christi fuisse necessariam; quam sententiam & nos (§. 320. Schol. 2.) amplexi sumus. Supposito ergo quod satisfactio Christi fuerit necessaria, quæritur adhuc in Scholis, an ita fuerit necessaria, ut purus homo nec pro suo nec pro alieno peccato mortali aut veniali Deo condigne satisfacere potuisset. Scotus & Suarez affirmant, nos negamus. Nam in primis homo purus non potest pro suo vel alieno peccato mortali debitum solvere, cum nihil nec naturale nec supernaturale habeat, quod titulo justitiæ, Religionis & gratitudinis in Deum Auctorem referre non teneatur, & quod iræ Divinæ placandæ idoneum esse possit; adeoque solutio non fit ex bonis indebitis. Deinde purus homo inimicitiam per peccatum cum Deo contractam dispellere nequit, quia satisfactio hominis nequit esse tanti valoris, quanti demeriti fuit offensa, quæ saltem objective & extrinsece ex infinita Dei Majestate infinita est. Nec homo purus reatum pœnæ per peccatum contractum sufficienter expiare potest, ob disproportionem inter offensam Dei, & pœnam temporalem, ac æternam. Ex his autem rationibus etiam probatur, hominem purum pro peccato veniali satisfacere condigne non posse, cum satisfactio ab eo præstita nec ex bonis propriis, nec æquivalentibus fieri possit. Nec obstat I. quod homo eliciens actum Charitatis reddat Deo totum, quod ipsi abstulit, nempe rationem ultimi finis. Nam hæc redditio non fit ex bonis propriis, nec est tanti meriti in ordine

satisfactionis, quanti demeriti est offensa in ratione offensæ, quæ infinita est; cum tamen satisfactionis valor ex persona satisfaciente æstimandus, finitus sit. Non obest II. quod homo per contritionem possit mereri vitam æternam: ergo & condigne satisfacere. Nam in merito tantum attenditur proportio rei ad rem, & actus meritorii ad præmium, & intervenit liberalis Dei acceptatio, & promissio, se daturum ex misericordia actibus charitatis vitam æternam: in satisfactione vero spectatur proportio personæ offensæ cum persona satisfaciente, quæ non est inter Deum & hominem, & nihil in ea gratis remittitur, sed totum debitum ex stricta justitia solvitur. Non obstat III. quod possit aliquis satispati pro peccato mortali: ergo & satisfacere. Nam transmisso antecedente, quod absolute negari potest, disparitas est, quod plus requiratur ad satisfaciendum, quam ad satispatiendum, scilicet præter adæquationem pœnæ cum peccato, adæquatio operis satisfactorii per condignitatem in eodem ordine, quod operi satisfactorio puri hominis relate ad offensam Divinam nequit competere. Nec obstat IV. quod si homo pro veniali non posset satisfacere condigne, hoc non differret a mortali, posset excludi a vita æterna, nec pro eo satispati posset. Nam differt veniale a mortali adhuc in eo, quod homo in veniali possit saltem suo merito aliquid obtinere, cui annexa est peccati venia, scilicet gratiam per actum Charitatis. Deinde ob veniale a vita æterna quis excludi posset, si ratio haberetur strictissimæ Dei justitiæ, quæ plenam satisfactionem exigere potest; secus si spectetur natura gratiæ justificantis, & debitum ipsi connaturale: cum enim homo justus Deo gratus sit, & gratiam mereri possit, cui ex condigno annexa est vita æterna, meretur, ut veniale ipsi condonetur. Denique cur satispati possit, non tamen satisfacere, ex dictis patet.

§. 326. Satisfactio Christi non tantum æquivalens fuit, sed etiam superabundans. Nam *ad Rom.* 5. *v.* 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. Hinc S. Cyrillus *Catech.* 13. ait: *Non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit*. Et S. Chrysostomus *hom.* 10. *in Ep. ad Rom. Multo plura his, quæ debebamus, rependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam aquæ guttam collatum esse possit*. Ratio est, quia dignitas Personæ Christi satisfacientis auget valorem satisfactionis: ergo cum dignitas Personæ Christi sit infinita, valor satisfactionis ejus infinitus, adeoque superabundans fuit; nam plus est Deum humiliari, quam hominem contra Deum se erigere. *Satisfactio Christi æquivalens & superabundans est.*

Schol. 1. De fide est, satisfactionem Christi pro pec-

dem ex se. catis nostris sufficientem & superabundantem fuisse, si abstrahatur a modo sufficientiæ & superabundantiæ: sed controvertitur in Scholis, an hanc condignitatem & superabundantiam ex se ab intrinseco, an vero ex sola Dei acceptantis liberalitate habuerit. Scotistæ negant, nos affirmamus, ab intrinseco condignam fuisse: quod probamus tum a dignitate Personæ satisfacientis Christi, qui perfecte justus & sanctus fuit, *Luc.* 1. *v.* 35. tum a dignitate sacrificii Christi, quod nil habuisset supra sacrificia legalia, si ex se condignum & perfectum non fuisset, cum etiam illa ex acceptatione Dei valerent ad purganda peccata: tum ex gravitate pœnæ Christo impositæ, quæ exhaurit omne debitum per peccatum contractum: tum ex approbatione supremi Judicis, qui solemniter declaravit, Christum esse Filium suum dilectum, in quo sibi complacuit, & in signum perfectissimæ satisfactionis sibi præstitæ eum a mortuis suscitavit. Non obstat I. quod Christus oraverit, ut nobis delictorum venia daretur: solum enim orandi exemplum nobis dedit, imo ipsa oratio Christi humiliantis se pars satisfactionis fuit. Non obstat II. quod Christus ut homo satisfecerit, quæ satisfactio non adæquat gravitatem peccati mortalis tamquam injuriæ Deo illatæ, nec tantum Deo placet, quantum ei mortale pugnans contra Divinam bonitatem displicet. Nam Christus nec ut homo tantum, nec ut Deus tantum, sed ut Deus homo satisfecit, humanitate eliciente substantiam actionis, & Personalitate Verbi valorem satisfactorium infinitum in eam influente. Deinde mortale solum moraliter secundum prudentum æstimationem est destructivum Divinæ bonitatis, non vero realiter & physice; quod tamen requireretur, ut tantum odio haberetur, quantum Divina bonitas diligitur, quæ non solum moraliter, sed etiam physice & moraliter infinita est.

Et infiniti valoris. *Schol.* 2. Iidem Scotistæ negant, satisfactionem Christi esse valoris simpliciter infiniti in genere moris. Sed nos hoc iterum affirmamus, tum quia satisfactio Christi gaudet vi satisfactoria sufficiente pro peccatis infinitis: ergo debet esse valoris simpliciter infiniti, sicut causa effectiva infinitorum effectuum debet esse infinita: tum quia dignitas Personæ Christi satisfacientis est simpliciter infinita: ergo & valor ejus satisfactorius; nam honor pro offensa exhibitus eo major est, quo major est dignitas honorantis. Non obstat I. quod Persona Verbi non sit pars satisfactionis Christi, utpote quæ non potuit se demittere. Nam saltem Persona hypostatice naturæ humanæ unita se satisfactioni subjicere potuit. Non obstat II. quod creatio mundi non contrahat ex persona operante

infinitum valorem: ergo nec actiones satisfactoriæ Christi. Nam creatio mundi non quidem in ordine satisfactionis infinitum valorem contrahit; bene tamen in ordine beneficii, & ratione principii & modi agendi. Non obstat III. quod hoc modo Christus per unicam actionem satisfecisset sufficienter pro redemptione generis humani, & sic reliquæ actiones fuissent superfluæ, cum tamen passioni & morti Christi tribuatur nostra redemptio. Nam Christus sufficienter quidem per unicum actum satisfecisset quoad quantitatem pretii, non vero quoad extensionem sui amoris, quo redemptionem nostram sua morte complere voluit. Non obstat IV. quod sic omnes Christi actiones forent in merito æquales: sunt enim in ratione valoris personalis, non vero in ratione valoris objectivi ab objecto & circumstantiis actionis, qui pro majore vel minore dignitate objecti major vel minor esse potest. Denique ad compensandum meritum infinitum Christi præmium syncategorematice infinitum sufficit.

Et ex vera justitia ad strictos juris apices.

Schol. 3. Satisfactio Christi fuit ex vera justitia, & quidem rigorosa & ad strictos juris apices. Ita contra Lugo patet 1. ex *Ep. ad Rom.* 3. *v.* 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ*. Consentiunt PP. S. Augustinus *l.* 13. *de Trin. c.* 13. *Ut non potentia diabolus, sed justitia vinceretur*. S. Leo *Serm.* 12. *de Pass.* S. Gregorius *l.* 17. *mor. c.* 30. Certe omnes conditiones rigorosæ justitiæ sunt in satisfactione Christi. Est voluntaria, *Is.* 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Est æquivalens & superabundans (Schol. præc. 1.). Fuit ex bonis propriis Christi, scilicet speciali Christi dominio subditis; nam satisfactio Christi spectata ratione valoris Personam Divinam tamquam partem includit, quæ nemini subjacet prout valorem in actiones satisfactorias influit. Fuit ex bonis alias indebitis, tum quia actiones illæ speciali ejus dominio suberant: tum quia plus obtulit, quam necesse erat ad delenda nostra delicta. Fuit ad alterum, quia Christus Deus homo non satisfecit sibi ut homini, sed ut Deo (§. 527. Schol. 2.). Fuit plena, & nulla pars debiti gratis remissa fuit. Non obstat I. quod non detur vera justitia hominis ad Deum, sicuti nec Filii ad Patrem. Nam datur saltem vera justitia Dei hominis ad Deum, & Filii habentis bona propria ad Patrem. Non obstat II. quod principium elicitivum satisfactionis fuit humana natura, quæ tota erat sub dominio SS. Trinitatis, sicuti etiam entitas physica actionum humanarum ad satisfactionem necessaria, unio hypostatica & ipsa voluntas humana ejus dominio suberant: ergo satisfactio Christi non fuit ex bonis ejus propriis. Nam humana na-

tura est principium satisfactionis physice quoad entitatem spectatæ, non vero moraliter quoad valorem & pretium. Entitas autem physica actionum, & unio hypostatica sunt tantum conditio præsupposita, non vero forma valorem & pretium influens, sed Persona, a qua etiam est valor actuum voluntatis humanorum Christi. Non obstat III. quod Christus actiones suas creatas Deo titulo gratitudinis, obedientiæ &c. debuerit. Ergo non satisfecit ex bonis indebitis. Actiones enim has solum quoad entitatem physicam spectatas Deo debebat, non ratione pretii & valoris a Persona Verbi nulli subjecta morti.

Satisfactio Christi est universalis. §. 327. Satisfactio Christi est universalis, & Christus ita mortuus est pro omnibus omnino hominibus, ut vera & sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro omnium redemptione & salute æterna, antecedenter quidem & sufficienter pro reprobis, consequenter & efficaciter pro prædestinatis. Patet hoc 1*mo.* ex S. Scriptura, 1. *ad Tim.* 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* 1. *ad Tim.* 4. *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Quæ restrictio notat, esse etiam Salvatorem infidelium. Et 1. *ad Cor.* 8. Apostolus docet, Christum mortuum esse pro iis etiam, qui pravo aliorum exemplo pereunt. 2*do.* Definit Concilium Catisiacum I. a. 849. Carisiacum II. a. 853. & Tridentinum sess. 6. c. 3. ac Innocentius X. a. 1653. damnavit hanc Jansenii propositionem: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse.* Accedit præter alios Pattes Clemens Alex. *l.* 7. *Strom.* Origenes *l.* 4. *cont. Celsum*, S. Augustinus, qui *tr.* 4. *in Joan.* ait: *Crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* Et S. Prosper inter opiniones Semipelagianorum refert, quod Christus non pro omnium redemptione & salute passus sit.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Calvinus docet, Christum non omnes homines, sed solos electos redemisse. Et Jansenius vult, Christum non ea intentione pro omnibus mortuum esse, ut illis gratias sufficientes mereretur. Nam I. *Joan.* 10. Christus dicit, se tantum posuisse animam suam pro ovibus suis. Verum hic solum pro electis Christus dicitur mortuus, quantum ad efficacem meritorum suorum applicationem & assecutionem vitæ æternæ, non quantum ad sufficientem oblationem mortis Christi pro omnibus. II. Christus pro solis prædestinatis oravit, *Joan.* 16. *v.* 9. *pro iis, quos dedisti mihi.* Ergo pro iis tantum mortuus est. Sed licet Christus in illa speciali oratione pro solis prædestinatis oraverit, alibi tamen pro omnibus oravit, uti *v.* 21. & in Cruce pro persecutoribus suis.

III. S. Augustinus *l.* 22. *de Civ. c.* 24. & alibi, mortem Christi ad solos prædestinatos refert, quantum ad efficaciam, non quantum ad sufficientiam. Eodem modo intelligendus est S. Thomas 3. *p. q.* 21. *a.* 4. *ad* 2. Rursus IV. Concilium Valentinum III. *can.* 4. definit, Christum pro impiis ante ipsum defunctis non esse mortuum: sed loquitur de damnatis reduplicative in statu damnationis spectatis, ut e damnatione liberentur. V. Redemptio reproborum non fuit frustranea, utpote per quam præparata sunt illis media ad salutem sufficientia. Et reprobi quidem ipsi suas pœnas solvunt, non ex eo, quod Christus pro iis non satisfecerit, sed quia satisfactionem ejus acceptare noluerunt.

De Gotheschalco & Conc. Valent. &c.

Schol. 2. Gotheschalcus monachus monasterii Orbacensis præter alia dogmata docuit, Christum pro sola electorum salute mortuum esse; cumque varias Germaniæ regiones peragrasset, tandem Moguntiam devenit, ubi Rabanus anno 844. Concilium indixit, cui Gotheschalcus professionem suam de gemina prædestinatione obtulit, una cum libello in quo Rabanum in quæstionibus de libero arbitrio, & de voluntate Dei & redemptione Sanguinis Christi pro omnium salute effusi, Semipelagianismi insimulavit: quare in hoc Concilio damnatus & ad suum Archiepiscopum Rhemensem Hincmarum remissus est, cui etiam Rabanus Archiepiscopus Moguntinus epistolam synodalem scripsit. Hincmarus igitur causæ cognitionem suscepit, & in Synodo Carisiaca I. anno 843. Gotheschalcus non solum damnatus, sed etiam verberibus castigatus, libellum suum igni tradere coactus, & in ergastulo cellæ monasterii Altivillarensis inclusus fuit; cumque ad mutandam sententiam suam induci non posset, Hincmarus anno 853. Synodum Carisiacam coegit, in qua Gotheschalcus iterum damnatus, & inter quatuor Capitula etiam hoc editum fuit: *Christi Sanguinem pro omnibus fusum, licet non omnes passionis mysterio redimantur.* Synodi Carisiacæ in Gotheschalcum agendi ratio & quatuor illius Capitula valde displicuerunt Patribus Concilii Valentini anno 855. in Gallia celebrati, qui *Can.* 4. quatuor Capitula Carisiaca, præsertim autem quartum de morte Christi pro omnibus gravi censura perstrinxerunt, quia Patres ex errore facti putarunt, auctores Capitulorum Carisiacorum definire voluisse, Christum eadem ratione esse mortuum pro iis, qui in impietate sua mortui vel morituri sunt, ac pro salvandis; cum tamen Capitulum dictum solum velit, Christum pro reprobis antecedenter & sufficienter, pro electis vero consequenter & efficaciter esse mortuum, quod Patres Valentini non damnarunt; unde etiam postea in Concilio Lingonensi

anno 859. *can.* 4. Tullensi *can.* 10. re melius explorata, iidem Valentini Patres censuram illam: *Porro Capitula* &c. expungi statuerunt. Vid. meam Summ. Conc. Carranz. An vero Gotheschalci doctrina re vera hæretica fuerit, litigant adhuc graves Catholici scriptores: rationes pro & contra videri possunt in *Hist. Eccl.* R. P. Graveson *colloq.* 5. *sæc.* 9.

Christus ut homo Deus satisfecit. §. 328. Christus satisfecit quatenus homo Deus, ita ut ad satisfactionem Christi utraque quidem natura Christi indivise concurrerit; sed humana materiam satisfactionis præbendo; Divina valorem & pretium infinitum impertiendo (§. 326. Schol. 1. & 3.).

Christus vere meruit. §. 329. Christus satisfactionem Deo pro nobis præstans vere meruit per eas actiones, per quas Deo pro nobis satisfecit. Colligitur hoc ex omnibus rationibus (§. 324.), pro probanda vera Christi satisfactione allatis. His accedit, quod nulla conditio ad meritum requisita in Christo defuerit. Nam Christus I. fuit viator, *Luc.* 24. *v.* 26. fuit II. sanctus, *Luc.* 1. *v.* 35. opera digna & præstantia exercuit, 1. *ad Cor.* 6. *v.* 20. III. fuit liber, *Is.* 53. *v.* 7. IV. habuit promissionem remunerationis, *Is.* 53. *v.* 10.

Et quidem a primo Conceptionis instanti. *Schol.* Communis etiam est Theologorum sententia, Christum a primo Conceptionis instanti usque ad extremum vitæ mortalis spiritum meruisse: nam *ad Hebr.* 10. *v.* 5. dicitur: *Ingrediens in mundum dicit ... tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ... in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Et certe in primo Conceptionis instanti Filius Dei exinanivit semetipsum formam servi accipiens, quæ exinanitio utique meritoria fuit. Modo vero in cœlo Christus non meretur, sed meritum suum in morte consummatum Deo offert, nobisque applicat. Porro Christus meruit per omnes actus amoris Dei, quos ex scientia infusa eliciebat, & per omnes actus virtutum moralium, quia liberi & Deo grati fuerunt. Meruit autem sibi gloriam corporis, nominis exaltationem, gentium cultum & adorationem, Ecclesiæ suæ splendorem, diffusionem & firmitatem; non tamen gratiam & gloriam, qua a primo Conceptionis instanti anima ejus ornata fuit, nec unionem hypostaticam (§. 322.). Item Christus nobis omnia illa gratiæ cœlestis dona, quæ justificationem nostram antecedunt vel sequuntur, meruit. Gratia tamen primo Parenti nostro & Angelis in creatione concessa non fuit ex meritis Christi, qui Adamo non peccante non venisset.

Christus est verus Sacerdos. §. 330. Christus ad satisfaciendum pro nobis profuso suo sanguine seipsum Patri in ara crucis obtulit. Ergo cruentum Deo sacrificium immolavit: *ad Eph.* 5. *v.* 2.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Deinde preces populi Deo obtulit, & pro eo intercessit: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis: ad Hebr.* 7. *v.* 25. Rursus deputatus ad hoc fuit a Patre: *Non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu: ad Hebr.* 5. *v.* 5. Denique Divina populo tradidit, 2. *Petri* 1. *v.* 4. *Per quem maxima & pretiosa promissa donavit.* Ergo Christus verus Sacerdos novæ Legis fuit.

Secundum ordinem Melchisedech.

Schol. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, *Ps.* 109. *v.* 4. & *ad Hebr.* 5. *v.* 6. Similitudo vero Sacerdotii Christi, cum illo Melchisedech est tum in eo, quod Melchisedech idem sonet ac Rex justitiæ, pacis: tum quia Melchisedech dicitur esse sine patre & matre; & Christus in generatione temporali fuit sine patre, in æterna sine matre: tum quia Christus in ultima cœna obtulit sacrificium in pane & vino. De quo alibi. Item Christus non est Sacerdos ratione Divinitatis; nam Sacerdos superiorem agnoscit: omnis Pontifex ex hominibus assumitur: sed ratione Humanitatis subsistentis subsistentia Divina, a qua Christi sacrificium suum valorem accepit. Denique Christus non habuit in Sacerdotio suo successores, utpote qui sempiternum habet sacerdotium, *ad Hebr.* 7. Constituit tamen sibi ministros, per quos tamquam per instrumenta ipse semper vivens operatur.

Melchisedech non est Angelus, nec Filius Dei.

§. 331. Cum Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech (§. 330. Schol.), & quidem ratione humanitatis subsistentis subsistentia Verbi, sequitur, ipsum Melchisedech non fuisse Angelum, nec virtutem quamdam cœlestem, nec Spiritum Sanctum, nec ipsum Filium Dei. Nam Melchisedech fuit verus homo; quippe *Gen.* 14. *v.* 18. dicitur *Rex Salem, & Sacerdos Altissimi:* & *ad Hebr.* 7. *v.* 6. dicitur *genitus ex hominibus*, ita tamen, ut ejus Genealogia in Hebræorum libris non recenseatur: *Cujus generatio non annumeratur in eis*, ἐξ αὐτῶν. Deinde nomen Melchisedech non est appellativum, sed proprium; nam littera • in Hebræo מלכיצדק, cum non sit nota pronominis vel regiminis, est nota nominis proprii. Nec est Filius Dei, quia *ad Hebr.* 7. dicitur *assimilatus Filio Dei* ἀφωμοιωμένος, quod typum cum significato ostendit. Ergo nec Angelus, nec Spiritus S. nec Filius Dei est.

Solvuntur objectiones Melchisedechianorum.

Schol. 1. Melchisedechiani hæretici, teste S. Epiphanio *l.* 2. *hær.* 4. docebant, Melchisedech esse præclaram quamdam virtutem Christo superiorem, quæ ad benedicendum Abraham de cœlo descendit. Hierax voluit, Melchisedech esse Spiritum S. Origenes, esse Angelum. Cunæus vero,

Melchisedech non esse nomen proprium, sed appellativum censuit, quod significat Filium Dei, tum quia illud S. Paulus interpretatur Rex justitiæ: tum quia dicitur fuisse sine patre & matre: tum quia dicitur Sacerdos in æternum: tum quia dicitur esse dignior Abrahamo: tum quia de eo esse grandem sermonem, & ininterpretabilem ad dicendum, testatur Apostolus *ad Hebr.* 7. Verum in his omnibus Apostolus solum ostendit, Melchisedech esse figuram Sacerdotis Christi, quia gerebat typum Sacerdotii nostri omnium præstantissimi.

Quis fuerit Melchisedech? *Schol.* 2. Quis fuerit Melchisedech, incertum est: non videtur fuisse Sem filius Noe, utpote qui non fuit Rex & Sacerdos, cum non fuerit primogenitus Noe, uti probant Interpretes, & solum primo loco inter filios Noe ponatur, quia de eo Hebræi orti sunt: adeoque ad eum jus Sacerdotii non spectabat. Chananæum tamen fuisse censet S. Hieronymus *ep. ad Evangel.* & S. Epiphanius *hær.* 67. Et colligitur ex eo, quod fuerit Rex Salem, vel, ut alii dicunt, Jerusalem, quæ est in Chanaan.

Christus est verus Mediator. §. 332. Christus offerendo semeptisum pro nobis, verus Mediator inter Deum & hominem fuit. Ita 1. *ad Tim.* 2. ait Apostolus: *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Certe Christus omnia officia perfecti Mediatoris præstitit. Fuit enim Interpres Dei apud homines, *Joan.* 1. *v.* 18. Consiliarius, *Is.* 9. Advocatus apud Patrem, 1. *Joan.* 2. *v.* 1. Sponsorem se obtulit, & plene satisfecit (§. 324.).

Quatenus homo Deus. 2. Christus autem non fuit Mediator secundum humanam naturam, prout intelligitur a Deo præcisa, quia hoc modo non potuit condignam & infinitam satisfactionem præstare (§. 328.): nec secundum Divinam naturam, quia hæc non potuit obire munera Mediatoris, v. g. sacrificare (§. 330. Schol.): nec secundum utramque naturam ratione principii formalis, quia natura Divina non potest satisfaciendo subjici, sed quatenus homo Deus, 1. *ad Tim.* 2. *Homo Christus Jesus*; ita ut per naturam humanam Verbo subsistentem omnibus officiis Mediatoris perfunctus sit, & ad satisfactionem utraque natura Christi indivise concurrerit; humana subjectum, seu materiam satisfactionis præbuit, Divina valorem & pretium infinitum impertivit.

Solvuntur objectiones Osiandri. *Schol.* 1. Calvinus docuit, Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam ratione principii formalis, ita ut secundum utramque naturam perfunctus sit Mediatoris officio. Osiander soli naturæ Divinæ officium Mediatoris tribuit. Stancarus soli naturæ humanæ. Nam I. *Joan.* 8. Christus ut Mediator dicit: *Ego pono animam*

meam: sed hoc dicit ut Deus, qui solus est Dominus vitæ & mortis. Verum nemo non videt, quod ly ponere animam ad humanitatem spectet: Deus enim non moritur. II. Renovare corda, & dare Spiritum S. officium Mediatoris est, quod utique ad solum Deum spectat. Sed dare Spiritum S. meritorie est proprium Mediatoris; dare vero efficienter, & ut Auctor doni, opus Dei est, apud quem Mediator intercedit.

Cur Christus oraverit? *Schol.* 2. Christus homo in decursu vitæ suæ mortalis oravit, *Joan.* 17. &c. quia voluntas Christi humana ex seipsa satis potens & efficax non erat, ut quæcumque vellet, posset adimplere; unde necesse fuit ad Divinam recurrere virtutem, ut quæ volebat obtineret: oravit igitur, tum ut se verum hominem ostenderet: tum ut officium Mediatoris impleret: tum ut orandi formam & exemplum nobis præberet. Duplex autem fuit Christi oratio: una efficax & absoluta ex voluntate efficaci procedens, quæ semper impletur: altera inefficax & conditionata ex voluntate inefficaci (§. 83. Schol. & §. 85.). Christus autem in cœlis modo pro nobis orat, vel sola humanitatis & meritorum suorum repræsentatione Divinam clementiam pro salute nostra exorando, vel etiam expressa ratione, & aperta significatione desiderii animæ suæ beatæ.

Christus est Propheta & Doctor: §. 333. Quidquid Christus homines docendi causa egit; spectat ad officium ejus Propheticum. Christus porro verus Propheta & Doctor fuit. Hanc veritatem testantur vaticinia veteris Testamenti, quæ Messiam magnum fore Prophetam & Doctorem prædicunt, *Deut.* 18. *v.* 18. *Is.* 50. *v.* 4. Deinde constat ex historia vitæ Christi ab Evangelistis descripta, & ex testimonio, quod de seipso Christus perhibebat, *Joan.* 18. *v.* 37. *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Tot vero muneris ejus Prophetici extabant monumenta, ut Judæi ipsi faterentur, eum esse Prophetam illum, qui venturus esset in mundum, *Matth.* 21. *v.* 11. *Luc.* 24. *v.* 19. *Joan.* 3. *v.* 2. *&* 4. *v.* 14. Deinde etiam multa futura Christus prædixit, uti passionem, mortem & resurrectionem suam, *Matth.* 20. *v.* 18. fugam discipulorum & abnegationem Petri, *Matth.* 26. *v.* 31. 34. &c. Ergo verus Doctor & Propheta fuit; & quidem maximus, quia Deus homo fuit.

Quando inceperit Christus officium Doctoris? *Schol.* Christus trigesimo ætatis suæ anno munere Prophetico fungi incepit, *Luc.* 3. *v.* 23. & ad hoc officium solemniter etiam, ut ita dicam, a Patre inauguratus fuit, quando a S. Joanne baptizatus est, ubi vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth.* 3. *v.* 17. Quod confirmatum fuit in monte Thabor corpore Christi clarificato, ubi præsentibus

Moyse & Elia coram Petro, Jacobo & Joanne, eadem vox e lucida nube audita fuit, cum addito, *ipsum audite*, *Matth.* 17. *v.* 5. Ex eo autem quod *Luc.* 7. *v.* 28. Christus testetur, quod nullus major Propheta sit Joanne Baptista, non sequitur, quod Christus suæ dignitati derogaverit: nam solum vult, inter natos mulierum per modum conceptionis naturalis majorem Prophetam non surrexisse, ubi Christus de Virgine miraculose natus comprehendi nequit. S. Joannes Baptista vero dicitur reliquis Prophetis major, quod Messiam prophetatum præsentem etiam viderit & demonstraverit.

Officii Prophetici munera. §. 554. Cum ad officium Christi Propheticum pertineat, quidquid causa docendi homines peragendum erat (§. 553.); ideo Christus ea tradidit, quæ ad salutem nobis erant scitu & creditu necessaria: sic Evangelium regni Dei prædicasse, *Matth.* 4. *v.* 23. & pacem cum Deo annuntiasse dicitur, *Act.* 10. *v.* 36. Doctrinam suam etiam solide demonstravit. Hinc ne illa dubia foret, id præcipue agebat, ut homines convinceret, se esse Messiam a Patribus promissum, & Prophetam a Deo ad homines missum. His Divinitatis ejus argumentis plena sunt omnia, quæ de rebus a Christo gestis Evangelistæ narrarunt. Hunc in finem non solum utebatur oraculis V. T. quæ veritatem doctrinæ, & Divinitatem Personæ suæ testabantur, sed etiam miraculis, quæ sicuti scripta sunt, ut credamus ipsum esse Christum, *Joan.* 20. *v.* 31. ita etiam hunc in finem edebantur. Hinc etiam Propheta verbis & operibus potens dicitur, *Luc.* 24. *v.* 19. Et multi miraculis ejus convincebantur, quod Divinus Propheta & Messias esset, *Luc.* 7. *v.* 16. *Joan.* 3. *v.* 2. Quin & ipse ad miracula sua populum remittebat, ut intelligeret, & crederet, se a Deo missum esse, *Joan.* 10. *v.* 37.

An Epistola Christi ad Abgarum sit genuina? *Schol.* Sancti Patres, præcipue S. Augustinus & S. Thomas diserte docent, Chistum nihil omnino scripsisse. Refert quidem Eusebius *l.* 1. *Hist. c.* 13. Epistolam Jesu Christi ad Abgarum regem Edessenorum missam. Verum illam spuriam & supposititiam esse probat tum silentium Evangelistarum & reliquorum Patrum Veterum: tum quia in ea citantur verba illa saltem quoad sensum: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, ex Evangelio S. Joannis longe post scripto: tum quia Christus in illa Epistola modo post suum in cœlum ascensum Abgaro sanitatem per S. Thaddæum reddendam scribit, quod erat contra morem Christi: tum quia in tota historia, S. Thaddæi profectio, adventus Edessam &c. multis fabulis constant, uti notat Nat. Alexander. *tom.* 1. *hist. Eccles.* tum quia alias hæc Epistola inter Canonicas relata fuisset.

§. 335. Christus officio Doctoris non tantum immediate, sed etiam mediate fungebatur. Nam colligebat sibi selectum discipulorum numerum, qui perpetui vitæ comites, & sermonum auditores ita instituebantur, ut alios etiam docere possent. Hos Christus in terris adhuc degens ad prædicandum Evangelium emittebat, *Matth.* 10. *v.* 5. *Luc.* 10. *v.* 1. Mandavit etiam illis, ut post ascensionem suam ad omnes gentes pergerent, illas Evangelium docerent, & baptizarent, *Matth.* 28. *v.* 19. Quod munus, ut implerent, Spiritum S. cum donis suis illis dedit, *Act.* 2. *v.* 1. Horum opera alii rursus instituti sunt, ita ut Evangelii præcones mundo numquam desint. *Christus officio Doctoris etiam per Apostolos &c. fungitur.*

§. 336. Christus non solum Sacerdos & Propheta, sed etiam summus Rex est, non solum ut Deus, sed etiam ut homo vi unionis hypostaticæ. Sic *Ps.* 2. *v.* 6. dicitur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Sed non est constitutus Rex ut Deus, quem titulum ex natura Divina habet: ergo ut homo. Hinc *Luc.* 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Et sicut Magi, *Matth.* 2. *v.* 2. & *Joan.* 1. *v.* 45. & populus regiam ejus potestatem agnoscebant, *Joan.* 6. *v.* 15. ita nec Christus improbabat sententiam, *Joan.* 1. *v.* 50. licet regis terreni gloriam refugeret, *Joan.* 6. *v.* 15. Summum autem regem Christum esse confirmat S. Scriptura, *Apoc.* 1. *v.* 5. ubi dicitur *Princeps regum terræ;* & *c.* 19. *v.* 16. *Rex regum & Dominus dominantium.* Ratio est: Rex est, qui supremo entium intelligentium dominio gaudet: sed Christus illo gaudet; nam Angeli boni ministrabant illi, *Matth.* 2. *v.* 11. mali ad ejus imperium corpora obsessa relinquere debuerunt, *Marc.* 9. *v.* 25. & si Angeli hominibus præstantiores (§. 182.) Christi imperium in se agnoverunt, quanto magis ei subfuerunt homines? Ergo est verus Rex. *Christus est Rex.*

Schol. Christus quatenus Rex summus est, rationales tantum creaturas regit; quatenus vero supremus est omnium Dominus, non tantum rationales, sed omnes creaturæ liberrimo ejus arbitrio & illimitatæ potestati subsunt, sub quo respectu omnia etiam bruta pedibus ejus subjecta sunt, *Ps.* 8. *v.* 6. & sicuti vento & mari, *Matth.* 8. *v.* 26. sic omnibus etiam reliquis irrationalibus & inanimatis rebus, uti aquæ, *Joan.* 2. *v.* 9. morbis, & ipsi morti, *Luc.* 7. *v.* 11. potentissime dominatur. Triplex autem regnum Christi distingui potest, scilicet regnum potentiæ, in quo creaturæ rationales, ut tales: regnum gratiæ, in quo credentes, ut tales: & regnum gloriæ, in quo creaturæ rationales, ut operum suorum mercedem consecutæ, illi subsunt. *Quotuplex ejus regnum?*

Christus est caput Ecclesiæ. §. 337. Cum Christus sit summus Rex, & habeat regnum gratiæ, potentiæ & gloriæ (§. 336. cum Schol.), est caput Ecclesiæ, hominum, & Angelorum. Et 1. quidem Ecclesiæ, *ad Eph.* 1. *v.* 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. Ratio est, quia Christus habet dotes ad caput morale necessarias; nam donis gratiæ aliis supereminet *plenus gratiæ & veritatis, Joan.* 1. Cum membris suis fidelibus conjungitur, & est exemplar omnium prædestinatorum, *ad Rom.* 8. *v.* 29. Et denique in membra sua interiorem gratiæ subministrationem influit, *ad Eph.* 4. *v.* 15.

Hominum. 2. Est caput hominum tum ratione corporum, quatenus aliquem influxum ex corpore Christi percipiunt, ut sint arma justitiæ Deo, *ad Rom.* 6. *v.* 13. & ut aliquando post mortem reviviscant, *ad Rom.* 7. *v.* 11. tum ratione finis & beatitudinis supernaturalis, ad quam ordinati sumus, & ratione mediorum, quæ nobis Sanguine suo acquisivit.

Angelorum. 3. Est caput Angelorum, non solum ut Deus, sed etiam ut homo, tum præeminentia: *Caput omnis principatus & potestatis, ad Col.* 2. *v.* 10. tum auctoritate & potestate: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; ad Philipp.* 2. *v.* 9. Et: *Subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus*, 1. *Petr.* 3. *v.* 22. tum multiplicis gratiæ largitione; nam *ad Eph.* 3. cum S. Paulus dixisset, datam sibi gratiam in gentibus evangelizare divitias Christi, subdit: *Ut innotescat Principatibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Ergo Principatibus gratia hæc a Christo concessa fuit, ut plura gratiæ mysteria cognoscerent, quæ antea valde obscure cognoscebant. Ratio est: Angeli & homines unum corpus Ecclesiæ constituunt, quatenus omnes ordinantur ad unum finem seu visionem beatificam: sed Christus est corporis hujus caput (n. 1.): ergo etiam Angelorum.

An Christus sit caput hæreticorum? *Schol.* Christus est actu caput fidelium in mortali existentium saltem secundum quid, quia actu influxum Christi capitis participant; habent enim fidem ex meritis Christi, & actu pertinent ad Ecclesiam (§. 24.): quia tamen in mortali existentes Christo non perfecte uniuntur, nec perfecte ab illo vitam spiritualem participant, sunt membra Christi tantum secundum quid, & imperfecte. Hæreticorum vero etiam occultorum Christus non est actu caput, quia nil ad vitam spiritualem pertinens in eos influit, cum initium vitæ spiritualis fides sit.

Et Angelis meruerit gloriam? Deinde Christus ut homo ita est caput Angelorum, ut ipsis tamen gratiam & gloriam essentialem non meruerit, sed tantum accidentalem. Nam *Luc.* 2. Angelus ad

pastores ait: *Natus est vobis hodie Salvator.* Ubi S. Bernardus *hom.* 3. *super Missus* ait: *Nobis, inquam, non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant.* Certe Christus pro Angelis non fuit mortuus, & Angeli ante merita Christi per Passionem consummata glorificati sunt: ergo non per merita Christi.

§. 338. Officium regium Christi exigebat, ut salutaribus legibus suos gubernaret; imo ad hoc officium omnes actiones pertinent, quibus opus est ad Ecclesiam plantandam, conservandam, amplificandam, defendendam. Hinc Christus est Legislator noster. Nam *Joan.* 14. ait Christus: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Multa autem præter fidem Christus de moribus sanxit: sic Legem naturalem in Decalogo contentam ad Christianos quam maxime pertinere declaravit, *Matth.* 5. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Deinde eamdem legem in cordibus hominum obliteratam explanavit, & perfecit. Denique leges tulit de Baptismo, SS. Eucharistia, Matrimonio & aliis Sacramentis. Unde Tridentinum *sess.* 6. *can.* 21. definit: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.* *Christus est Legislator.*

§. 339. Regum etiam est, judicium agere: quia ergo Christus est verus Rex (§. 336.), est Judex vivorum & mortuorum. Sic *Joan.* 5. *v.* 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et *v.* 27. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Id est, quia homo factus est, & eatenus est hominum Salvator, Pastor, Rex & Legislator. Salvatoris enim est, obtemperantes sibi in gloriam adducere, inobedientes excludere: Pastoris est, oves ab hædis segregare: Regis, rationem a subditis exigere: Legislatoris, transgressores pœna, obedientes præmio afficere. *Christus est Judex vivorum & mortuorum.*

Schol. Regnum Christi spirituale esse, cujus finis est futura vita, ex dictis constat. An vero Christus etiam jus regium temporale habuerit, disputant Theologi. Multi negant, quia S. Scriptura Christo solum regnum spirituale tribuit, maxime cum Christus ipse Pilato confessus sit, regnum suum non esse de hoc mundo, *Joan.* 18. *v.* 36. Item S. Ambrosius *l.* 3. *in Lucam* ait: *Regnum suum non erat de hoc sæculo.* S. Hieronymus *in c.* 22. *Jerem.* *Non erat terrenum.* Et quia nec erat Rex Judæorum, nec aliarum gentium, nec hæreditaria successione, nec electione populi, nec jure belli, nec jure Patris, a quo tantum regnum spirituale accepit. Alii e contra vo- *An Christus regnum temporale habuerit?*

lunt, Christum habuisse jus regium temporale & potestatem in totum universum excellenti quodam modo, tum quia se tamquam regem a solvendo censu immunem declaravit, *Matth.* 17. *v.* 24. & *Apoc.* 1. *v.* 5. dicitur *Princeps regum terræ*; tum quia si non fuisset Rex temporalis ut homo, in iis, quæ non spectant ad regnum spirituale, homines illi obedientiam denegare potuissent, quod absonum est. Notant tamen hi Theologi, quod Christus ab exercitio hujus juris abstinuerit, & nullum temporale regnum administraverit, tum quia hoc decuit Christum, qui propter altiores fines ut Sanctificator & Redemptor &c. venerat: tum quia hoc exercitium non bene convenisset cum exemplis patientiæ, paupertatis, humilitatis, obedientiæ. Unde habuit solum potestatem generalem non præjudicantem particulari potestati regum temporalium, nec usui eorum circa eorum regnum, cum Christi potestas altioris & universalioris ordinis jurisdictionem regum temporalium non destruat, sed magis firmet & stabiliat.

Status exinanitionis Christi. §. 340. Ut vero hæc officia Christus impleret, *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ad Philipp.* 2. *v.* 8. Actus primus hujus exinanitionis fuit Conceptio ejus in Beatissima Virgine Maria (§. 290. & seqq.). Alter actus fuit Nativitas ejus in stabulo (§. 295.). Tertius actus fuit ejus Circumcisio, *Luc.* 2. ubi illi nomen Jesu suavissimum impositum fuit. Quartus Præsentatio ejus in Templo, *Luc.* 2. *v.* 22. Quintus Fuga in Ægyptum, *Matth.* 2. *v.* 13. Sextus Subjectio erga parentes, *Luc.* 2. *v.* 51. Septimus Conversatio ejus privata usque ad annum trigesimum. Octavus varia incommoda tempore prædicationis. Nonus acerbissima ejus Passio & humiliatio usque ad ignominiosam mortem crucis. In his tamen omnibus radii Divinitatis ejus semper emicabant, uti patet ex tota narratione Evangelica.

Tempus Crucifixionis Christi. *Schol.* Christus crucifixus est 8vo Kal. Aprilis: ita tradunt Tertullianus *contr. Judæ. c.* 8. *Canon Paschalis* S. Hippolyti M. S. Augustinus *l.* 18. *de Civ. c.* 54. Ven. Beda *de Rat. temp. c.* 28. Vetustissima Martyrologia. Vid. *Acta* Bollandi *t.* 3. *Mart.* Hora Crucifixionis Christi a S. Marco assignatur *c.* 15. *v.* 25. hora tertia: a S. Joanne vero *c.* 19. *v.* 14. hora quasi sexta. Pro conciliandis autem his Evangelistis Petavius vult, apud S. Joannem in autographo legi: *hora quasi tertia*. S. Augustinus censet, Christum crucifixum esse hora tertia lingua Judæorum, quando clamabant: *Crucifige, crucifige:* hora vero sexta manibus eorum. Baronius putat, hora tertia Christum condemnatum, sexta crucifixum, nona mor-

tuum esse. Tenebræ vero in morte Christi non tantum super solam Judæam, sed super universum orbem expansæ fuerunt; de quibus vide dissertationem D. Calmet.

§. 341. Christo in cruce mortuo, Anima ejus vere ad inferos descendit, id est ad inferiores ac profundiores terræ partes, ut Sanctos V. T. ibi detentos liberaret. Nam 1. *Petri* 3. *v.* 9. dicitur: *His, qui in carcere erant, Spiritibus veniens, prædicavit.* Et S. Paulus *ad Eph.* 4. *v.* 9. *Quod autem ascendit, quid est? nisi quia & descendit primum ad inferiores partes terræ.* Et *Ps.* 15. *Non derelinques animam meam in inferno* שאול, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* שחת. Quod S. Petrus, *Act.* 2. *v.* 27. Christo adaptat, ubi cum S. Petrus *v.* 24. *Quem Deus suscitavit*, resurrectionem: & per illud: *Non dabis* &c. incorruptionem: & per: *Non derelinques* &c. descensum ad inferos, *solutis inferni doloribus*, aperte distinguat, de sola resurrectione & incorruptione intelligi nequit, sed de descensu ad inferos, quo nomine non venit sepulchrum, quia non anima, sed corpus jacet in sepulchro. 2*do.* Patet ex Symbolo Apostolorum, ubi est hic articulus: *Descendit ad inferos*, qui licet in Symbolo Nicæno & Constantinopolitano non exprimatur, ab iis tamen non excluditur. 3*tio.* Ita docent Patres. S. Ignatius *Ep. ad Trall. Descendit ad infernum solus, egressus autem cum multitudine.* S. Irenæus *l.* 4. *cont. hær. c.* 27. Tertullianus *l. de anima.* Origenes *tom.* 32. *in Joan.* S. Cyrillus Jeros. *catech.* 4. *Descendit ad inferos, ut & illinc justos liberaret.* S. Hier. *in c.* 4. *ad Eph. Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvator descendit.* Porro nomine inferni non intelligitur sepulchrum Christi; nam in Symbolo descensus ad inferos a sepultura distinguitur. Nec Incarnatio vel exinanitio ejus, quia pro hac specialis est articulus: *Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.* Nec intelliguntur dolores damnatorum a Christo perpessi, quos Christus solvit, & quibus illum teneri, impossibile fuit, *Act.* 2. *v.* 24. nec ad satisfaciendum pro nobis requirebatur, utpote pro quo una Sanguinis gutta suffecerat. Nec intelligitur infernus damnatorum, sed Limbus, qui *Luc.* 16. sinus Abrahæ vocatur, quo animam Christi localiter descendisse, dogma est fidei, ait Nat. Alex. *Theol. Dogm. & Mor. l.* 1. Scripturæ sacræ testimoniis jam citatis, & unanimi Patrum consensu firmatum: uti præter allegatos docent S. Hilarius *in Ps.* 138. S. Augustinus *Ep.* 164. *c.* 5. S. Leo *Ep. ad Turib.* S. Gregorius *l.* 12. *Moral. c.* 7.

Anima Christi vere ad inferos descendit.

Schol. Calvinistæ descensum animæ Christi ad inferos *Calvini-*

natorum, & Lutheranorum opinio.

varie interpretantur. Nonnulli eum a sepultura non distinguunt. Alii volunt, esse cruciatus inferni & damnatorum a Christo pro nobis in cruce passos. Lutherani aliqui volunt, esse summam Christi exinanitionem & humiliationem tum corporis in sepulchro detenti, tum animæ tam acerba patientis. Alii vero asserunt, Christi animam in locum damnatorum descendisse, ut ibi triumphum suum ostenderet. Sed hi ex dictis refutantur: sicut & Grunerus & Seilerus, qui hunc articulum fidei in suo Catechismo omisit.

Exaltatio Christi.

§. 342. Opere redemptionis per mortem Christi absoluto, nulla amplius aderat exinanitionis causa: unde mox sequebatur Exaltatio Christi. Hujus 1mus actus fuit Resurrectio a mortuis, cujus historiam & testimonia legimus, *Matth.* 28. *Marci* 16. *Luc.* 24. *Joan.* 20. *Act.* 2. *v.* 32. 2dus Ascensio in cœlum, *Marci* 16. *v.* 19. *Act.* 1. *v.* 9. 3tius Sessio Christi ad dexteram Patris, *ad Eph.* 1. *v.* 20. *ad Rom.* 8. *v.* 34.

Solvuntur objectiones contra Resurrectionem Christi.

Schol. Deistæ in Resurrectionem Christi arma convertunt, ut ipsius historiæ factum suspectum & dubium reddant. Woolston *de mirac. Christi* opponit I. Si Christus post Resurrectionem non visus est Sacerdotibus & Pharisæis, neque in locis publicis apparuit, nec in conspectu plurium hominum, amicorum & inimicorum e sepulchro egressus est, sequitur eum plane non resurrexisse. Verum Christus a mortuis resurgens non hostibus suis necessario & congruenter apparuit, sed iis solum, qui hanc Resurrectionem suam certissime probare poterant, scilicet discipulis suis. Nam hi destinati erant ad eam prædicandam, cujus proinde omnimodam certitudinem habere debebant. Huic procurandæ sufficiebat apparitio Christi vivi; norant enim, quod Jesus fuerit vir sanctissimus a præstigiis ad fallendum alienus. E contra Judæi evidentissima Christi miracula spernebant, quæ diabolicis artibus adscribebant, quibus proinde etiam Resurrectionem Christi tribuissent. Deinde Judæi veritatem Resurrectionis Christi aperte cognoscere poterant; custodiebant enim sepulchrum per milites Romanos, signabant lapidem, adeo ut nec vi nec fraude quidquam tentari posset: verum his omnibus non obstantibus Christus resurrexit, corpus ejus in sepulchro non apparuit; ex ipsis igitur factis suis eum vere resurrexisse concludere debebant. Proinde ipsæ circumstantiæ Resurrectionis Christi tales erant, ut non solum ex testimonio Apostolorum, sed etiam ex ratiocinatione ex illis circumstantiis ducta, posteri de Resurrectione ejus convincerentur. II. Objicit Edelmannus *in confess. fid.* Corpus Christi in sepulchro reconditum terræmotu illo tempore orto in visceribus

terræ absorptum esse. Verum si ullum adfuisset hujus scissuræ vestigium, Judæi sepulchrum apertum & vacuum coram intuentes, id sine dubio discipulis Christi objecissent: qua exceptione utique, si possibilis fuisset, Apostolorum prædicationem magis suspectam reddidissent. Deinde adversarii fatentur, hunc terræmotum Christi corpus absorbentem eo ipso tempore factum esse, quo Christus se resurrecturum prædixerat. Itaque & hanc telluris concussionem Christum prævidisse, & Deum permisisse, aut omnia ita disposuisse oportet, ut præfinito tempore evenirent. Si autem Christus prævidit, certe non fuit impostor, nec falsa esse potuit ejus Resurrectionis prædictio. Si secus, & tamen Deus permisisset, aut effecisset, ut terra hoc tempore mota corpus Christi absconderet, Deus ipse hunc errorem, scilicet Christum resurrexisse, sua mirabili providentia promovisset. Apparitiones Christi post suam Resurrectionem in Evangelio relatæ, quibus fidem prudens negare non potest, corpus ejus a terra absorptum non esse aperte probant; cum e contra sine omni ratione temere dicatur ab adversario, terræmotu intimis ejus visceribus illud immersum fuisse, utpote cujus asserti nulla firma argumenta ab illo afferuntur.

CAPUT VI.

De Gratia Christi.

§. 343. Fructus Incarnationis sunt dona Gratiarum ex illo Mysterio emanantium. Est autem Gratia Christi donum Dei gratuitum supernaturale homini lapso concessum per merita Christi Domini, in ordine ad salutem æternam. *Gratia definitio.*

Schol. 1. Gratia dicitur ex eo, quod gratis detur. Triplici vero modo sumi potest. 1. Late pro dono naturali gratis concesso, qualis est creatio vel conservatio, quam non meruimus. 2. Strictius pro dono supernaturali ad salutem æternam ordinato, independenter a meritis Christi concesso, qualis fuit gratia Angelorum & primi parentis in statu innocentiæ (§. 329. Schol.). 3. Strictissime, quam modo definimus. Et hæc dicitur 1. donum gratuitum, ut ostendatur gratis dari. Dicitur 2. supernaturale, ut distinguatur a donis naturalibus, creatione, conservatione, sanitate &c. Gratia vero est donum supernaturale non solum improprie, quasi aliquam tantum, non vero omnem creatam naturam superet, uti videre intuitive substantiam spiritualem est supra conditionem hominis mortalis, non tamen Angeli; sed proprie, *Explicatio.*

ita ut excedat omnem naturam creatam & creabilem. Et quidem gratia non est tantum donum supernaturale quoad modum, quasi esset donum naturale collatum modo supernaturali, uti suscitatio Lazari, quæ secundum entitatem, scilicet vitam redditam, est quid naturale, licet modus eam reddendi fuerit omnino supernaturalis: sed supernaturale quoad modum simul & entitatem, ita ut non solum conferatur modo supernaturali vires naturæ excedente, sed etiam sit donum elevans & ordinans creaturam ad Deum, non prout est Auctor naturæ, hoc est, quatenus relucet in operibus suis seu creaturis, & per eas tantum abstractive est cognoscendus: sed prout est Auctor gloriæ in se spectatus, & per visionem intuitivam possidendus. Dicitur 3. homini lapso concessum, ut ostendatur, gratiam esse maxime gratuitam; siquidem donum inimico datum magis est gratuitum, quam si non inimico detur. Dicitur 4. meritis Christi, ut distinguatur gratia hujus status a gratia Angelorum & status innocentiæ. Dicitur 5. in ordine ad salutem seu vitam æternam, quia gratia est semen gloriæ, quatenus hominem ad illam elevat, movet ac disponit.

Divisio gratiæ. *Schol.* 2. Gratia Christi generatim dividitur in *exteriorem*, qualis est Incarnatio & Evangelii prædicatio: & *interiorem*, v. g. fidem, gratiam sanctificantem. De interiori hic agimus, quæ rursus dividitur in gratiam *gratis datam*, & gratiam *gratum facientem*. Gratia gratum faciens est duplex, *habitualis* & *actualis*. Habitualis duplex est, una formaliter sanctificans, seu justificans, qua homo fit justus formaliter; altera complete sanctificans, uti virtutes infusæ. Gratia *actualis* est, quæ concurrit efficienter ad justificationem, quatenus per eam Deus movet ad vitam pie instituendam & opera bona, quibus vel disponimur ad gratiam habitualem, vel eam conservamus, vel ejus augmentum meremur. Sive juxta S. Augustinum *l. 4. contra duas ep. Pel.* est *inspiratio sanctæ dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Ubi nomine dilectionis bonam voluntatem, pium animi affectum & boni amorem accipit. Gratia actualis alia est *operans, præveniens, seu excitans*, quæ facit, ut homo bene velit, & applicat intellectum & voluntatem ad agendum, ut homo in bono torpens excitetur: alia est *adjuvans, cooperans seu concomitans*, quæ est auxilium supernaturale seu actualis Dei influxus, quo cum intellectu & voluntate ad agendum applicatis producit actionem, & quo voluntas libere consentit gratiæ excitanti. Unde gratia adjuvans realiter distinguitur a gratia excitante; nam excitans subinde prævenit omnem nostram deliberationem & consensum prioritate temporis aut naturæ; adjuvans

vero liberum voluntatis consensum secum habet, prout est a Deo influente & efficiente illum consensum: hanc gratiam nonnulli etiam vocant *subsequentem*. D. Habert vero *de grat. Christ.* subsequentem vocat auxilium Dei supernaturale, quo firmatur voluntas in bono proposito, & adjuvatur, ut illud ad executionem perducat. Sic Deus illuminando intellectum & movendo voluntatem inspirat affectum jejunandi: en gratia præveniens, excitans & operans: voluntas libere consentit inspirationi Divinæ, & cum actuali Dei influxu proponit jejunare: en gratia adjuvans, cooperans & concomitans: sed uberiori indiget auxilio, ut actu jejunet, quia in executione major est difficultas; quam si homo superaverit, erit gratia subsequens. Hæc divisio gratiæ in operantem & cooperantem proprie quidem tribuitur gratiæ actuali: adaptatur tamen etiam a S. Thoma gratiæ habituali, quæ quatenus hominem justificat, & animam Deo gratam reddit, dicitur operans, quia hunc effectum formaliter præstat: quatenus vero in genere causæ efficientis est principium operandi & dignificandi opera meritoria, potest dici gratia cooperans, quia hunc effectum non sola, sed cum libero arbitrio efficit. Denique gratia actualis sive excitans sive adjuvans sive subsequens subdividitur in *sufficientem* & *efficacem:* de his omnibus modo pluribus agendum est.

§. 344. Dantur *gratiæ gratis datæ*, quæ per se & primo ordinantur ad salutem aliorum, & sunt dona supernaturalia indebita, ad salutem aliorum primo destinata. Dicuntur autem gratis datæ, quia alio nomine proprio carent: dicuntur datæ ad salutem aliorum, ratione finis immediati, licet ille, qui eas habet, iis ad propriam salutem uti possit & debeat. Novem Gratias gratis datas enumerat S. Apostolus 1. *ad Cor.* 12. *Divisiones gratiarum sunt: Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Ratio est: quia gratiæ gratis datæ dantur homini, ut aliorum saluti consulat; hoc autem fieri nequit, nisi res Divinas perfecte cognoscat, ut alios instruere possit, ad quod requiritur, ut bene teneat principia rerum Divinarum, quod fit per *Fidem:* ut eliciat conclusiones ex his altissimis principiis, & media congruenter ordinet ad finem, quod fit per *Sapientiam:* ut ope rerum humanarum explicet Divinas, quod fit per *Scientiam.* 2. Requiritur, ut ea, quæ novit, convenienter auditoribus proponat, ad quod necesse est, ut illo idiomate loquatur, quod ab audientibus intelligatur, quod præstat *Interpretatio*

Dantur novem gratiæ gratis datæ.

sermonum, & *donum linguarum*. 3. Requiritur, ut ea, quæ profert, confirmare possit; quod fit, si morbos miraculose curet, unde *gratia sanitatum:* vel prodigia patret, unde *operatio virtutum:* vel si futura prædicat, unde *Prophetia:* vel corda scrutetur, unde *discretio spirituum*.

An plures gratiæ gratis datæ? *Schol.* 1. Bellarminus & Suarez putant, S. Apostolum famosiores tantum gratias gratis datas recensuisse, unde Suarez illis adjungit Characterem Sacerdotalem: Jurisdictionem in foro interno: & assistentiam Spiritus S. datam Ecclesiæ ac summo Pontifici. Sed hæc non spectant ad gratias gratis datas, sed ad ministrationem & operationem, quæ in eo a gratiis gratis datis distinguuntur, quod hæ tantum importent actum manifestativum fidei, ministratio auctoritatem exercendi actum in ordine ad alios involvat, operatio autem sit ministerii executio. Aliquæ ex his gratiis gratis datis sunt in homine per modum habitus, uti Fides, Sapientia & Scientia, interpretatio sermonum, & donum linguarum, quibus homo ad arbitrium suum uti potest: aliæ sunt per modum motionis actualis, quæ producto effectu statim desinunt, uti gratia sanitatum, operatio virtutum, donum Prophetiæ & discretio spirituum. In Christo vero propter unionem hypostaticam omnes fuerunt per modum habitus. Fides vero sumpta pro gratia gratis data denotat specialem illustrationem, per quam quis redditur idoneus ad proponenda mysteria fidei. Eodem modo Sapientia & Scientia, quatenus reddunt hominem facile mobilem a Spiritu S. sunt dona S. Spiritus: quatenus vero reddunt idoneum ad alios instruendos, sunt gratiæ gratis datæ. Gratia sanitatum & operatio virtutum differunt in eo, quod in gratia sanitatum reluceat præcipue Dei benignitas erga miseriam hominis, quæ per modum beneficii allicit ad fidem: in operatione virtutum relucet Omnipotentia, quæ per modum prodigii ad fidem provocat.

Differentia inter gratias gratis datas & gratum facientes. *Schol.* 2. Gratia gratum faciens & gratis data inter se differunt 1. ex fine, quia gratia gratum faciens per se primo refertur ad propriam sanctificationem; gratis data ad alienam. 2. Gratia gratum faciens, prout est formaliter gratia sanctificans, est propria tantum justorum: gratis data in injusto & peccatore reperiri potest. 3. Gratum faciens est altioris ordinis & perfectionis, quam gratis data; quia illa per se nos Deo conjungit; hæc solum interventu gratiæ gratum facientis.

Gratia actualis ad fidem & eius initium §. 545. Sine speciali gratiæ actualis interioris auxilio nec fides supernaturalis, nec ejus initium haberi potest. Nam 1mo. *Joan.* 6. v. 29. dicitur: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* 1. *Ad Cor.* 7. v. 25.

Misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis; ubi observat S. Augustinus *l. de præd. SS. c.* 3. *Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, ut esset fidelis. Ad Eph.* 2. *v.* 8. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Nec dicas, hæc intelligi de gratia externa revelationis, & prædicationis Evangelii. Nam *ad Eph.* 1. Apostolus orat, ut *Deus det illis Spiritum Sapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis eorum, ut sciant, quæ sit spes vocationis ejus.* Et *Act.* 16. *Deus aperuit cor Lydiæ, intendere his, quæ a Paulo dicebantur.* Item gratia interior fidei ad credendum necessaria distinguitur expresse a gratia externa prædicationis, 1. *ad Thess.* 1. *Evangelium nostrum non fuit in sermone tantum, sed in virtute & Spiritu S.* quo movente Thessalonicenses fidem susceperant: Nam 1. *ad Cor.* 4. *v.* 7. *Quid habes, quod non accepisti? Quo testimonio*, ait S. Augustinus *de præd. SS. c.* 3. *ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.* Hinc 1. *ad Cor.* 3. *Non sumus sufficientes, aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quo ita arguit S. Augustinus *de præd. c.* 2. *Credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Ergo si non sumus idonei aliquid cogitare ex nobis &c. profecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est.* 2do. Patet ex Patribus, quos citat S. Augustinus *l. de don. persev. c.* 19. S. Cypriano *l.* 3. *ad Quirin.* S. Ambrosio *de fug. sæc.* S. Gregorio Naz. *Serm.* 44. & subdit: *Isti tales, tantique Doctores dicentes ... nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse, & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes ... ut id, quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud.* Patres Græcos citat Hallerius in *Theol. Græc. vindic. circa univers. mat. grat.* unde immerito Græcorum fidem suspectam reddit Jansenius, & S. Augustinum aliqua innovasse calumniatur Launojus. 3tio. Ita definiunt Concilia: Arausicanum II. *can.* 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum .... non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Similia habent *can.* 7. Et Tridentinum *sess.* 6. *can.* 3. *Si quis dixerit, hominem sine inspiratione S. Spiritus, atque ejus auxi-*

lio credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. *4to.* Ratio est: Intellectus & voluntas nequit ferri in objectum supernaturale, nisi adjuvetur gratiæ supernaturalis auxilio, quia hoc illi non est proportionatum (§. 343. Schol. 1.): sed objectum fidei est supernaturale: ergo in illud sine gratia interiori ferri non potest.

Pelagii hæresis & systema. *Schol.* 1. Pelagius natione Scotus, professione monachus a. 403. novam de gratia hæresim invexit, cujus systema hoc fuit. 1. Dicebat, homini naturaliter insitam esse potentiam appetendi, quod bonum, & aversandi, quod malum esse judicatur; quæ potentia est liberum arbitrium, quod ad declinandam invidiam nomine gratiæ compellavit, quia a Deo homini donatum est: 2. voluit, hominem solius arbitrii viribus bonum facere, & malum fugere posse, si modo rectam habeat Legis Divinæ cognitionem, quam licet ex lumine naturæ acquirere possit, perfectius tamen haurit ex Divinis litteris. Cum vero hæc externa Legis Divinæ manifestatio sit plane immeritum Dei beneficium, & S. Scriptura doceat, bona opera ex adjutorio gratiæ fieri; dicebat 3. hanc gratiam ad bene operandum esse tantum externam Legis scriptæ informationem: 4. gratiam autem voluit dari etiam internam secundum merita, scilicet boni cupiditatem, fidem & orationem, quæ tamen gratia illuminationis interna se tantum tenet ex parte objecti melius & clarius propositi, non vero ex parte causæ seu intellectus ad credendum Divinitus excitati. Quare 5. homo eum perfectionis gradum attingere potest, ut omnino peccare desinat: quod cum stare non possit cum mala hominis inclinatione; 6. negavit peccatum originale, ex quo prava illa inclinatio sequitur: 7. negato vero originali docuit, parvulos non nasci filios iræ & mortis, adeoque non egere Baptismo ad regenerationem & vitam æternam; sed tantum ad regnum cœlorum, ut ex statu bono in meliorem transferantur: & ideo 8. parvuli etiam non baptizati salvari possunt; & 9. peccatum Adami super nos solum venit sola facti ejus imitatione; & 10. mors non est pœna peccati. Errores Pelagii proscripti sunt in Concilio Carthaginensi a. 412. in ejus discipulo Cœlestio: deinde ab ipso Pelagio damnati sunt in Synodo Diospolitana, quam S. Hieronymus miserrimam appellat, quia delusa est subdola Pelagii professione, qua confessus est absolutam gratiæ necessitatem, sed per eam intellexit creationem, conservationem, Evangelii prædicationem, & juxta S. Augustinum interiores mentis illustrationes. Cum vero rursus hæresim suam disseminaret, iterum damnata est in Concilio Carthaginensi

a. 416. & eodem anno in Concilio Milevitano, & a. 418. in alio Concilio Carthaginensi, cui 214. Episcopi interfuerunt; & demum a summis Pontificibus S. Innocentio I. & Zosimo. Discipuli ejus famosiores fuerunt Cœlestius ejusdem professionis, & Julianus Episcopus Capuanus, vel ut alii volunt Ecclanensis. Confer Norisium *in hist. Pelag.*

Semipelagianorum hæresis & systema.

Schol. 2. Cum S. Augustinus Pelagianos acerrime insectaretur, nonnulli ejus scriptis commoti sunt, maxime Monachi Adrumentini in Africa, quasi liberum arbitrium per gratiam destrui doceret: sed S. Augustinus editis libris *de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia*, quos misit ad Valentinum Adrumentini Monasterii Præfectum, eos facile placavit. Longe difficilius fuit compescere Monachos Massilienses in Gallia, qui a posteriori libro S. Augustini *de corrept. & grat.* scandalum passi novum bellum instaurarunt, eo periculosius, quod essent viri pietate & doctrina insignes. Hi cum Catholicis confitebantur peccatum originale, & necessitatem gratiæ non solum ad pie operandum, sed etiam ad credendum: verum interioris gratiæ præventionem & necessitatem ad initium fidei negarunt, unde dicti sunt Semipelagiani. Eorum systema hoc est. 1. Deus omnium hominum serio vult salutem, & Christus omnes redemit, fidemque & gratiam ad salutem necessariam omnibus præparavit. 2. Nihilominus tamen aliquos tantum prædestinavit ad fidem, perseverantiam & salutem. 3. Prædestinationis hujus causa est prævisio, quod quidam lumine naturæ, & libero arbitrio ac gratia bene usuri essent: & cum premerentur exemplo parvulorum, quorum aliqui sine proprio merito prædestinantur ad Baptismum & salutem; dicebant 4. Deum uti scientia futurorum conditionatorum, & illos prædestinare ad salutem, quos in annis adultioribus bonos futuros prænosset. Hinc 5. negabant necessitatem gratiæ ad initium salutis in eo situm, quod homo sine gratia pium affectum credulitatis haberet, & sine ea peteret, & desideraret salutem; nam juxta illos hæc non sunt opera salutis, sicuti petere medicum, & credere medico non sunt opera sanitatis. 6. Circa perseverantiam docebant, ad eam non requiri gratiam, quia perseverantia in eo consistit, quod quis cooperanti Deo suum consensum constanter præbeat. Semipelagiani damnati sunt in Concilio Arausicano II. a. 539. sub Felice IV. Vid. cit. Norisium.

Solvuntur objectiones.

Schol. 3. Pelagius igitur negat, gratiam interiorem esse necessariam ad credendum, & putat, sufficere gratiam externam, scilicet prædicationem Evangelii. Semipelagiani vero volunt, initium fidei, scilicet pium credu-

litatis affectum esse a nobis. Probant hoc I. quia solo lumine naturæ cognoscimus, mysteria fidei esse fide digna, ob evidentia motiva credibilitatis. Verum hæc est fides mere humana innixa soli evidentiæ signorum, non vero motivo supernaturali Divinæ revelationis. II. Dæmones, gentiles, hæretici credunt sine gratiæ interioris auxilio etiam mysteria supernaturalia. Sed dæmones non credunt ex motivo revelationis Divinæ, sed evidentia signorum convicti. Gentiles credunt ob demonstrationem; hæretici solum fide humana & naturali, non supernaturali credunt; non enim credunt firmiter, quia non habent veram Ecclesiam (§. 20. Schol. 1.), quæ illis articulos ut revelatos proponat. III. Juxta S. Augustinum *de don. pers. c.* 14. inest infidelibus quædam naturalis credendi facultas, si fides eis congrue proponatur. Ast S. D. solum vult, quod quædam signa magis congruant his, quam aliis; non autem dicit, hoc sufficere ad fidem amplectendam, sed ad hoc gratiam internam requirit, citans illud Prophetæ: *Dabo eis cor cognoscendi me*. Quæ vero loca ex libris S. Chrysostomi objiciuntur, auxilium prævenientis gratiæ non excludunt, quæ *in ep. ad Rom.* nos semper *egere* asserit. IV. Actus fidei potest fieri propter vanam gloriam, ad quem gratia non requiritur. Sed actus fidei ob vanam gloriam, quatenus est supernaturalis in esse physico, est a gratia, non quatenus est malus, & in esse morali. V. Tenemur ad actum fidei: ergo debet esse in nostra potestate. Ast solum cum Divino auxilio, quod nulli deest:

An homo lapsus veritates naturales sine gratia cognoscere possit?

Schol. 4. Quærunt hic Scholæ, an homo lapsus veritates naturales sine gratia actuali cognoscere possit. Respondemus primo, quod possit cognoscere aliquas veritates naturales speculativas sine gratia speciali naturæ superaddita. Nam S. Scriptura docet, existentiam Dei, quæ est veritas speculativa, ex creaturis cognosci posse, *Sap.* 13. *v.* 5. *ad Rom.* 1. *v.* 20. (§. 41. Schol. 5.). Deinde intellectus cum solo concursu Dei generali habet efficaciam naturalem respectu alicujus operationis sibi propriæ, alias foret potentia imperfecta: sed cognitio veritatis speculativæ est operatio intellectui propria: ergo sine speciali gratia eam cognoscere potest. Secundo: potest etiam sine graria superaddita cognoscere aliquas veritates naturales practicas, quia *ad Rom.* 1. *v.* 21. gentes dicuntur inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; & ratio est, quia verum etiam practicum est objectum connaturale humanæ cognitionis. Tertio: non potest tamen sine gratia speciali potentia morali cognoscere omnes veritates naturales collective vel distributive sumptas: quod patet tum ex

maxima veritatum moralium & naturalium multitudine: tum ex brevitate vitæ & angusta mentis humanæ capacitate: tum ex infirmitate corporis, & vitæ humanæ necessitatibus, cibo, somno, pravis cupiditatibus, quæ magnam vitæ partem secum abripiunt: tum ex ipsa rerum naturalium conditione, quarum natura in obscuro latet. Non obstat, quod Vasquez objicit I. nos juxta Apostolum non posse aliquid cogitare a nobis; quia ibi sermo est de eo, quod spectat ad vitam æternam & finem supernaturalem. Nec obstat II. quod intellectus noster per peccatum valde vulneratus fuerit: nam hoc vulnus solum est quoad amissionem cognitionis rerum supernaturalium, non vero naturalium & moralium; & intellectus quidem vulneratus est, ita ut non possit cognoscere omnia objecta naturalia & moralia sine gratia; bene tamen aliqua, licet non cum ea facilitate & sine erroris formidine, cum qua & sine qua ante peccatum cognovisset. Non obstat III. quod a Deo petamus cognitionem rerum naturalium maxime moralium. Petimus enim propter impedimenta removenda, & fructum ad salutem utilem consequendum, non propter improportionem veritatem illarum ad intellectum.

§. 346. Homo sine speciali gratiæ interioris auxilio non solum non credere (§. 345.), sed nullum bonum opus morale supernaturale pertinens ad salutem velle aut perficere potest. Ita docet 1mo. S. Scriptura, quæ summam hominis lapsi ad bonum supernaturale impotentiam ostendit, dum nos cæcos & *ipsas tenebras*, *ad Eph.* 5. *v.* 8. *Animales*, qui non percipiunt ea, quæ sunt spiritus, 1. *ad Cor.* 2. *v.* 14. appellat. Imo omnis bona voluntas nostra & actio Deo adscribitur, *Joan.* 6. *v.* 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et *c.* 15. *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis ... quia sine me nihil potestis facere.* Et *ad Philipp.* 2. *v.* 13. *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Unde S. Augustinus *l. de grat. & lib. arbitr. c.* 17. *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* 2do. Ita definit Concilium Diospolitanum, quod hunc Pelagii articulum damnavit: *Gratia Dei atque adjutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege atque doctrina.* Concilium Milevitanum *c.* 4. *Quisquis dixerit, gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum ... non autem per illam nobis præstari, ut, quod*

Homo sine gratia bonum morale supernaturale nec velle nec perficere potest.

faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus; anathema sit. Concilium Arausicanum II. idem definit, *can.* 3. 4. 5. 6. 7. & *can.* 9. ait: *Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* 3tio. Ratio est, quia ad bonum etiam cognitum agendum sine delectatione cœlesti non afficimur.

Solvuntur objectiones

Schol. 1. Objiciunt Pelagiani I. varia loca S. Scripturæ, ubi dicitur homo *Deum quærere, Ps.* 9. *v.* 11. *præparare cor, Prov.* 16. *v.* 1. *se convertere, Zach.* 1. *v.* 3. *petere, & pulsare, Luc.* 11. Quæ omnia sunt bona opera sine gratia facta. Verum in his omnibus tantum liberum nostrum arbitrium, & libera gratiæ cooperatio commendatur, non vero excluditur gratiæ prævenientis necessitas. II. Afferunt exempla Zachæi, Latronis in cruce, Cornelii Centurionis, qui propter præcedentia merita naturalia gratiam sunt consecuti: imo S. Paulus 1. *ad Tim.* 1. fatetur, se misericordiam consecutum esse, quia ignorans hæc omnia fecit. Sed Zachæi & boni Latronis animam gratia præparaverat: Cornelius antea habuit fidem implicitam, quæ ut fieret explicita, Petrus ad eum missus est. Sensus Apostoli est: ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat mea miseria, quod tanta mala facerem per ignorantiam & incredulitatem; unde illa fuit congruum Divinæ misericordiæ plane gratuitæ objectum. III. Objiciunt S. Justinum, qui *apol.* 2. docet, eos qui ante Christum ratione & verbo vixerunt, fuisse Christianos. Et S. Irenæus *l.* 4. *c.* 37. ait, bonum opus in nobis esse. Et Clemens Alex. *l.* 1. *strom.* Græcos per Philosophiam justificatos esse asserit. Verum S. Justinus tantum vult, esse quasi Christianos, unum Deum agnoscentes. S. Irenæus solum contra Marcionitas probat, dari in nobis liberum arbitrium, & gratiam non excludit; sicut nec excludit S. Clemens, qui *l.* 1. *strom.* illi omnia tribuit. IV. Dicunt, non stare cum necessitate gratiæ humani arbitrii libertatem; sed S. Augustinus *l. de lib. arbitr.* respondet, gratiam stabilire liberum arbitrium, quia sanat voluntatem, qua justitia libere diligitur, & cum potestas datur, necessitas non imponitur.

Qualis gratia requiratur, & quid illi & libero arbitrio tribuendum?

Schol. 2. Dictum Ecclesiæ dogma: gratia datur ad singulos actus pios & salutares, intelligendum est de gratia actuali non de habituali, uti perperam putat Molina, docens, hominem gratia sanctificante instructum cum solo naturali & ordinario concursu, seu sine gratia actuali, posse bonum opus salutare exercere. Verum definitiones Conciliorum & sententiæ Patrum clare lo-

quuntur de gratia actuali, quam solam Pelagius negavit. Sane ex orationibus Ecclesiæ apparet, quod etiam justi hoc perenne Dei auxilium implorent. Sic David justus orat: *Adjutor meus esto*. Porro gratia actualis ad singulos actus requisita non solummodo est adjuvans & cooperans, sed etiam præveniens & excitans, uti docet S. Augustinus *l. 2. de pecc. mer.* dicens: *Quod ad Deum nos converti, nisi ipso excitante atque adjuvante, non possumus*. Quare in quovis opere bono & salutari certum est, primam excitationem seu indeliberatum voluntatis motum totum gratiæ tribuendum esse; nam S. Augustinus *de grat. & lib. arbitr. c. 17.* ait: *Ut velimus sine nobis operatur*. Quæ autem inde consequitur mentis deliberatio, & totum opus salutare totum adscribitur gratiæ, & totum etiam libero arbitrio: totum quidem Deo & gratiæ suaviter & delectabiliter moventi & applicanti nostram voluntatem; & totum etiam nostræ voluntati tamquam causæ secundæ primæ subordinatæ. Quare dici nequit, Deum & hominem duas esse causas partiales operis boni, quia sic cooperatio hominis non foret gratiæ effectus, adeoque homo haberet aliquid, quod a Deo non accepisset; quod juxta R. P. Serry *l. 3. de auxil. c. 27.* Pelagianismo favere videtur.

§. 347. Potest tamen homo sine gratia Fidei aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis facere, & ideo non omnia infidelium opera sunt peccata. Nam 1mo. S. Scriptura laudat nonnulla infidelium opera, & illa præmio affecta refert, uti misericordiam obstreticum Ægyptiarum, *Exod. 1. v. 15.* Et *ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, facere dicuntur*. Quod de gentibus adhuc incredulis intelligit Tertullianus *l. de cor. mil. c. 6.* S. Ambrosius *Ep. ad Irenæum*, S. Hieronymus in *c. 24. Is.* & ipse S. Augustinus *l. de Spir. & lit. c. 27.* ubi ait: *Quædam tamen facta vel legimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Hic S. Augustinus in infidelibus quædam bona opera non solum ex objecto, sed etiam ex fine bona agnoscit; ait enim, *vix inveniri*: ergo saltem aliqua inveniuntur. Sententiam suam probat S. D. *quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum defectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* 2do. Patet ex damnatione hujus propositionis 25. Baji a S.

Homo tamen sine gratia fidei aliqua opera moraliter bona facere potest.

Pio V. facta: *Omnia infidelium opera peccata sunt, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Hæc propositio non ideo tantum est damnata, quia actus etiam indeliberatos peccati arguit, cum hic error in *prop.* 50. separatim damnetur: nec ideo, quia Bajus ad opus moraliter bonum gratiam sanctificantem inhærentem videtur requirere; nam Bajus non videtur gratiam sanctificantem ab actuali distinguere, *prop.* 42. Nec solum intendit S. Pius damnare, quod omnia opera infidelium sint peccata, non vero, quod infidelis in omni opere suo peccet, saltem peccato omissionis non referendo illud ad ultimum finem, quod vitium est operantis, non operis: hoc enim effugium præclusit Alexander VIII. damnans hanc propositionem: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare*. Notandum tamen hic est cum Norisio *in Vind. August.* male sentire Maldonatum *in c.* 6. *Matth.* dum hanc controversiam a Tridentino & citatis Pontificibus definitam esse ait, cum mox allatas Theologorum nostrorum explicationes & contrariam sententiam nullo modo, sed tantum Novatorum opinionem damnaverint: scilicet de actibus indeliberatis &c. 3*tio.* Ratio est: Inclinatio naturalis ad bonum rationis, non est omnino a malitia destructa. Ergo infideles possunt facere bonum naturale. Deinde infidelis ex naturali pietate honorans parentes non meretur pœnam. Ergo non peccat. Denique si peccaret, melius esset abstinere a cultu parentum non urgente præcepto, ut non peccaret: quod absurdum est.

Baji systema. *Schol.* 1. Michael Bajus a. 1513. Melini in Belgio natus, Lovanii a. 1550. Doctor creatus, ad Concilium Tridentinum a. 1563. missus, multa erronee scripsit. Unde S. Pius V. a. 1567. in Bulla: *Ex omnibus*, 78. propositiones damnavit, tacito tamen Baji nomine, tum ne exacerbaretur, & ejus famæ consuleretur; tum quia non omnes propositiones illius fuerunt. Eodem anno Morillonius Bullam hanc legit coram stricta facultate Theologica Lovaniensi, quæ Bullæ obedientiam spopondit. Ipse Bajus a. 1569. Papæ scripsit, & conquestus est, quod nullum Bullæ transumptum reperire potuerit, & simul Apologiam misit, in qua exponit, plures propositiones damnatas sibi falso adscribi, & reliquas ad mentem S. Augustini esse veras. Rem discussit Papa, & Bajo rescripsit, obediendum esse, illique & cæteris illarum propositionum defensoribus perpetuum silentium indixit, & Bajus etiam eas ejuravit. Anno 1579. cum nonnulli has propositiones propugnare pergerent, Gregorius XIII. in Constitutione: *Provisioni nostræ*, Bullam S. Pii V. confirmavit, & misso Cardinali Toleto Bulla a tota Facultate Lovaniensi & ipso Bajo recepta fuit, qui denique

anno 1589. obiit. Systema Baji circa necessitatem gratiæ & fidei ad opus morale bonum his ejus propositionibus continetur. I. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli *ad Rom.* gentes, quæ legem non habent &c. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. 2. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet. 3. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. 4. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. 5. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. 6. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa, Deus amatur. 7. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est & commentitia, & illudendis SS. litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata. 8. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda. 9. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, quia vel ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est, quod moraliter bonum appellare consueverunt; vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum Charitatis, rejicienda est.

Schol. 2. Ex his patet, quod Bajus doceat, sine fide supernaturali non dari opera moraliter bona, sed omnes infidelium actiones esse vera peccata, quod idem docet Jansenius & Quesnellius. Probant hoc I. quia *ad Rom.* 14. *v. ult. Quod non est ex fide, peccatum est*. Et *ad Hebr.* 11. *v.* 6. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et *ad Tit. v.* 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia*. Sed in primo textu nomine fidei intelligitur conscientia, vel si cum S. Augustino fidem Theologicam intelligas, ly *non ex fide* sumitur contrarie, id est, quod est contra fidem. Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad salutem æternam, non vero ad honestatem moralem operis, quod Deo placet, licet operans illi displiceat. *Ad Tit.* 1. Apostolus arguit superstitionem Judæorum, qui putabant, aliquos cibos ex se esse immundos, a quibus abstinendo peccabant propter superstitionem, comedendo peccabant *Solvuntur objectiones.*

propter conscientiam erroneam, & sic nil ipsis mundum erat. II. 1. *Ad Cor.* 10. *v.* 31. jubemur omnia in *Dei gloriam*, & 1. *ad Cor.* 16. *v.* 14. omnia *ex Charitate* facere, quod quia infideles non faciunt, eorum opera sunt peccata. Verum hoc præcepto solum tenemur omnia nostra in Deum referre solum implicite & mediate, tamquam in Auctorem totius boni & naturæ, non vero semper actu explicito, formali & reflexo. Vel tenemur ita referre, ut nil faciamus, quod repugnet gloriæ Dei, non vero semper positive, explicite, ex motivo Charitatis proprie dictæ. Unde actio, quæ non fit ex Charitate, non refertur quidem ad ultimum finem modo meritorio vitæ æternæ; nequit tamen dici, nullo modo referri. III. S. Augustinus *l.* 4. *contr. Jul. c.* 3. fuse probat, nullum opus sine fide esse bonum: omnia infidelium opera esse peccata, & Philosophorum virtutes vitia: fieri ex perverso fine, quia finis ultimus hominis infidelis est malus, cum sit aversus a Deo, & conversus ad bonum commutabile ut ultimum finem. Sed S. D. ibi disputat contra Julianum docentem, opera ex pravo fine facta esse virtutes veras, quæ in infidelibus processerunt ex bona eorum natura, & per quas perfecte justi fiebant, æternamque damnationem effugiebant, licet regnum Dei non consequerentur. Contra hunc ergo probat S. Augustinus, Gentiles raro habuisse veras virtutes ob malum finem: eorum opera non esse complete bona conducentia ad vitam æternam: esse plerumque peccata propter malum finem, vel esse peccata in sensu lato, quatenus illis deest aliqua perfectio, eo quod non prosint ad salutem: sine fide per dilectionem operante non haberi veram justitiam perfectam: & finem ultimum hominis infidelis ut determinatum ad bonum apparens esse malum, non vero spectatum in communi; & ideo quia ex fine determinato ad bonum apparens non agit semper infidelis, ideo opus moraliter bonum ob ejus honestatem agere potest.

Peccator etiam bonum opus moraliter perficere potest. §. 348. Peccator etiam sine gratia habituali sanctificante bonum aliquod opus morale ordinis non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis, scilicet per gratiam actualem (§. 346.), perficere potest; adeoque non omnia peccatorum opera sunt peccata. Hoc patet 1*mo*. ex S. Scriptura, quæ peccatores hortatur ad pœnitentiam, *Ezech.* 18. *v.* 30. Et *Luc.* 18. *v.* 13. Publicanus laudatur ob humilitatem suam & dolorem, tamquam opera ad justificationem suam disponentia. Certe hæc opera, uti actus fidei, spei, timoris, doloris &c. quæ ad justificationem disponunt, & consequenter eam præcedunt, non sunt peccata. Ergo sunt bona non tantum boni tate mo

rali natutali, sed etiam supernaturali, tum quia sunt dispositiones ad formam supernaturalem, scilicet gratiam sanctificantem; tum quia ex principio supernaturali seu gratiæ actualis auxilio procedunt (§. 343. Schol. 1. & §. 346.), *2do.* Constat ex definitione Concilii Constantiensis, quod *sess.* 15. hunc articulum Huss & Wicleffi damnavit: *Peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi, n.* 16. Et Tridentinum *sess.* 6. *can.* 7. definit: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata; anathema sit.* Item S. Pius V. & Gregorius XIII. damnaverunt propositionem 55. Baji: *Omne quod agit peccator, peccatum est.* Et Clemens XI. has Quesnellii propositiones damnavit: 40. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones nostræ nascantur, amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor nostri, quo nosmetipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Et 44. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat.* Reliquæ propositiones a 45. usque ad 59. sunt ejusdem furfuris. *3tio.* Ratio est; Principium malum non inficit actionem agentis, nisi ex illo agat, sicut principium bonum eam non cohonestat, nisi agat ex illo: sed peccator non semper agit ex principio malo cupiditatis, sicut justus non semper agit ex principio bono Charitatis, v. g. dum peccat venialiter: ergo non semper peccat. Quare licet non detur medium inter charitatem & cupiditatem respectu personæ, quia homo vel justus est, vel peccator; datur tamen medium respectu actionis illius, quatenus procedit a bono principio naturæ, quod nec Charitas est, nec cupiditas.

Schol. 1. Wicleffus, Huss, Lutherani, Calvinistæ, Bajus docent, opera omnia peccatorum esse peccata. I. Quia *Prov.* 15. *v.* 8. dicuntur *victimæ impiorum abominabiles Domino*; & *Matth.* 7. *v.* 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* & *Joan.* 9. *v.* 31. *Deus peccatores non audit.* Sed victimæ illæ ideo sunt abominabiles, quia ex hypocrisi, adeoque ex malo fine ab impiis offeruntur. Arbor mala quatenus mala, & ex malitia agens non potest bonos fructus facere; bene vero agens quatenus bona est, ex principiis fidei seu rectæ rationis. Illa verba: *Deus peccatores non audit*, sunt cæci nati, & solum innuunt, quod Deus non audiat peccatores, ut miracula faciat pro confirmanda falsa eorum doctrina. II. Peccator semper agit ex cupiditate, quia non egit ex Charitate, inter quam & illam non datur medium. Sed homo *Solvuntur objectiones.*

vel agit ex cupiditate, vel Charitate saltem improprie sumpta pro bona voluntare, seu aliquo honesti amore, non vero semper ex Charitate Theologica. Deinde inter vitiosam cupiditatem & Charitatem non datur quidem medium quoad subjectum & habitum, bene vero quoad actum, scilicet amor honesti. III. Ad opus bonum morale requiritur, ut sit conforme regulis morum, rectæ rationi, & bonum ex objecto, fine & circumstantiis: sed opera peccatorum non sunt bona ex fine, quia illa ordinant ad bonum privatum ut ultimum finem: ergo sunt peccata. Verum peccatores solum in peccatis mortalibus in bono privato ceu ultimo fine sistunt; actus vero alii honesti saltem implicite ad ultimum finem referuntur, nec in bono privato sistunt. IV. Citant S. Augustinum, qui *l. de lib. arbitr. c.* 15. negat, sine Charitate aliquid bene fieri posse. Et *l.* 19. *de Civ. c.* 15. ait: *Virtutes, dum propter se appetuntur, superba vitia sunt.* Sed primo loco agit de bonitate supernaturali meritoria vitæ æternæ. In altero disputat contra Stoicos, ultimum finem in virtute collocantes, & vult, affectum virtutis, quo tamquam ultimus finis appetitur, esse actum superbiæ.

An homo sine gratia opus moraliter bonum perficere possit?

Schol. 2. Gregorius Ariminensis, & Vasquez, licet ad actus moraliter bonos ex fine, objecto & circumstantiis influxum fidei & Charitatis non requirant; docent tamen, ad bene operandum moraliter necessariam esse quamdam gratiam actualem & auxiliantem, quæ juxta Vasquez sit ordinis naturalis, licet per Christum nobis concessa. Respondeo *Primo*: Homo lapsus cum solo concursu Dei generali sine speciali auxilio gratiæ potest facere aliquod opus bonum morale ordinis naturalis, quando nulla gravis urget tentatio. Nam S. Augustinus *l. de Spiritu & litt. c.* 28. ait: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit, etsi non esset illa pietas, quæ transfert in vitam æternam.* Et S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *a.* 2. expresse docet, hominem in statu naturæ corruptæ per virtutem naturæ suæ posse aliquod bonum particulare agere. Deinde hæc propositio 27. Baji damnata est: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet.* Ergo liberum arbitrium sine speciali adjutorio Dei aliquod bonum morale opus perficere potest. Item damnata est hæc propositio Baji 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex naturæ solis viribus ortum ducat, agnoscit.* Denique hoc probant rationes (§. 345. Schol. 4. & §. 348.) allatæ. *Secundo.* Homo lapsus non potest quodlibet bonum morale ordinis naturalis etiam quoad substantiam operari sine speciali gratiæ auxilio, quia liberum arbitrium per peccatum

multum infirmatum tot, & tam difficilibus naturæ præceptis observandis non par est; præsertim cum tot graves undequaque tentationes premant, quibus superandis natura sola non sufficit. Non obstat primæ responsionis parti, I. quod Concilium Milevitanum & Arausicanum dicat, hominem de suo nil habere, nisi mendacium & peccatum. Nam hæc Concilia loquuntur de bono supernaturali contra Pelagium. Non obstat II. quod S. Thomas *q.* 24. *de verit. a.* 14. dicat, nullum opus bonum fieri posse sine gratia Dei. Nam intelligit concursum generalem, quem gratiam vocat, quia huic potius, quam alteri individuo datur. Non obstat III. quod pro singulis actibus bonis Dei gratiam postulemus, & pro iis bene peractis Deo gratias agamus. Nam postulamus gratiam, ut opera moraliter bona ad æternam salutem conducant, & pro hac gratia grates rependimus: vel petimus motionem providentiæ ordinariæ, uni præ altero gratis ex speciali providentia ad bene agendum dandam. Non obstat IV. quod omnem bonam actionem præcedat bona cogitatio, & quod illa disponat ad justificationem, adeoque non fiat sine speciali gratia. Nam bona illa cogitatio non conducens ad salutem, sine gratia speciali haberi potest ex solo concursu Dei generali; qui tamen, prout huic potius quam alteri conceditur, etiam aliquo modo specialis gratia dici potest: opera vero moraliter bona ex gratia facta conducunt ad justificationem, non vero facta sine gratia.

Schol. 3. Scotus & Molina docent, hominem lapsum posse viribus naturæ sine gratia diligere Deum super omnia amore naturali affective efficaci, licet non meritorio vitæ æternæ. Notandum autem contra Bajum & Jansenium, amorem Dei alium esse naturalem, quo Deus, per lumen naturæ cognitus, ut auctor bonorum naturalium amatur: alium supernaturalem, quo Deus per fidem cognitus, ut auctor gratiæ & gloriæ diligitur. Amor Dei naturalis alius est effectivus, qui conjunctam habet omnium vel aliquorum Dei mandatorum executionem; si omnium, dicitur effectivus simpliciter; si aliquorum tantum, secundum quid: alius est amor affectivus seu propositum amandi Deum: qui rursus vel est affectivus simpliciter, quo voluntas statuit Deum amare absolute super omnia, & potius mori, quam Deum offendere; vel est conditionatus seu simplex velleitas & complacentia, qua voluntas Deum vellet amare, si voluptatibus renuntiandum non foret. His positis dicimus: non potest homo lapsus sine speciali auxilio gratiæ Deum ut auctorem naturæ amare super omnia amore effectivo aut affectivo simpliciter. Ratio est tum ex Concilio Arausicano II. *can.* 25. sta-

An homo sine gratia possit Deum amare super omnia amore naturali?

tuente: *Hoc prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum esse possit, nisi eum gratia misericordiæ Divinæ prævenerit.* His verbis Synodus impotentiam hominis lapsi ad diligendum Deum super omnia repetit non tantum ex supernaturalitate actus, sed etiam ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum contracta: ergo illa etiam ad amorem Dei naturalem super omnia extenditur, unde additur: *Sicut oportuit:* tum quia S. Thomas *q.* 109. *a.* 3. ait: *Homo in statu naturæ corruptæ ad diligendum Deum naturaliter super omnia indiget auxilio gratiæ naturam sanantis:* tum quia amor Dei effectivus importat observationem omnium Dei mandatorum, quæ ex dicendis non habetur sine speciali gratia: amor vero affectivus simpliciter includit efficax propositum vitandi omnia peccata, implendi totam legem, omnes tentationes superandi, & in omnibus Deo placendi; quod propositum homo sine speciali gratia concipere nequit, quia est maxime difficile; quia nequit hoc efficaciter velle, cum non possit exequi; quia omnem affectum inordinatum a se nequit excludere, & quia hic actus maxime perfectus est.

An homo sine gratia possit omnia præcepta legis naturæ servare?

Schol. 4. Scotus & Abulensis putant, hominem in statu naturæ lapsæ sine speciali gratiæ auxilio posse omnia præcepta legis naturæ sub mortali obligantia quoad substantiam observare, licet non quoad modum, ita ut conducant ad salutem. *Respondeo:* non potest hoc etiam potentia physica in statu naturæ lapsæ. Nam 1. S. Scriptura impotentiam & infirmitatem naturæ lapsæ ad observanda omnia mandata testatur, *ad Rom.* 7. *v.* 8. *Scio, quia non habitat in me bonum.* Et *v.* 28. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati. Infelix ego homo! quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Rursus S. Scriptura testatur, legem non solum scriptam, sed etiam naturalem peccatum non arcere, sed potius augere sine gratia, quia lex facit quidem scire peccatum, non tamen cavere: 1. *ad Cor.* 15. *v.* 57. *Virtus peccati lex: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum.* Item S. Scriptura ostendit, nonnulla esse mandata supra humanas vires, quæ sine gratia impleri non possunt: *Sap.* 8. *v.* 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus esset hoc donum.* Item S. Scriptura testatur, integram observationem legis esse signum perfectæ Charitatis, quæ

sine gratia haberi nequit (Schol. præc.): *Joan.* 14. *v.* 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Ubi sermonem etiam esse de lege morali naturali patet, quia *Joan.* 15. mandatur dilectio proximi, quæ signum certissimum est dilectionis Dei, & virtute totam legem naturalem continet: *ad Rom.* 13. *v.* 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.* 2. Cœlestinus P. in *Ep. ad Episc. Galliæ c.* 10. damnat Pelagianos dicentes, quod gratia non ad absolute, sed facile servanda mandata detur. Et in *Ep. Synod.* Concilii Carthaginensis ad Innocentium I. dicuntur damnati fuisse Pelagiani, quod talem a Deo conditam naturam dicerent, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. 3. S. Augustinus *in Ps.* 118. ait; *Mandatis ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas.* Et *serm.* 148. *de temp. c.* 5. *Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjutus gratia Dei.* Hic loquitur S. D. de præceptis naturalibus quoad substantiam; nam impotentiam repetit ab infirmitate naturæ, non vero a supernaturalitate. 4. Ratio est, quia homo non potest ex se præstare opus præstantissimum, quale est observatio totius legis. Igitur impotentia hæc physica est, & oritur ex imminutione virium liberi arbitrii, similis illi, quam patitur homo ex gravi morbo convalescens, qui aliquem motum, non vero omnem habere potest. Non obstat I. quod *Deut.* 30. *v.* 11. mandatum datum a Deo non dicatur esse supra nos. Et *Eccli.* 15. *v.* 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Et *ad Rom.* 2. *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et *ad Philipp.* 3. *v.* 6. fatetur Apostolus, se sine gratia *sine querela conversatum esse.* Nam in Deuteronomio mandatum dicitur non esse supra Judæos quoad cognitionem, non vero quoad executionem. Ecclesiasticus solum liberum arbitrium demonstrat, gratiam non excludit. Gentes naturaliter aliqua legis faciunt, non vero omnia. Et S. Apostolus solum vult, se exterius sine querela conversatum esse abstinendo a manifestis criminibus. Non obstat II. quod S. Chrysostomus *hom.* 5. *in Ep. ad Rom.* dicat, Gentiles omnia legis præstitisse. Loquitur enim de omnibus Gentilibus, a quibus, non vero a singulis lex naturæ observata fuit, ita ut unus hoc, alter aliud præceptum naturæ impleverit. Non obstat III. quod sic homini lapso quædam præcepta essent impossibilia, & Deus illa non posset præcipere, sicut cæco nequit præcipere, ut videat. Nam per gratiam, quæ nulli deest, nulla præcepta sunt observatu impossibilia. Cæcus vero est impotens ad videndum, nec

illi offertur ad hoc miraculum, sicuti homini lapso gratia.

Homo justus nequit per totam vitam cum auxiliis ordinariis vitare omnia venialia.

§. 349. Homo etiam justus non potest toto vitæ suæ tempore cum auxiliis gratiæ ordinariis vitare omnia peccata venialia. Nam 1*mo*. S. Scriptura innuit, etiam justum, qui tamen habet auxilia ordinaria, multoties peccare. *Prov.* 24. *v.* 16. *Septies cadit justus*. 2. *Paralip.* 6. *v.* 36. *Non est homo, qui non peccet. Joan.* 1. *v.* 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quare 2*do*. Concilium Milevitanum *can.* 6. statuit: *Placuit, quod ait S. Joannes: si dixerimus &c. quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos non habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit*. Et Tridentinum *sess.* 6. *can.* 23. definit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatissima Virgine tenet Ecclesia; anathema sit*. Hinc S. Augustinus *l. de nat. & grat. c.* 36. ait: *Si omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato... nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c.* 3*tio*. Ratio petitur ex infirmitate naturæ, qua fit, ut non possit homo semper vigili animo esse, ut omnes obrepentes tentationes superet, concupiscentiæ motus compescat, & omnes peccandi occasiones declinet. Licet enim nullum sit singulare peccatum, cui vitando justus pares vires non habeat, si tamen eorum multitudo, varietas, frequentia & vis tentationum spectetur, necesse est, hominem brevi defatigatum fatiscere ac superari.

2. Ex privilegio tamen speciali, & auxiliis extraordinariis potest homo per totam vitam omnia venialia vitare: ita enim docet Tridentinum mox laudatum: & S. Augustinus *l. de pecc. mer. c.* 6. ait: *Si a me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium*. Et ratio est, quia ad vitandum omne veniale requiritur, ut homo diligentissime invigilet actibus suis, nec obrepere sinat vel minimum concupiscentiæ motum; quod potest auxiliis extraordinariis adjutus.

3. Hoc privilegium habuit Beatissima Virgo Maria, quæ ab omni peccato etiam veniali semper immunis fuit. Nam Tridentinum dicit, hanc esse de Beatissima Virgine Ecclesiæ sententiam. Et S. Augustinus *l. de nat. & grat. c.* 36. *Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agi-*

tur, *haberi volo quæstionem*. Et S. Bernardus *Ep.* 174. *Nemini alteri, quam Beatissimæ Virgini in natis mulierum creditur esse donatum, immunem esse ab omni peccato*.

An omnia venialia deliberata quis vitare possit, & quam diu?

Schol. 1. An homo sine speciali privilegio possit vitare saltem venialia perfecte deliberata, non conveniunt Theologi: illud certum est, viros sanctos rarius in illa incidere. Deinde homo justus cum auxiliis communibus gratiæ sanctificantl annexis aliquo saltem tempore potest esse sine veniali, v. g. tres vel quatuor horas, vel per integrum diem, plus vel minus juxta fervorem Charitatis. Item Tridentinum (n. 1.) per totam vitam videtur etiam intellexisse notabilem ejus partem, sive diu; unde P. Billuart censet esse de fide, quod justus etiam diu non possit vitare omnia venialia sine speciali privilegio. Denique ptobabilius est, nulli alteri Sanctorum præter Beatissimam Virginem concessum fuisse privilegium nunquam peccandi venialiter, quia S. Scriptura (n. 1.) loquitur universaliter, & sine auctoritate Conciliorum & Patrum exceptio facienda non est.

Solvuntur objectiones.

Schol. 2. Pelagiani docebant, hominem per omnem vitam suam omnia peccata sine gratia vitare posse (§. 345. Schol. 1.). Rationes orum sunt: I. Quia 1. *Joan.* 3. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit*. Et *Matth.* 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Verum S. Augustinus S. Joannem explicat de illo, qui natus est ex Deo generatione consummata & perfecta in pattia: Christus vero proponit perfectionem cœlestis Patris sui, non ut assequendam, sed pro modulo nostro imitandam. II. Si justus non potest vitare omnia venialia, Deus, qui ea vitare præcipit, juberet quid impossibile: sed Deus non jubet, ut omnia collective venialia vitentur, sed singula solum, & in particulari; nullum autem est, quod justus declinare non possit, si velit, & quia non semper vult, ideo peccat: unde in homine justo non est determinata necessitas ad hoc vel illud veniale, sed vaga, indeterminata & generalis; & justus non est liber ad omnia collective venialia vitanda, licet liber sit ad quodlibet declinandum: quippe omnia vitare plus habet difficultatis, quam singula seorsim: nec valet hic argumentum a sensu distributivo ad collectivum, quia in collectione est specialis difficultas in singulis non reperta. III. Si homo omnia venialia vitare nequit, posset velle non vitare omnia, quia hoc foret necessarium. Respondetur: homo non potest velle non vitare omnia venialia, quia non vitare velle omnia venialia, est violare aliquod præceptum determinatum; nam quando id, quod est necessarium, aliunde malum

est, v. g. homicidium casuale, non licet illud velle, quia aliquis non excusatur, nisi ratione impotentiæ: possum autem non velle, & sic prout stat sub velle, stat sub potentia.

An homo sine gratia mortalia vitare, & tentationes vincere possit? *Schol.* 3. Homo lapsus, & in peccato mortali existens, non potest sine gratia speciali diu vitare omnia peccata mortalia. Ita communius docent Theologi contra Scotum & Durandum: tum quia homo ex viribus naturæ non potest diu implere totam legem naturalem (§. 548. Schol. 5.): tum quia homo nequit Deum diligere super omnia amore effectivo sine gratia (§. 548. Schol. 4.). Ergo nec vitare omnia mortalia sine speciali gratia; alias enim Deum effective super omnia diligeret. Deinde homo graves tentationes sine gratia speciali vincere nequit saltem potentia morali, uti communis est Theologorum, licet D. Habert illi tribuat adhuc potentiam physicam, cum qua graves tentationes vincere sine gratia possit, quamvis nunquam sine gratia victurus sit, quia cum potentia physica conjuncta est impotentia moralis. Nam *Ps.* 17. *In te eripiar a tentatione*. Et *Matth.* 6. jubemur petere auxilium a Deo contra tentationes: *Et ne nos inducas in tentationem*. In quem locum S. Augustinus *l. de don. pers. c.* 23. ait: *Si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a seipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet*. Item Concilium Diospolitanum hunc Pelagii errorem damnat: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio*. Et Innocentius I. in *Ep. ad Conc. Carth.* ait: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. Denique leviores aliquas tentationes quantum ad substantiam operis moralis, ordinis naturalis homo sine speciali gratia vincere potest, quia sine hac opus aliquod moraliter bonum, cum nulla gravis urget tentatio, potest perficere (§. 548. Schol. 3.): cui accedit damnatio hujus propositionis Bajanæ 29. *Non soli fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ, hoc est, aliquam justitiam conscendi posse docent, aut ulli tentationi sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur; aut ab ea non superetur*. Non obstat I. quod detur præceptum absolute non peccandi. Quia hoc supponit auxilium gratiæ. Non obstat II. quod S. Thomas in 2. *d.* 28. docet, hominem vitare posse omnia mortalia sine gratia. Nam hanc sententiam S. Thomas in sua Summa retractavit.

Homo sine gratia §. 550. Homo a peccato sine gratia resurgere non potest. Nam *ad Gal.* 2. dicitur: *Si per legem justitia:*

ergo Christus gratis, id est, sine causa mortuus est. Eodem modo, si homo habet naturam, per quam justificari potest; ergo Christus sine causa mortuus est. Accedit Concilium Arausicanum *can.* 19. *Cum humana natura sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Ratio est, quia homo non potest sine gratia liberari a malis & detrimentis per peccatum contractis; nam macula non reparatur, nisi per gratiam: ordo rationis per peccatum corruptus non potest reparari, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente: & pœnæ æternæ reatus nonnisi a Deo remitti potest, qui Judex est & offensus. Notandum tamen, esse aliquam imperfectam resurrectionem, ad quam licet non requiratur gratia habitualis, requiritur tamen gratia actualis, quia homo ante remissionem peccati dolet. Unde damnata est hæc propositio 64. Baji: *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo efficitur, commentitia est, & Scripturis minime congruens.* *A peccato resurgere nequit.*

Schol. 1. Molina in *Concordia disp.* 10. docet, bene utenti facultate naturali Deum nunquam denegare gratiam, non quidem ex merito operis naturalis, sed ex pacto inter Deum & Christum inito, ut facienti quod est in se ex viribus naturæ infallibiliter detur gratia. Nos cum Thomistis statuimus, quod homo lapsus nihil prorsus facere possit, quod ipsum quovis modo ad gratiam sive actualem sive habitualem disponat, nisi auxilio gratiæ actualis præveniatur. Hoc indicat 1*mo.* S. Scriptura, *Prov.* 8. *Præparatur voluntas a Domino.* Quod passim urget S. Augustinus contra Pelagianos. 2*do.* Concilium Arausicanum II. *can.* 4. ait: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus S. infusionem & operationem nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui S. dicenti per Salomonem (Prov.* 8.*) Præparatur voluntas &c.* Et Tridentinum *sess.* 6. *c.* 5. ait, *Justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse.* 3*tio.* S. Augustinus hoc idem probat, tum ex eo, quod in negotio salutis dignationi gratiæ nihil sit subtrahendum: tum quia Ecclesia orat, ut ex nolentibus volentes fiant: tum quia minima præparatio ad gratiam est bona cogitatio, quam homo habere nequit sine gratia præveniente. S. Thomas alias rationes addit, tum quia finis dispositionis ad gratiam est supernaturalis; nam finis proximus est ipsa *An sine gratia possit se homo disponere ad gratiam?*

gratia, remotus vero Deus: tum quia actus mere naturales non habent proportionem cum gratia supernaturali, adeoque non possunt esse dispositio ad illam: tum quia S. Scriptura expresse testatur, nos egere auxilio gratiæ, ut ad Deum convertamur; *Thren.* 4. *Converte nos, Domine, ad te.*

Quomodo intelligatur illud: Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam?

Schol. 2. Hinc vulgatum illud axioma: *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*, non habet 1. hunc sensum, quod operi moraliter bono solis naturæ viribus elicito debeatur gratia tamquam merito; quod in variis Conciliis damnatur. 2. Non est hic sensus, quod facienti quod est in se ex viribus naturæ Deus non deneget gratiam ex pacto inter Deum & Christum inito, ut bene utenti facultate naturali Deus infallibiliter conferat gratiam; nam præter dicta (Schol. præc.), bonum illud opus, cui hoc pactum annexum est, non est observantia totius legis, quæ non datur sine gratia (§. 348. Schol. 5.), nec observantia aliquorum præceptorum; alias multis infidelibus aliqua præcepta legis naturæ observantibus (§. 347.) gratia data fuisset. Deinde hoc pactum destrueret naturam gratiæ, quæ non omnino gratis daretur. Et hoc pactum nec in S. Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patribus fundamentum habet; nam locus ex S. Augustino *l.* 19. *de civ. c.* 13. citatus a P. Valentia in Congregatione coram Clemente VIII. habita, scilicet: *Deus.. dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua ... eo pacto æquissimo, ut quicumque mortalis talibus bonis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem*, non fideliter allegatus fuit, ut statim observavit P. Lemos; quippe S. Augustinus dixit: *scilicet*, non vero, *& ipsam immortalitatis pacem*, ubi clare innuit, quod homo bene utens naturalibus ex gratia, accipiat meliora, *scilicet* ipsam gloriam, cum certum sit, usui naturalium sine gratia non dari gloriam: Denique Clerus Gallicanus a. 1700. statuit: *Pactum autem, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura & SS. Patrum traditione prolatum.* 3. Sensus non est, quod facienti quod est in se viribus naturæ Deus conferat gratiam ex mera misericordia non respiciendo ad opera: nam implicat, quod Deus det gratiam, quia homo facit, quod est in se, & simul non respiciat ad opera. Et Concilium Arausicanum II. *can.* 6. damnat eum, qui dixerit, sine gratia Dei credentibus, volentibus & desiderantibus misericordiam conferri. 4. Non est sensus, quod facienti quod est in se viribus naturæ negative, hoc est, non ponenti obicem gratiæ, Deus infallibiliter det gratiam: nam non

ponere obicem supponit observantiam totius legis naturæ, quæ non est sine gratia (§. 348. Schol. 5.); & non ponere obicem non juvat ad consequendam gratiam infallibiliter: alias gratia esset ex meritis. Sensus ergo axiomatis est, uti explicat S. Thomas in *c.* 10. *ad Rom. lect.* 5. facienti quod est in se ex gratia, Deus gratiam ulteriorem non denegat. Nec obstat, quod S. Thomas *q.* 24. *de verit. a.* 1. *ad* 2. dicat, quod possit homo se ad gratiam habendam præparare, quæ ei a Deo non denegabitur, si fecerit, quod in se est. Nam loquitur eodem modo de faciente quod est in se per gratiam prævenientem.

§. 351. Justus etiam sine speciali Divinæ gratiæ auxilio in accepta justitia usque ad vitæ finem perseverare non potest. Nam 1*mo.* Christus Patrem orat, ut suos sibi servet Apostolos, *Joan.* 17. *v.* 11. Et *ad Philipp.* 1. *v.* 6. dicitur: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* 2*do.* Concilium Arausicanum II. *can.* 10. ait: *Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis, semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Et Tridentinum *sess.* 6. *can.* 21. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.* Et *can.* 26. hanc gratiam *magnum perseverantiæ donum* appellat. Hoc idem probat S. Augustinus toto libro *de dono perseverantiæ*, & præcipue ex eo, quia *Ecclesia orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.* 3*tio.* Ratio est: quia conjunctio gratiæ cum morte est proprius & specialis effectus prædestinationis. Ergo est per speciale auxilium.

Justus sine speciali gratia in bono usque ad finem vitæ perseverare nequit.

Schol. 1. Etiam parvulis, qui suscepto Baptismo moriuntur, datur speciale donum perseverantiæ, sicut & adultis, qui post acceptam gratiam statim moriuntur, & oppositum asserere juxta P. Gonet parum tutum est, tum quia *Sap.* 4. *v.* 11. dicitur: *Properavit educere illum de medio iniquitatum:* tum quia juxta S. Cyprianum *l. de mortalit.* & S. Augustinum *de prædest. SS. c.* 14. mors, qua subtrahuntur homines periculis peccati, est singulare gratiæ beneficium, a quo nec infantes excipiuntur, qui periculum lubricæ ætatis evadunt. Hoc donum perseverantiæ consistit formaliter in conjunctione gratiæ cum fine vitæ ex efficaci gloriæ intentione imperata, quam conjunctionem Deus variis modis singulari providentia procurat: quibusdam accelerando mortem, ne in peccatum labantur: aliis prorogando vitam, ut resipiscant: aliis subtrahendo pericula & tentationes, aut eas

Imo nec parvulis hoc donum deest.

temperando, quæ omnia spectant ad auxilia extrinseca: aliis in periculis vires augendo, ut vincant, & insuperabiliter in bono perseverent, quod spectat ad auxilia intrinseca.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 2. Semipelagiani finalem perseverantiam a libero arbitrio esse contendebant, scilicet activam perseverantiam seu continuationem in statu gratiæ finalis junctam cum actibus virtutis: passivam tamen perseverantiam seu unionem mortis cum gratia, donum Dei esse non diffitebantur. Nam I. gratia habitualis homini datur, ut in bono se conservare possit, ad quod sufficit peccatum vitare, quod potest per liberum arbitrium sine gratia. *Resp.* Potest hoc, si præceptum sit facile & nulla gravis urgeat tentatio; secus si urgeat, quod in perseverando contingit. II. Homo cum virtute perseverantiæ infusa perseverare potest; ergo non eget speciali gratia. *Resp.* Posse quidem potentia antecedente, non vero consequente. Non quæritur, an ad posse perseverare requiratur specialis gratia, sed an ad perseverandum actu requiratur. III. Juxta Tridentinum *sess.* 6. *c.* 11. Deus semel justificatum non deserit, nisi prius ab eo deseratur: ergo justo non deserenti Deum non est opus speciali auxilio ad perseverandum, utpote qui Deum non deserit. *Resp.* Justum non deseri a Deo per subtractionem gratiæ efficacis, nisi prius ab eo gratiæ sufficienti resistente deseratur.

An justus sine speciali gratia diu in bono perseverare possit? *Schol.* 3. Ut homo justus diu in bono perseveret, requiritur gratia specialis superaddita, quia ob infectionem carnis, & ignorantiam intellectus difficillimum est homini justo inter tot & continuas tentationes diu in bono supernaturali perseverare. Hinc Concilium Arausicanum II. (§. 351.) vult implorandum Divinum auxilium, ut ad bonum finem quis pervenire, & in bono possit opere perdurare: ubi pro utraque perseverantia finali & diuturna specialem gratiam requirit: & Tridentinum (§. cit.) indefinite statuit, justificatum sine auxilio Dei speciali perseverare non posse. Non obstat I. quod ad diu servanda præcepta naturalia, & vincendas tentationes sufficiat minima Charitas. *Resp.* Sufficit quidem in actu primo per modum habitus, quo quis utitur, cum vult: non vero sufficit in actu secundo, ut semper velit. Non obstat II. quod homo justus sit homo sanus. *Resp.* enim, hominem justum per gratiam non ita adæquate sanari, ut in eo non remaneat corruptio carnis & ignorantia intellectus, & consequenter difficultas ad diu in bono perseverandum per specialem gratiam superanda.

Gratia suffi- §. 352. Gratia actualis, cujus necessitatem hactenus consideravimus, dividitur in sufficientem & efficacem

(§. 543. Schol. 2.). Quare de gratia sufficiente nunc agendum est, quæ est illa gratia, quæ expeditam, proportionatam & relativam ad præsentes subjecti circumstantias confert voluntati ad opus bonum potentiam, ac vires pares superandæ oppositæ concupiscentiæ. *clenti quid?*

Schol. 1. Data modo definitio ex D. Tournely gratiæ sufficientis multis celeberrimis Theologis non placet, quorum nonnulli me etiam amicabiliter monuerunt, eam non satis caute in prima editione Compendii mei Theologici a me adoptatam fuisse, tum quia præludere videtur Molinistis, quorum partibus fævere se Tournelius non uno loco demonstrat: tum quia hanc definitionem ab Ecclesia præ cæteris receptam autumat; cum tamen non desint Theologi, qui illud solum ab Ecclesia definitum dicant, quod in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori aliquando resistatur. An vero hæc gratia interior dici debeat sufficiens, & an potentiam completam, proximam, & expeditam, & vires pares in omnibus circumstantiis ad oppositam concupiscentiam superandam conferat, nullo Ecclesiæ expresso oraculo decretum est, & nonnisi ratiocinando ex definitionibus Ecclesiæ deduci potest; uti docte notat Cl. P. Gazzaniga *Præl. Th. Tom.* 5. *diss.* 5. Verumtamen quidquid sit de mente, scopo, & censura Tournelii, definitionem gratiæ sufficientis ab eo datam adhucdum retineri & cum definitionibus aliorum Clarissimorum Theologorum conciliari posse, pro tenui meo judicio censui, sed sub sequentibus explicationibus & restrictionibus. 1*mo.* Noto cum Cl. P. Bertieri *Theol. Dog. part.* 2. aliam esse potentiam, quæ cum ipso actu conjungitur; alteram, qua fit, ut homo in actum prodire possit: hæc constituit voluntatem expeditam ab omni impedimento impotentiæ; quod gratiæ inefficacis vel sufficientis munus est; & hanc intelligo in data definitione per *expeditam*, *proportionatam*, & *relativam ad præsentes subjecti circumstantias ad opus bonum potentiam*, & *vires pares superandæ oppositæ concupiscentiæ*. Prior vero potentia cum actu conjuncta voluntatem constituit expeditam ab omni impedimento *nolentiæ*, eamque habemus, cum gratia efficaci sumus exornati. 2*do.* Adverto cum eodem Cl. P. Bertieri & Cl. P. Gazzaniga loc. cit. gratiam sufficientem non continere ex parte Dei totum id, quod ad bene operandum requiritur; sed ad hoc insuper requiri gratiam efficacem, quæ non ex consensu hominis voluntatis, sed ex se est efficax, uti inferius contra Molinistas & Congruistas demontrabitur. Sed hoc ipsum datæ etiam nostræ definitioni competit, secundum quam licet gratia sufficiens conferat completam, proximam, & expeditam ad bene ope- *Explicatur definitio.*

randum potentiam, quem loquendi modum etiam Thomistarum aliqui post Alvarezium amplexi sunt; ad actum tamen pium & salutarem alia gratia major & efficax est necessaria. Atque in hoc sensu explicata data gratiæ sufficientis definitio cum systemate gratiæ per se efficacis optime concordabit, & parum ac nonnisi verbis forte differet ab ea, quam communiter dant recentiores Thomisticæ & Augustinianæ Scholæ Theologi; scilicet: gratia sufficiens seu inefficax est, „ quæ in nobis excitat „ pias quasdam mentis illustrationes, ac aliquam boni „ cupiditatem, debiliter tamen & imperfecte, adeo ut „ bonum illud opus, ad quod gratia illa nos sollicitat, „ minime consequatur." Unde patet, eamdem gratiam & efficacem dici posse & inefficacem. Efficax est, quia conjunctam semper habet ex parte intellectus aliquam sanctam cogitationem, & ex parte voluntatis aliquam boni cupiditatem: inefficax est, quia caret actu perfecto & consummato, ad quem ex natura sua & antecedenti Dei voluntate ordinatur. Non igitur dicitur sufficiens, quasi totum id contineat, quod ad opus hic & nunc eliciendum requiritur, sed quod potentiam ad bene & salutariter operandum conferat, ab actu tamen sejunctam.

Jansenismus ejusque systema. *Schol.* 2. Jansenius a. 1585. in territorio Laerdamensi natus famosum opus, *Augustinus* inscriptum, composuit, in quo 20. annis laboravit, & postquam Episcopus Iprensis a. 1635. consecratus fuerat, complevit, quod post ejus (an. 1638.) obitum editum fuit, in quo tamen se & sua scripta Romanæ Sedis judicio subjecit. Mox ut lucem aspexit Jansenii liber, prohibitus fuit ab Urbano VIII. in Bulla: *In eminenti*, quæ tamen obstantibus Jansenistis in Belgio solemniter promulgata non fuit, usque ad annum 1648. Et an. 1653. Innocentius X. Constitutionem edidit: *Cum occasione*, in qua quinque propositiones sequentes ex libro Jansenii excerptas damnavit. I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest etiam gratia, qua possibilia fiant*. II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. III. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*. V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse*. Prima propositio ut temeraria, bla-

sphema, impia & hæretica damnata fuit: Secunda & tertia ut hæretica: Quarta ut falsa & hæretica: Quinta ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, quod Christus pro salute tantum prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans & hæretica. Hæc Constitutio in Gallia recepta fuit, quam ut eluderent Jansenistæ, excogitarunt famosam distinctionem juris & facti (§. 28. Schol.), quam elisit Alexander VII. an. 1665. in nova Constitutione: *Regiminis Apostolici*, dum fidei formulam ab omnibus subscribendam: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. &c.* proposuit, cui tamen Jansenistæ rigidiores sine limitatione subscribere recusant; molliores vero putant, se sine exceptione subscribere posse, quia hæc subscriptio est signum interni assensus respectu dogmatis, & signum reverentiæ externæ respectu facti (§. 28. Schol.). Cum vero nonnulli Episcopi Belgici nonnullas additiones formulæ illi fecissent, eas Innocentius XII. an. 1694. improbavit, & jussit formulæ subscribi & damnari propositiones Jansenii in sensu obvio, quem formulæ & propositionum verba præseferunt. Cumque hæc verba: *in sensu obvio*, Jansenistæ ita exponerent, quasi Papa tantum vellet, ut propositiones in seipsis damnarentur in sensu obvio verborum, sine respectu ad sensum Jansenii; idem Pontifex in Brevi an. 1696. dato declaravit, nomine prætensorum Jansenistarum non fictos, sed veros & declaratos intelligi. Anno 1702. confictus fuit famosus casus conscientiæ, in quo quidam Clericus inducitur, cui Absolutio denegata fuit, quia declaraverat, se re vera quinque propositiones absolute damnare, & formulæ Alexandri VII. subscripsisse; nihilominus quantum ad quæstionem facti, an libro Jansenii sint attribuendæ, se putare, sufficere religiosum silentium. Hic casus propositus fuit 40. Doctoribus Parisiensibus, qui responderunt: hujus Ecclesiastici viri sententiam nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam, nec talem, ut possit illi Confessarius Sacramentalem Absolutionem denegare, esti pœnitens suam sententiam retractare nolit. Hanc responsionem proscripsit Clemens XI. Cardinalis Noallius, & plures Galliæ Episcopi, ac omnes Doctores uno excepto subscriptionem suam revocarunt. Tandem Clemens in Bulla: *Vineam Domini Sabaoth*, confirmatis prædecessorum suorum Constitutionibus decrevit, obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri. Systema Jansenii in sequentibus consistit: 1. Distinctio inter statum innocentiæ, & naturæ lapsæ in eo consistit, quod in statu naturæ innocentis non essent nisi gratiæ sufficientes pendentes

a voluntate Adami, cum e contra in statu naturæ lapsæ tantum dentur gratiæ efficaces humanæ voluntati absolute dominantes. *Jans. de grat. primi hom. c.* 14. 2. Unde gratia efficax ex nulla alia causa est necessaria pro hoc præsenti statu, quam quia natura nostra infirma & per peccatum corrupta est. 3. Hæc gratia juxta Jansenium est delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus delectationis cœlestis, quæ nos movet ad bonum; sicuti cupiditas est motus indeliberatus delectationis terrenæ, quæ nos movet ad malum. *Jans. l. 4. de grat. Christi c.* 1. 4. Si delectatio cœlestis sit aliquo gradu superior delectatione terrena, gratia fit victrix, & nos ad bonum necessario rapit: quod si vero terrena delectatio sit superior, cupiditas fit victrix, & nos necessario rapit ad malum; sicuti majus pondus in bilance elevat minus, tum quia necesse est, ut secundum id, quod magis delectat, operemur; tum quia hæc delectatio relative victrix sive gratiæ sive cupiditatis diametraliter opponitur indifferentiæ agendi vel non agendi. Neque hoc tollit libertatem juxta Jansenium, juxta quem indifferentia agendi, vel non agendi non est essentialis libertati, & libertas est voluntas, quæ eo ipso, quod vult, libera est, ita ut sola coactio, non vero necessitas saltem mutabilis, repugnet libertati: dico mutabilis: nam Jansenius duplicem necessitatem distinguit: unam fixam & immutabilem, quæ in nullis circumstantiis vinci potest, qualis est necessitas, qua Deus seipsum diligit, & qua Beati Deum amant, & hæc necessitas repugnat libertati, non quidem essentiali, sed libertati status viatoris: altera est necessitas mutabilis, transitoria, relativa, quæ stantibus præsentibus circumstantiis relative ad vim oppositam superiorem vinci non potest, licet absolute & in aliis circumstantiis vinci possit: sic a terrena delectatione superante cœlestem movemur ad malum necessitate mutabili & relativa, quia licet stante hac superioritate delectatio terrena vinci non possit a gratia; potest tamen absolute vinci, si delectatio cœlestis evadat superior: hæc necessitas mutabilis juxta Jansenium non officit libertati hominis in hac vita, quæ proinde libertas tota consistit in vertibilitate de una ad alteram necessitatem, prout delectatio cœlestis & terrena in vincendo alternant. Ex quo fluit, 5. fuisse in Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes homines tantum pro statu innocentiæ, vi cujus voluntatis Adam recepit gratias sufficientes: pro statu vero naturæ lapsæ, tantum datur voluntas consequens salvandi omnes, & voluntas antecedens nunc est sterilis erga homines lapsos, nec ex illa obvenit homini ulla gratia, ne quidem mors Christi; un-

de Christus pro omnibus non est mortuus. 6. Ut vero Jansenius Catholicis fucum faciat, & gratias sufficientes non omnino rejicere videatur, dicit dari in hoc statu naturæ lapsæ parvas gratias, quæ hominem utcumque moveant ad bonum, quæ desideria imperfecta in eo excitent, & quibus homo resistit.

Schol. 3. Quesnellus a. 1634. Parisiis natus, factus Pater Congregationis Oratorii, scripsit a. 1681. Reflexiones morales super Novum Testamentum, in quibus cum multi errores in Bajo & Jansenio damnati reperirentur, Clemens XI. a. 1708. sub anathemate hunc librum prohibuit: quod cum nonnulli iniquius ferrent, libro Quesnelli accurate examinato, Clemens XI. a. 1713. librum & 101. propositiones excerptas damnavit in celebri Constitutione: *Unigenitus*, cui multi Galli se opponentes cum 4. Episcopis ad futurum generale Concilium appellarunt, dicti ideo Appellantes. Nihilominus in Concilio Ebredunensi Constitutio acceptata fuit a. 1727. cui anno sequenti etiam Cardinalis Noailles accessit. Appellantes pro confirmatione suæ pertinaciæ miraculum ad sepulchrum Diaconi Paris in appellatione mortui, & in cœmeterio S. Medardi sepulti commenti sunt, quo puellam ejus intercessione visum & usum crurum recepisse jactitabant; quod tamen ab Archiepiscopo Parisiensi rigido examini subjectum, falsum esse deprehensum fuit. *Quesnelli errores.*

§. 353. Datur igitur in statu naturæ lapsæ aliqua gratia interior, cui ex malitia voluntatis humanæ resistitur. Nam *Primo* S. Stephanus, *Act.* 7. 51. objurgat Judæos: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos*. Ubi ad alia veteris Testamenti loca provocat, in quibus eamdem resistentiam gratiæ exprobravit, quæ §. sequenti proferentur & examinabuntur. *Secundo* Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 13. ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*. *Tertio* S. Augustinus *l.* 1. *de pecc. mer. c. ult.* de homine justo ait: *Habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit*. *Quarto* Patet ex propositione 2da Jansenii damnata: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. *Alicui gratiæ internæ resistitur.*

§. 354. Admittenda est ergo in statu naturæ lapsæ gratia vere ac proprie sufficiens. Ita docet 1mo. S. Scriptura, *Prov.* 1. *v.* 24. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Hæc vocatio fuit vere sufficiens, tum quia Deus jubet conversionem, *v.* 23. *Convertimini ad correptionem meam:* tum quia *Datur gratia vere sufficiens.*

promittit huic conversioni Spiritum S. tum quia extendit manum utique ad serio juvandum: tum quia minatur pœnam æternam non cooperantibus, *v.* 26. Deinde *Is.* 5. *v.* 4. dicitur: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Hic domus Israel sub nomine vineæ habuit gratias vere & pure sufficientes ratione tot mediorum, quæ dedit ei Deus *v.* 2. ut afferret fructum, quem prudenter non expectasset, si quid ad fructificandum necessarium defuisset; unde etiam provocat ad testimonium propriæ eorum conscientiæ, *v.* 3. *Habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam.* Ergo habuerunt gratiam vere sufficientem, imo etiam pure sufficientem, quia culpa voluntatis eorum effectu caruit. Dicunt quidem Calvinistæ, hanc esse meram parabolam, & sermonem esse non de beneficiis, sed suppliciis a vinea promeritis, ita ut sensus sit: plantavi vineam; quid jam faciendum, nisi ut puniam sterilem? Verum parabolam hanc de Judæis explicat ipse Deus *v.* 7. & Christus, *Matth.* 21. & sermonem esse de beneficiis patet ex contextu; hinc loquitur in præterito, *& non feci* עשיתי *ei?* ac modo *v.* 5. ad supplicia deflectit. Dicunt 2. Jansenistæ, Deum tantum loqui de gratiis externis. Sed cum loquatur de omnibus mediis ad conversionem necessariis, etiam gratias internas intelligit. Rursus *Matth.* 23. *v.* 37. *Quoties volui congregare filios tuos ..... & noluisti?* Certe hic affectus Christi sterilis non fuit sine gratia interna illustrante mentem & movente voluntatem, *Act.* 7. S. Stephanus ait, Judæos Spiritui S. resistere: 1. *ad Thess.* 5. *Nolite Spiritum extinguere:* 2. *ad Cor.* 6. *v.* 1. hortatur eos Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiant: *Apoc.* 3. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum.* Ergo plures gratiæ desunt, illi resistunt, eam extinguunt, & in vacuum recipiunt, quod non tenet de gratia efficaci, adeoque sufficiente, & quidem interna, quæ per Spiritum S. clare significatur. 2do. Ita definiunt Concilia. Arausicanum II. *can.* 25. *Secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Igitur de fide est, mandata Dei esse justis possibilia, qui tamen illa non semper implent; consequenter datur eis gratia, qua possibilia fiant, quia viribus naturæ non sunt possibilia: sed

hæc gratia non est efficax, quia illa non semper implent: ergo sufficiens. 3*tio.* Patet ex Patribus tum Græcis, quos Jansenius nobis concedit; tum Latinis, & maxime S. Augustino, quem Jansenius totum sibi vindicare vult. Hic *l. de nat. & grat. c.* 43. docet, Deum non præcipere impossibilia. Ergo supponit gratiam, qua possibilia fiant, & quia ea homines non semper observant, supponit gratiam sufficientem. Deinde in *l. de grat. c.* 47. ait: *Si consenserit nobis Pelagius, non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem ... divinitus adjuvari... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Ergo S. D. agnoscit gratiam possibilitatis seu sufficientem, distinctam a gratia actionis, seu efficaci. Et *l.* 83. *quæst.* 68. ait: *Ad illam cœnam... nec omnes, qui vocati sunt, venire noluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Et *l. de nat. & grat. c.* 67. excusantes se peccatores refellit, *quia Deus multis modis aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem, & peccatorem volentem sanare contemnit.* Ergo datur gratia vere sufficiens. Hæc enim 4*to.* est donum supernaturale, mentem illuminans & voluntatem movens, & tribuens expeditam & relativam ad opus bonum potentiam &c. (§. 352.). Sed talis juxta modo dicta datur. Ergo datur sufficiens.

Schol. Jansenius negat, in statu naturæ lapsæ dari gratiam vere & proprie sufficientem (§. 352. Schol. 1.). Probat hoc I. ex S. Scriptura, quæ non aliam gratiam, nisi efficacem agnoscit, *Joan.* 10. *v.* 27. *Oves meæ vocem meam audiunt... non rapiet eas quisquam de manu mea. Ad Rom.* 9. *Voluntati ejus quis resistet? Resp.* Loquitur quidem sæpe S. Scriptura de gratia efficaci, sed sufficientem non excludit, quam alibi commemorat. II. S. Augustinus pluribus in locis requirit gratiam efficacem, ut homo possit & velle & operari bonum: uti *l. de prædest. SS. c.* 8. ait, eos qui non credunt, *foris tantum audire, non intus.* Item illam tantum gratiam agnoscit, quam negavit Pelagius, quæ est gratia efficax. Et *l. de corrept. & grat.* statuit discrimen inter gratiam status innocentiæ & naturæ lapsæ in eo, quod gratia sufficiens sit propria statui innocentiæ, efficax statui naturæ lapsæ. *Resp.* S. Augustinus vult eos, qui non cre- *Solvuntur objectiones Jansenistarum.*

dunt, foris tantum audire quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam si foris tantum audirent; non vero quod non habeant gratiam internam sufficientem. Pelagius non solum gratiam efficacem, sed etiam sufficientem negavit, & utramque S. Augustinus defendit. Item S. Augustinus discrimen inter gratiam utriusque status in eo statuit, quod in statu naturæ lapsæ homo ad perseverandum egeat gratia speciali sanante & roborante suam infirmitatem: Adam vero in statu innocentiæ tantum eguerit gratia secundum communem cursum applicante & movente. III. Nullæ preces Ecclesiæ gratiam sufficientem a Deo postulant; ergo non datur. *Resp.* Ecclesia omnem gratiam ad salutem necessariam a Deo postulat; cum ergo secundum prudentem Dei œconomiam etiam sufficiens sit utilis & necessaria, eam etiam a Deo postulat, quam licet Deus omnibus det, eam tamen ab eo petere justum est. IV. Gratia sufficiens juxta Thomistas etiam effectum habet: ergo omnis gratia interna est efficax. *Resp.* Gratia sufficiens dum intellectum illuminat & voluntatem movet, ille illuminatur, hæc movetur; ergo effectum habet: quia tamen principalem effectum, scilicet conversionem, ad quam disponit & potentiam confert, non obtinet, non dicitur simpliciter efficax, sed inefficax, quia hunc principalem effectum non consequitur. V. Illa tantum gratia est sufficiens, præter quam nulla alia requiritur: sed talis non est illa, quæ vulgo sufficiens dicitur, cum præter illam novum auxilium ad agendum requiratur: ergo non est sufficiens. *Resp.* Gratia sufficiens in sensu grammaticali est illa, præter quam nulla alia requiritur; non vero in sensu Theologico (§. 552.) explicato.

Omnibus justis datur gratia sufficiens.

§. 555. Justis omnibus datur a Deo gratia vere sufficiens, per quam possunt aut tentationes superare, aut mandata hic & nunc observare. Probatur hoc 1*mo.* ex S. Scriptura, 1. *ad Cor.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Loquitur hic Apostolus de justis, uti patet ex *v.* 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Porro tentarentur justi supra id, quod possunt, nisi haberent gratiam sufficientem (§. 552.). Jansenius quidem hunc locum de solis prædestinatis exponit, qui nunquam finaliter tentationi succumbunt. Sed falso; nam dicitur: *cum tentatione*, non vero: *ex tentatione*, uti legit versio Montensis: dicitur: *ut possitis sustinere:* dicitur: *faciet proventum*, non vero *victoriam:* non additur conditio: *si prædestinatis estis.* Unde sensus est: in tentatione ipse roborabit vos gratiæ suæ sufficientis auxilio, quo

possitis eam sustinere. Patet igitur, textum ad prædestinatos quantum ad finalem perseverantiam a Jansenio & Estio male restringi, tum quia nullum in eo perseverantiæ finalis vestigium apparet: tum quia ad omnes fideles Corinthios illa verba diriguntur, qui non omnes erant prædestinati: tum quia Tridentinum *sess.* 24. *can.* 9. hunc textum ad omnes continentiæ voto obstrictos extendit, quorum tamen aliqui tentationi succumbunt. 2*do.* Probatur ex Conciliis. Milevitanum *can.* 3. statuit: *Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per J. C. D. N. ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Ergo datur justis gratia, qua adjuventur ad peccatum non committendum, quæ erit sufficiens, cum justi nihilominus subinde labantur. Confirmat hoc Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. dicens: *Nemo temeraria illa & a Patribus prohibita sub anathemate voce uti (debet), Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis: cujus mandata gravia non sunt, cujus onus suave est: Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur.* Ergo Concilium docet, Deum adjuvare justos, ut possint, quod fit per gratiam sufficientem. Item Deus justos non deserit; desereret autem, nisi daret gratiam sufficientem. Certe hic non damnatur error Lutheranorum & Calvinistarum docentium, ideo mandata Dei esse justis impossibilia, quia omnia eorum opera ob pravam concupiscentiam sunt peccata, uti explicat Concilium Jansenius: sed damnat errorem eorum, qui volunt, mandata Dei ex defectu gratiæ esse justis impossibilia, quod docet Jansenius. Quippe Concilium damnat errorem jam a Patribus, scilicet Concilii Milevitani & Arausicani II. proscriptum: sed Patres non proscripserunt hunc Lutheri & Calvini errorem sibi adhuc eo tempore incognitum. Ergo damnat sententiam, quam Jansenius postea propugnavit post Lutherum, scilicet homini justo aliquando deesse gratiam, qua mandara Dei possibilia fiant. Deinde Concilium *sess.* 5. & 6. *can.* 25. Lutheri sententiam damnat. Ergo *can.* 11. & 18. damnat errorem Jansenii: quod clare ostendunt rationes, quibus Concilium *can.* 11. confirmat doctrinam Catholicam: 1. quia Deus jubendo monet, quod possis... & adjuvat, ut possis. 2. quia mandata ejus gravia non sunt. 3. quia sua gratia semel justificatos non deserit; quæ contra errorem Jansenii directe pugnant. Nec juvat cum Janseni-

stis dicere, Deum gratia habituali non deserere justum, nisi prius per peccatum mortale ab eo deseratur. Nam Concilium docet, Deum non deserere justum ea gratia, qua possit peccatum vitare, præceptum implere, & in bono usque in finem perseverare, *cap.* 13. *In Dei enim auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*. Ubi certe de gratia actuali sermo est. Et *cap.* 16. *Cum Christus Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ Legi, pro hujus vitæ statu, satisfecisse censeantur*. 3tio. Probatur ex S. Augustino, qui *l. de corrept. & grat. c.* 7. ait: *Homo, in eo, quod audieras ac tenueras, in eo perseverares, si velles; nullo autem modo dici potest, id quod non audieras, crederes, si velles*. Ecce gratiam sufficientem justo collatam; nam qui dicitur aliquid facturus, si vellet, debet habere expeditam ad id facultatem. Deinde S. Augustinus multis in locis docet, mandata Dei non esse homini impossibilia: ergo admittit gratiam sufficientem in justis ad ea observanda. Ex his sequitur 4to. hanc primam Jansenii propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, Constitutionibus summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. merito esse damnatam ut temerariam, quia est contraria communi Catholicorum sententiæ: ut blasphemam, quia derogat justitiæ Dei, & fidelitati in promissis: ut hæreticam, quia pugnat contra verbum Dei, & definitionem Ecclesiæ. Ratio est 5to. Justi tenentur & possunt observare mandata Dei: sed hoc possunt solum per gratiam sufficientem (§. 348. juncto §. 352.): ergo datur illis gratia sufficiens.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Jansenius negat, justis conferri a Deo gratiam vere sufficientem, per quam tentationes superare & mandata observare possint. I. Quia homo sine gratia efficaci nil boni ad salutem pertinens præstare potest, *Joan.* 6. *v.* 43. *Nemo venit ad me, nisi Pater... traxerit eum*. *Resp.* S. Scriptura sæpe loquitur de gratia præveniente ad singulos bonos actus necessaria; trahere enim indicat, quod gratia voluntatem, non voluntas gratiam præveniat. II. Concilia & Patres de sola gratia efficaci justis

concessa loquuntur, quia statuunt, sine gratia nihil boni fieri posse (§. 346.). *Resp.* Concilia & Patres solum contra Pelagianos necessitatem gratiæ in genere astruunt, & volunt esse efficacem cum agimus, sed sufficientem non excludunt. III. S. Augustinus *l. de grat. Christi c.* 11. a Pelagio poscit, ut eam ex fide Catholica gratiam fateatur, qua bonum non tantum suadetur, sed etiam persuadetur. Et *l. de dom. persev. c.* 22. docet, Deum a justo non prædestinato *subtrahere obediendi vires*, & consequenter gratiam sufficientem, quod tamen ob populi scandalum non vult aperte dici. Et *de corrept. & grat. c.* 6. dicit, Deum quibusdam justis *perseverantiam in bono non dare*. Et *de perf. justit. c.* 8. ait, justum ex præsenti gratia aliquando *non posse certa aliqua mandata observare*: et quidem hoc ex pœna peccati originalis. *Resp.* In primo loco S. Augustinus probat, gratiam internam esse necessariam, quæ subinde est efficax, subinde sufficiens. In secundo loco omnino illam propositionem reprobat, & in responsione ad 12. ait: *Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit: sed ideo non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit*. In tertio loco agit de actuali perseverantia, non de potentia perseverandi. In quarto loco vult, justum potentia consequente c onjuncta cum actu quædam mandata observare non posse sine gratia efficaci; bene tamen potentia antecedente, quatenus orare potest, ut uberiorem gratiam accipiat. IV. S. Petrus fuit justus eo tempore, quo Christum negavit: sed tunc defuit illi gratia sufficiens; nam Christus ipse, *Joan.* 13. *v.* 36. dixit: *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea*. *Resp.* S. Petrus, quando Christum negavit, ab interna justitia jam defecit. Deinde S. Petrus non habuit quidem tunc gratiam efficacem, habuit tamen sufficientem. Verba Christi solum innuunt, S. Petrum tunc non moriturum esse, cum necdum haberet mandatum moriendi.

Gratia sufficiens omnibus vel præparatur, vel datur.

§. 356. Gratia sufficiens omnibus conceditur vel in præparatione, vel in executione. Ita 1*mo.* docet S. Scriptura, *Ezech.* 33. *v.* 10. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur*: 1. *ad Tim.* 2. *v.* 4. *Deus vult, omnes homines salvos fieri* (§. 87.). Ergo media ad salutem necessaria & gratiam sufficientem illis confert, vel saltem præparat. 2*do.* Concilium Valentinum III. *can.* 2. ait, malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt. Et Tridentinum dicit, *Deum nos adjuvare, ut possimus*. 3*tio.* Innocentius I. in *Ep. ad Conc. Carthag.* ait: *Quotidiana præstat homini remedia*. Et S. Augustinus *l.* 3. *de lib. arbitr. c.* 22. *Accepit au-*

tem homo, ut pie & diligenter quærat, si velit. 4to. Ratio est: Deus serio vult omnium hominum salutem (§. 87.). Sed hæc non est possibilis sine gratia saltem sufficiente (§. 346.). Ergo omnibus eam vel confert, vel saltem præparat.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Lutherus & Calvinus docent, iis omnibus deesse auxilium sufficiens, qui non sunt prædestinati. I. Quia S. Augustinus *Ep.* 207. ait: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari.* Et *l. de corrept. & grat. c.* 11. *Nunc quibus deest tale adjutorium, pœna peccati est.* *Resp.* S. D. loquitur de gratia efficaci & justificationis, non vero de gratia sufficiente. II. Si S. Augustinus voluisset admittere gratiam sufficientem in omnibus, potuisset ex hoc capite facile refutare Monachos Adrumetinos conquerentes, se injuste corripi, quod id non facerent, ad quod gratiam non haberent: quod tamen non facit, sed causam negatæ gratiæ rejicit in peccatum originale. *Resp.* S. D. probat etiam eos injuste conqueri, quia acceperunt gratiam sufficientem, per quam efficacem impetrare poterant: *Orent*, ait, *ut, quod nondum habent, accipiant.* Originale autem tantum radicale motivum rejectionis est in iis, quibus remissum est (§. 102. Schol. 4.); & ibi loquitur S. D. de infidelibus.

An infidelibus dentur gratiæ sufficientes? *Schol.* 2. Quærunt hic Scholæ salva fide, nam juxta D. Tournely hoc unum est de fide, justis non deesse gratiam, qua mandata Dei illis possibilia fiant, an etiam infidelibus dentur gratiæ sufficientes. Verosimilius est, etiam infidelibus dari quasdam gratias sufficientes vere & proprie dictas, quibus mediate & fidem & salutem obtinere possint, & non tantum has gratias illis præparari, uti vult P. Gonet. Probatur hoc 1. *ad Rom.* 1. *v.* 20. ubi gentes dicuntur ex rebus creatis potuisse Deum cognoscere, glorificare, & ad ejus cultum & amorem excitari, ita ut inexcusabiles sint, quia cum cognovissent eum, non sicut Deum glorificaverunt. Sed excusari possent, si omni gratia interna destituti fuissent, cum gratia externa sine interna nihil ad motum veræ pietatis conferat (§. 346.). Ergo hac non destituti fuerunt. 2. S. Augustinus *in Ps.* 57. ait: *In ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri..... Sed ne homines sibi aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant.* Et S. Prosper *de voc. gent, c.* 14. *Adhibita semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Et Orosius in *apol. de arbit. libertate. Mea semper hæc est fidelis & indubitata sen-*

tentia, Deum adjutorium suum .... universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare. 3. Deus vult serio omnes salvos fieri (§. 87.). Ergo etiam media & gratiam sufficientem ad hoc illis confert. Non obstat I. quod fides sit prima omnium gratiarum: ergo cum infideles non habeant fidem, nec habent gratiam sufficientem. *Resp.* Fides inchoata & imperfecta, scilicet cognitio Dei, est prima gratia, non vero fides perfecta & explicita in Christum, quæ quidem est prima gratia, qua juste vivitur, & ad gratiam sanctificantem homo proxime disponitur; non vero est prima gratia absolute, quo remote disponitur. Fides autem inchoata juxta S. Augustinum *de prædest. c.* 8. quibusdam non datur quoad actum, quia non omnes credunt, datur tamen quoad posse saltem remotum. II. Sic non daretur ignorantia invincibilis fidei, & Ecclesia frustra oraret pro infidelibus, ut Deus eos ad fidem adducat. *Resp.* Ignorantia Evangelicæ fidei in infideli talis est, ut moraliter vinci non possit ex certa & deliberata intentione, quia medium ad eam vitandam confuse solum illi proponitur, licet absolute vinci possit, adeoque est invincibilis. Orat autem Ecclesia pro infidelibus, ut Deus præter illas gratias, quibus mediate ad fidem pervenire possunt, hoc est majora gratiæ auxilia impetrare, iisque mediantibus fidem obtinere, det illis gratiam, ut ad fidem immediate perveniant, quæ gratia fidei *non est omnium*, 2. *ad Thess.* 3. *v.* 2. III. Gratia sufficiens est illuminatio mentis & excitatio voluntatis, quam Deus in nobis operatur: sed infideles hanc non sentiunt: ergo non habent; imo juxta S. Augustinum *serm.* 154. gratia Christi infidelibus non datur. *Resp.* Infideles illam inspirationem non sentiunt, id est non reflectunt, nec a Deo esse intelligunt, licet sentiant. Item non habent gratiam Christi resurrectionis gloriosæ justorum, habent tamen gratiam Christi, qua remote ad eum converti possunt. IV. *Act.* 14. *v.* 15. Deus dicitur in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas. Et *c.* 16. *v.* 6. Paulus & Timotheus prohibentur a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia: ergo gratia sufficiens illis concessa non fuit. *Resp.* Ex primo solum colligitur, illis gentibus tam copiosam gratiam concessam non esse, qualis aliis obtigit, non vero nullam. Eodem modo Asiaticis tunc quidem gratia fidei data non fuit, sed nullam collatam esse, plane non sequitur.

Scbol. 3. Excæcati etiam & obdurati non privantur omni auxilio gratiæ sufficientis. Ita contra P. Gonet docentem, illud tantum excæcatis exhiberi, colligimus ex testimoniis S. Scripturæ (Schol. præc.) citatis: quibus *An excæcatis detur gratia sufficiens?*

accedit S. Augustinus *in Ps.* 6. scribens: *Ea est cæcitas mentis, in eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.* Quo etiam referri possunt generalia S. Augustini placita: scilicet, mandata Dei non esse impossibilia: neminem in eo peccare, quod cavere nequit: illos a peccato excusari non posse, qui obtendunt, se gratiam non accepisse: quæ omnia non tenerent, si excæcati carerent omni auxilio gratiæ sufficientis. Non obstat I. quod *Joan.* 12. *v.* 39. dicatur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Et alibi cor Pharaonis induratum fuisse dicitur. Ergo induratis non datur gratia sufficiens. *Resp.* Judæi excæcati non poterant credere impotentia consequente & voluntaria, quia nolebant, vel in sensu composito excæcationis; non vero impotentia antecedente involuntaria, & in sensu diviso. Item Deus non induravit Pharaonem positive impertiendo malitiam, sed negative non impertiendo misericordiam & gratiam efficacem ob peccata, quibus gratiæ sibi datæ restitit. II. S. Augustinus *in Ep. ad Rom.* ait, Pharaoni non imputari, *quod non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Et *Ep.* 194. ait, Deum indurare *non impertiendo misericordiam.* Et *l. de nat. & grat. c.* 22. *Nec cogitat prævaricatorem legis, quem digne lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cæcus.* *Resp.* S. D. primo loco vult, inobedientiam Pharaoni imputari non tantum ratione sui, sed etiam ratione causæ, scilicet prioris infidelitatis. In altero loco loquitur de gratia efficaci. In tertio de impotentia consequente, & voluntaria, non de antecedente. III. 2. *Machab.* 9. *v.* 13. Antiochus *oravit Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Et *ad Hebr.* 12. *v.* 17. *Esau non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Et *Eccl.* 7. *v.* 14. *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* *Resp.* Antiochus pro doloris solatio, non pro peccati remedio orabat. Et Esau deflebat ablata sibi primogenita, non peccata. Et illud: *nemo potest corrigere,* denotat, quod difficile sit corrigere: vel melius: *nemo potest corrigere* defectum physicum curvitatis; nam in Hebræo sequitur אשר עיתו, quod *curvavit, depravavit,* significat.

An Deus omnibus infantibus det media ad *Schol.* 4. Deus etiam omnibus infantibus media ad salutem necessaria præparavit, ac de illis applicandis sufficienter, quantum ex se, providit. Est contra Vasquez *in* 1. *S. Th. d.* 96. *c.* 2. qui putat, Deum infantibus in ute-

rô matris, vel jam natis & sine culpa parentum sine Baptismo morientibus, de applicatione medii ad salutem sufficientis non providisse. Probatur autem 1. ex eo quod Deus vere & sincere velit, omnes homines salvos fieri (§. 87.). Ergo etiam infantes. Sed otiosa & sterilis non esr hæc Dei voluntas (loc. cit.). Ergo Deus vi illius etiam parvulis præparavit media salutis necessaria; & de iis applicandis sufficienter, quantum est ex se, providit; alias vix defenditur, quod Deus velit, omnes salvos fieri. 2. S. Prosper *l. 2. de vocat. gent. c. 20.* ait: *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus.* Non obstat I. quod S. Augustinus *de don. persev. c. 12.* dicat, Baptismum subinde Deo nolente, parvulis non dari. *Resp.* Deum nolle voluntate consequente, quia ut Provisor universalis non tenetur perturbare ordinem naturalem causarum secundarum; vult tamen voluntate antecedente. II. Deus eum naturæ cursum instituit, in quo prævidit futurum, ut infans moriatur, priusquam Baptismus illi conferri possit: ergo non providit de mediis sufficientibus. *Resp.* Deus directa voluntate eum naturæ ordinem non instituit, ut infans ante Baptismum moriatur, sed velut Provisor universalis nostro concipiendi modo prius certum ordinem causarum secundarum instituit, antequam de remedio salutis infantium quidquam decrevit: si in hoc cursu infans ita constituatur, ut vi naturæ mori debeat, in voluntatem Dei directam non recidit, quod salutis remedio actu privetur, sed tantum in voluntatem ejus permissivam, & causas secundas, quarum cursum perturbare non tenetur.

salutem necessaria?

§. 357. Hucusque de gratia sufficiente egimus: antequam vero de gratia efficaci tractemus, divisio gratiæ actualis in operantem, prævenientem seu excitantem, & cooperantem, adjuvantem, concomitantem & subsequentem (§. 343. Schol. 2.) confirmanda est. Et quidem gratia operans colligitur *ad Philipp. 2. Deus, qui operatur in nobis velle & perficere.* Gratia cooperans ex 1. *ad Cor. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum.* Utramque insinuat Concilium Arausicanum II. *can. 9. Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et S. Augustinus *l. de grat. & lib. arbitr. c. 17.* ait: *Cooperando in nobis Deus perficiet, quod operando incepit, quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Gratia præveniens indicatur *Ps. 58. Misericordia ejus præveniet me.* Gratia excitans, *Apoc. 3. Sto ad ostium, & pulso.* Gratia subsequens, *Ps. 21. Misericordia ejus subsequetur me.* Gra-

Gratia dividitur in operantem & cooperantem &c.

tia adjuvans, *Ps.* 69. *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Accedit S. Augustinus in *Ench. c.* 32. & *l.* 2. *de peccat. mer. c.* 18. Et ipsa Ecclesia, quæ Deum modo orat, ut excitet fidelium voluntates, modo ut actiones eorum, quas aspirando prævenit, adjuvando prosequatur. Et Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. ait: *Disponuntur ad justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum.*

Gratia operans & cooperans quid? *Schol.* Gratia actualis dicitur operans, quatenus intellectum & voluntatem ad agendum applicat: cooperans vero in quantum cum illis potentiis ad agendum applicatis producit actionem (§. 343. Schol. 2.). Nam gratia dicitur operans respectu illius effectus, in quo mens nostra est mota, & non movens: cooperans vero respectu illius, in quo mens nostra & movet, & movetur, juxta S. Thomam *art.* 2. Sed respectu illius effectus, qui est applicare voluntatem ad agendum, voluntas est mota & non movens, cum ad illam voluntas mere passive se habeat, recipiendo Divinam motionem: respectu vero alterius se habet ut movens & mota, cum operationem & consensum voluntatis non solus Deus, sed etiam voluntas efficiat. Ergo &c.

Gratia efficax quid? §. 358. Gratia efficax est, quæ certam & infallibilem habet cum effectu seu bono opere connexionem, seu quæ certo & infallibili influxu consensum voluntatis semper exprimit.

Datur gratia efficax. §. 359. Datur in statu naturæ lapsæ Gratia efficax. Ita patet 1mo. ex S. Scriptura. *Ezech.* 36. *v.* 27. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Joan.* 6. *v.* 37. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Ad Philipp.* 2. *v.* 13. *Deus operatur in nobis & velle & perficere.* 2do. Accedunt Patres: Tertullianus *de anim. c.* 21. *Erit vis Divinæ gratiæ potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.* Et S. Augustinus *l. de præd. SS. c.* 8. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* 3tio. Homo ad posse operari eget gratia sufficiente (§. 354.). Ergo, ut actu operetur, eget gratia efficaci, quia non minus ad posse quam ad operari in ordine supernaturali maxime proportionatus non est.

Efficacia gratiæ non repetitur ex §. 360. Efficacia gratiæ non debet repeti ex delectatione superiori, seu per gradus relative victrice necessitante. Probatur 1mo. ex S. Scriptura, quæ liberum homi-

nis arbitrium ubique astruit, maxime *Eccli. c.* 15. & 31. uti alibi probabitur; per gratiam autem efficacem necessitantem hoc tolleretur, uti ex alibi dicendis constabit. 2do. S. Augustinus *de Spiritu & litt. c.* 31. ait: *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Et *c.* 34. *Agit Deus, ut velimus & credamus... sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* 3tio. Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 4. definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse dissentire, si velit: sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Hic Concilium duos errores damnat: primum Lutheri, quo prius docuerat, liberum arbitrium ad motiones gratiæ passive velut instrumentum inanime se habere, & declarat, ipsum agere, & gratiæ cooperari assentiendo. Secundum, quo Lutherus cum Calvino ac deinceps Jansenius asseruit, liberum arbitrium sic motum necessario, quamvis non coacte, gratiæ assentiri & cooperari, & definit, posse dissentire, quod denotat libertatem a necessitate. Concilii definitionem confirmarunt Innocentius X. & Alexander VII. hanc propositionem Jansenii damnantes: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Qui enim docet, gratiam seu delectationem cœlestem victricem necessitatem inferre, is docet, ad meritum & demeritum sufficere libertatem a coactione. Sed hoc docet Jansenius (§. 552. Schol. 1.). Plura alibi.

delectatione necessitante.

Schol. 1. Jansenius efficaciam gratiæ reponit in delectatione victrice indeliberata & necessitante, ubi quoad rem sentit cum Calvino (§. 552. Schol. 1.). Probat hoc I. quia S. Augustinus *l.* 3. *de peccat. mer. c.* 19. Christi gratiam vocat cœlestem & *victricem delectationem*. Et in *Ep. ad Gal.* ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* *Resp.* S. D. non ait, tali delectatione voluntatem necessario ad consensum pertrahi, cum ibi hortetur ad refrænandam illicitam delectationem, & agnoscat, voluntatem ei aliquando resistere, dicens *c.* 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat.* Et in altero loco loquitur de delectatione deliberata subsequente liberam voluntatis electionem, ita ut sensus sit: necesse est, ut operemur id, quod magis deliberate amamus, & quod practice nobis magis placet: quæ necessitas non est absoluta, sed hypothetica, non antecedens, sed consequens nostram libertatem. II. S. Augustinus *l.* 1. *ad Simplic. c.* 2. ait:

Solvuntur objectiones.

Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Resp. S. D. hic loquitur de delectatione indeliberata, quam producit gratia, per quam fit, ut voluntas in actu posita possit se libere movere in ulteriorem actum deliberatum, mediante tamen ulteriori gratia voluntatem ad id movente: adeoque non agit de delectatione necessitante.

In quo consistat efficacia gratiæ ex Molinæ sententia?

Schol. 2. Celebris hic in Scholis ventilatur quæstio, in quonam efficacia gratiæ consistat. P. Ludovicus Molina reponit efficaciam gratiæ in consensu voluntatis, ita ut non gratia voluntatem, sed voluntas gratiam determinet, efficiatque per consensum, ut gratia sit efficax; per dissensum vero, ut sit inefficax, & mere sufficiens. Hanc suam sententiam esse novam & Patribus incognitam ultro fatetur Molina *q.* 23. *art.* 4. *disp.* 1. putatque, ad conciliandam libertatem hominis cum gratia esse aptissimam. Verum hic modus conciliandi S. Augustino & cognitus, & ab eo rejectus fuit, uti patet ex *l. de grat. Christi c.* 47. ubi expendens, quod Pelagius scripserat, posse velle, & posse agere esse a Deo, qui naturam contulit: velle autem, & agere esse a nobis & ex libero arbitrio, subjungit: *Si consenserit nobis Pelagius, ipsam etiam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Ex quibus verbis colligitur quidem, Molinam non esse Pelagianum & hæreticum in mente S. Augustini, qui Pelagium absolvit, modo saltem admittat, id quod re vera admittit Molina, nos actu nec bene velle, nec bene agere absque auxilio sine quo, seu gratia sufficiente. Sed S. D. hunc modum conciliandæ gratiæ cum libero arbitrio nunquam admisit, utpote S. Scripturæ minus conformem. Nova hæc Molinæ doctrina plurium animos statim offendit, ac primo proscripta in Academia Lovaniensi, & Duacensi, tandem ad Sedem Apostolicam delata est. Hinc celebratæ sunt famosæ Congregationes *de Auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. quarum acta a diversis edita fuerunt; judicium tamen Papæ hactenus non exiit, ac proinde hæc sententia ab Ecclesia expresse damnata dici nequit. Nihilominus hæc sententia a pluribus Theologis rejicitur, 1. quia S. Scriptura tribuit gratiæ efficaciam antecedenter ad consensum voluntatis, *ad Philipp.* 2. *Deus operatur in nobis & velle & perficere.* Non ait Apostolus: operatur in nobis posse velle, quod est proprium gratiæ sufficientis, sed

ipsum velle, id est ipsum consensum efficaciter operatur: 1. *ad Cor.* 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed si gratia solum dat posse, voluntas vero consensum, per quem gratia fit efficax, qui consentit, habet quo se discernat a non consentiente simili gratia adjuto, nempe per consensum, quem dedit, habet aliquid, quod non accepit, unde gloriari potest (§. 73. Schol. 2.). Item *ad Rom.* 5. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Ex quo infert S. Augustinus *l. ad Simplic. q.* 2. *Non igitur ideo dictum putandum est, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione volumus*. 2. Molina ipse fatetur, sententiam suam esse novam & Patribus incognitam: ergo vel ex hoc capite deserenda est, juxta principia in *diss. proœm.* 3. In sententia Molinæ gratia efficax ab humano arbitrio dependeret, & ab eo esset impedibilis, & sic esset efficax, & non esset (§. 92. Schol. 3.), rueret certitudo Divinæ scientiæ & prædestinationis (§. 72. Schol. 4. & §. 73. Schol. 2.). Et denique Pelagius on solum refutatur a S. Augustino, quod reponeret posse in natura, adeoque negaverit gratiam sufficientem internam, in quo differt sententia Molinæ ab hæresi Pelagii; sed quod dixerit, præter gratiam sufficientem liberum arbitrium alio auxilio non indigere, ut bonum supernaturale velit & perficiat cum concursu Dei generali.

Schol. 3. P. Suarez sententiam Molinæ temperavit, & docuit, gratiam efficacem consistere in congruitate & attemperatione illius cum libero arbitrio, in talibus circumstantiis posito, in quibus Deus per scientiam mediam (§. 73. Schol. 1.) prævidit, hominem gratiæ consensurum, si illi in istis circumstantiis conferatur. Unde docet 1. Deum alios præ aliis velle efficaciter vocare (§. 94.). Sed ne bona illa voluntas libertati noceat, vult 2. Deum per scientiam mediam explorare, quid voluntas humana esset actura, si in his vel illis circumstantiis daretur gratia, & cum prævidit, eam sub hac conditione consensuram, tum demum decernere gratiam, quæ ideo dicitur congrua, quia a Deo exit tempore opportuno, & in talibus circumstantiis voluntatem prævenit, ut quamvis ex entitate sua sit solum sufficiens, prout tamen a Deo dirigitur per scientiam mediam, infallibiliter habitura sit effectum. Hinc fit, ut efficacia gratiæ a consensu voluntatis quidem petatur, ita ut sit efficax, quia voluntas consentit, nec tamen fit, ut qui consentit, possit se discernere ab alio, qui non consentit; non enim propriæ voluntatis est, quod præ alio gratiæ consenserit, sed sin-

Congruistarum sententia.

gularis Dei beneficii, quod gratia opportuniori tempore eum prævenerit. Hanc sententiam defendebant Patres S. J. ex decreto Præpositi Generalis Aquaviva, qui anno 1613. cavit, ne in Societate propugnaretur sententia P. Molinæ sine hoc temperamento. Hæc sententia multis iterum non placet, 1. quia S. Scriptura efficaciam gratiæ repetit ex absoluto Dei dominio in voluntates humanas, docetque Deum pro libitu eas immutare, etiam in circumstantiis minus congruis: *Ezech.* 11. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Non expectat hic Deus congruas dispositiones, nec captat tempus opportunius, sed potenter efficit, ut operetur. Sic cor Assueri in mansuetudinem, *Esth.* 15. Latronis in cruce in pœnitens in circumstantiis minime congruis convertit. Quid congruum in circumstantiis, in quibus efficaciter vocati sunt Jacobus & Joannes reficientes retia, Matthæus sedens in telonio, Saulus spirans cædis & minarum? Certe Deus diceretur valde improprie dare velle & perficere, *ad Philipp.* 2. dare Spiritum bonum, auferre cor lapideum, si alium trahit in suam sententiam explorando ejus animi propensionem, & captando locum & tempus opportunum, & in his circumstantiis eum ponendo, in quibus ille consentiet. 2. Hæc sententia nititur scientia media, quam multi rejiciunt (§. 73. Schol. 2.). Item prædestinatio penderet a meritis prævisis, quod iterum plures negant (§. 99. Schol. 2.): imo etiam prædestinatio ad gratiam præsupponeret, si non merita, saltem dispositiones & prævisum consensum voluntatis, si gratia concederetur, & sic efficacia gratiæ esset ex consensu præviso, quod modo (Schol. præc.) rejectum fuit. Item hic modus captandi occasiones ad alliciendas voluntates liberas, est Deo indignus, & solis creaturis competit, quia Deus immediate dominatur voluntatibus nostris, & dat illis non solum esse liberum, sed etiam velle & operari liberum. Denique hæc sententia denegat Deo imperium in voluntates humanas, & liberum arbitrium ita independens facit, & dominum suorum actuum, ut Deus ipse, ne illud juribus concessis spoliet, & nullam necessitatem illi inferat, teneatur se ad ejus nutum fingere, & observare, quæ foret ejus propensio in prævisis circumstantiis, ut ab illo obtineat, quod intendit. Dicunt quidem Congruistæ I. *Luc.* 10. fieri mentionem gratiæ congruæ, ubi eadem gratia in Corozaitis non habuit effectum, quem tamen in Tyriis, si data fuisset, habuisset: ergo efficacia est a congruis dispositionibus subjecti. Sed alii *Resp.* hoc gratiam in Tyriis non ratione sui habuisse, sed ratione alterius, scilicet auxilii efficacis adjuncti. II. Citant S. Augustinum, qui *l.* 1. *ad*

Simplic. c. 2. ait, ex multis uno modo vocatis eos solos sequi vocationem, qui ei capiendæ idonei reperiuntur. *Resp.* S. D. non loquitur de idoneitate, quæ in libero arbitrio, sed in gratia concessa, scilicet efficaci, consistit. III. Auxilium quodcumque est ab homine frustrabile, quia illi dissentire potest. Ergo non est ex se efficax. *Resp.* Est solum in sensu diviso frustrabile, non vero in sensu composito. Vid. §. 92. Schol. 3.

An gratia sit efficax ab intrinseco?

Schol. 4. Multi Theologi cum Thomistis docent, gratiam efficacem esse talem ex omnipotentissima Dei voluntate, & supremo dominio in nostras voluntates, adeoque est per se efficax ex natura sua ab intrinseco, non tantum infallibilitate scientiæ, sed etiam causalitatis, ita ut infallibiliter consensum voluntatis inferat. Nam 1. ita docet S. Scriptura, uti ex dictis patet, cum neque ex consensu voluntatis (Schol. 2.), neque ex congruitate (Schol. 3.), sit efficax. 2. Ita docet S. Augustinus, qui *l.* 1. *de pecc. mer. c.* 9. vocat gratiam efficacem Spiritus S. *occultissimam gratiam. l. de grat. Christi c.* 24. *internam potestatem. l.* 4. *contra Jul. c.* 8. *omnipotentissimam voluntatem. l. de corrept. & grat. inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem.* Et S. Th. *q.* 6. *de malo* ait: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest.* 3. Gratia habet suam efficaciam a decreto Divino: sed decretum Dei est ab intrinseco efficax (§. 92. Schol. 3.): ergo & gratia. Item Prædestinatio est certa certitudine causalitatis (§. 99. Schol. 2.). Ergo & gratia tamquam præstantissimum medium ad gloriam est certa certitudine causalitatis respective ad consensum liberum. 4. Accedunt orationes Ecclesiæ, quæ precatur, ut omnem bonam voluntatem & consensum Deus in nobis efficiat, dum orat Dom. IV. post Pascha: *Da populis tuis id amare, quod præcipis.* Et Sabb. post Dom. IV. Quadr. *Ad te nostras etiam rebelles compelle voluntates.*

Unde intrinseca gratiæ efficacia, an a coacervatione auxiliorum?

Schol. 5. Qui admittunt gratiam per se efficacem, ejus efficaciam diversimode explicant. Thomassinus efficaciam gratiæ reponit in multitudine & coacervatione auxiliorum, quæ simul sumpta contumacem animum frangunt, & eo ducunt, quo voluntas Dei vocat. Sed hæc sententia non solvit nodum difficultatis; nam adhuc quæritur, undenam hæc auxilia sint efficacia.

An per præmotionem physicam? Thomistarum sententia.

Schol. 6. Thomistæ, sicuti in Philosophia docent, ad actus naturales non sufficere Dei concursum, ut vere dicatur primus omnium rerum motor, sed requiri præmotionem physicam, per quam causa secunda ad operandum determinatur: ita ad actus supernaturales necessaria est præmotio physica supernaturalis, per quam creatura ad

agendum, id est intelligendum & volendum actum supernaturalem determinatur, in qua efficacia gratiæ consistit. Quid autem sit hæc præmotio physica, non eodem modo explicant: alii putant esse nudam applicationem causæ secundæ ad agendum: alii in decreto Dei extrinseco: alii in qualitate transeunter impressa & superaddita voluntati, sive in motione virtuosa, qua ejus impotentia & indifferentia ad eliciendum actum supernaturalem tollitur & physice prædeterminatur, constituunt. Hoc probant 1. quia per gratiam efficacem voluntas in actus supernaturales influit physice, siquidem per illam constituatur ut principium actuale physicum, sicuti per habitum supernaturalem, & gratiam sufficientem constituitur principium habituale physicum: ergo in hac præmotione physica supernaturali consistit efficacia gratiæ. 2. Motio, qua Deus influit in operationes creatas naturales, est physica, uti probant Thomistæ in Philosophia; tum ex S. Thoma, qui *q. 3. de pot. a. 4. ad* 3. ait: *Operatio naturæ est etiam operatio virtutis Dei, sicuti operatio instrumenti est per virtutem principalis agentis*. Adeoque operatio Dei est in causam, & non solum in effectum. Et 1. *p. q.* 105. *art.* 5. ait, Deum applicare & movere ad actionem: tum quia sine hac præmotione non salvatur dependentia causæ secundæ a prima, si nihil a prima accipiat, sed seipsam determinet & moveat, & si Deus ex parte principii agendi seu determinationis ad agendum, & sic prævie non concurrat: ergo etiam illa motio physica erit, qua influit in actiones supernaturales, quia quoad has creatura æque dependet a Deo, ut Auctore gratiæ, ac quoad naturales dependet a Deo ut Auctore naturæ: consequenter est præmotio supernaturalis. Verum cum hæc præmotio physica etiam ad quamcumque actionem creaturæ requiratur juxta Thomistas, & vix clare explicari possit, quidnam sit hæc præmotio, & quomodo physice moveat, & in quo supernaturalitas illius consistat, & difficulter probari queat, an hanc præmotionem supernaturalem S. Augustinus & S. Thomas asseruerint; hæc sententia multis Theologis non omnino pro explicanda intrinseca gratiæ efficacia satisfacit.

A delectatione victrice est efficacia gratiæ.

Schol. 7. Verosimilior igitur est sententia RR. PP. Augustinianorum, & Cl. D. Habert *Tom.* 2. qui efficaciam gratiæ docent consistere in præveniente delectatione eaque victrice non necessitante, sed moraliter determinante. Hanc sententiam ita explicat D. Habert. 1. Delectatio spiritus duplex est; alia *præveniens* seu complacentia in bono ab intellectu cognito & voluntati proposito, quo illa suaviter illecta excitatur, & pondere amo-

ris inclinatur ad bonum illud prosequendum: alia est *consequens*, quæ est quies in bono obtento & possesso, diciturque fruitio, & in eo a delectatione præveniente differt, quod hæc præcedat omnem motum liberi arbitrii, & illud excitet tum ad consensum, tum ad opus; illa vero sit fructus bonorum operum. Certum porro est, nec in delectatione consequente, nec in delectatione & suavitate ex delectatione spiritus in corpus subinde derivata efficaciam gratiæ consistere, utpote quæ sunt gratiæ efficacis effectus. 2. Delectatio præveniens est causa omnium actuum humanorum, tum quia S. Augustinus *l. 14. de Civ. c. 7.* ait: *Recta voluntas est bonus amor, & voluntas perversa, malus amor.* Et S. Thomas 1. 2. *q. 28. a. 6. ad 2.* dicit: *Omnis actio procedit ex amore:* tum quia voluntas nec velle nec amare potest bonum, nisi illi placeat: tum quia finis bonitate sua primario voluntatem movet motu complacentiæ & delectationis; secundario vero motu vel timoris, ne auferatur bonum concupitum, vel tristitiæ & doloris, si eo privetur: tum quia omnis homo semper agit ex amore & complacentia ultimi finis seu beatitudinis universim spectatæ, quæ sola appetitum explere potest. Omnis proinde animi motus ex amore & complacentia boni exurgit; inde ira contra eos, qui nos in consecutione vel possessione rei amatæ interturbant; inde odium eorum, qui eam nobis rapere volunt, & sic de cæteris. Ex quo 3. sequitur, velle, amare, delectari quoad rem esse fere Synonima, & omnem voluntatis motum esse volitionem & complacentiam, adeo ut voluntas, sive ex odio, sive ex timore &c. agat, sit volitio seu complacentia in bono, & voluntas simpliciter velit, & amet, licet secundum quid nollet, & quodammodo invita ad sic agendum se determinet. Voluntas tamen non potest velle vel amare, nisi bonum saltem apparens, & repugnat, voluntatem velle & amare bonum, nisi illi placeat & suaviter moveat; ne vero malum sub falsa boni specie decipiat, vel verum bonum non alliciat, hoc Dei gratia est, quam petit Ecclesia: *Da populis tuis id amare, quod præcipis.* 4. Denique certum est, internam mentis illustrationem non sufficere, ut quis velle & operari possit in ordine ad vitam æternam, sed requiri insuper internam supernaturalem voluntatis motionem (§. 345. 346.), quæ solet vocari volitio, complacentia, amor, delectatio, suavitas, pia affectio. Ex his concluditur, efficaciam gratiæ consistere in præveniente delectatione spirituali supernaturali, eaque victrice & moraliter determinante, ita ut in gratia efficaci sit aliquid physicum, & aliquid morale: nam ipsa motio est entitas physica divinitus immissa, quæ tamen

non physice determinat, uti volunt Thomistæ, sed moraliter, ita ut ejus causalitas sit moralis, quia gratia interior delectando seu alliciendo operatur, sicut innatus vitæ amor determinat ad mortem fugiendam: unde non tantum movet objective veluti doctrina auditores, quod falso Pelagius asseruit. Probatur hæc sententia 1mo, quia in S. Scriptura gratia vocatur *unctio*, 1. *Joan.* 2. *Lætitia salutaris Dei*, *Ps.* 50. *Dilatatio cordis*, *Ps.* 118. Ex quibus efficacia gratiæ in cœlesti delectatione non incongrue colligitur. 2do. Hæc sententia ex variis S. Augustini libris aperte probatur: pauca hic attulisse sufficiat: Sic *lib. de Spir. & litt. n.* 51. ait: *Quando inspirata gratiæ suavitate per Spiritum S. facit Deus plus delectare quod præcipit, quam delectat, quod impedit*, tunc carnis voluntas vincitur. Et *l.* 2. *ad Bonif. Tunc bonum concupisci incipit, cum delectare incipit, in qua dulcedinis gratia, si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis*. Et *l. de grat. c.* 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda sit, certe sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate dicatur infundere*. 3tio. Patet ex communi hominum sensu: omnes enim gratiam Dei mente apprehendunt ut suavitatem, qua Deus inclinat corda eorum ad ipsum diligendum, & mandata ejus observanda; bonum quippe nec volumus nec amamus, nisi placeat. 4to. Quod vero moraliter determinet, probatur tum ex eo, quia determinatio ad malum moraliter etiam fit per concupiscentiam suaviter allicientem ad bonum apparens: ergo etiam Deus moraliter determinat ad bonum per gratiam suaviter attrahentem: tum quia Deus etiam in ordine naturali talem timorem mortis & amorem vitæ naturæ impressit, qui nos moraliter determinat ad ea fugienda, quæ mortem inferunt, & ea usurpanda, quæ vitam conservant. Vid. D. Habert, qui plurimos celeberrimos Theologos, maxime Isambertum specialiter pro causalitate morali stantem, adducit.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 8. Contra hanc sententiam opponitur I. Deus etiam corda hominum metu gehennæ, rerum fastidio, dolore cruciante, non sola delectatione ad se trahit; imo non semper operamur secundum id quod magis delectat, dicente S. Augustino *l.* 8. *Conf. c.* 8. *Non faciebam, quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox ut vellem, possem*. *Resp.* Qui metu pœnarum & doloris cruciatu acquiescit minitanti, vult liberari a malo, & vitam suam amat, quæ voluntatem suam magis allicit & delectat, quam ea quæ dimittere cogitur: imo etiam seipsos occidentes in brevi morte majus bonum & sua-

vitatem sibi imaginantur, quam in misera vita. Fastidium vero ex eo oritur, quod quis in rebus concupitis quæsitam delectationem non inveniat; hinc ab illis ad magis placens se convertit. S. Augustino continentia speculative in se spectata magis placebat, sed practice & absolute minus quam carnis voluptas. II. Sententia hæc de morali solum causalitate gratiæ efficacis videtur cum Pelagiana convenire, quæ etiam moralem motionem in gratia admisit. *Resp.* Pelagius docebat, quod voluntas nihil aliud sit, quam boni appetitus, & juxta S. Augustinum *l. de grat. c.* 8. eam solummodo gratiam confitebatur, *qua demonstrat & revelat Deus, quid agere debeamus, non quæ donat, & adjuvat, ut agamus.* E contra hæc nostra sententia cum eodem S. Augustino *c.* 10. eam gratiam fatetur, *qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum & amatur.* Hanc gratiam etiam nostra sententia profitetur, quæ cum tota Catholica Ecclesia docet, doctrinam & interiorem mentis illustrationem non sufficere, ut quis velle & operari possit in ordine ad vitam æternam; sed insuper requiri supernaturalem voluntatis motionem, quam delectationem &c. appellamus. III. Sub motione gratiæ per se efficacis seu delectationis victricis voluntas non se determinat, sed determinatur per delectationem victricem: ergo per eam tollitur in voluntate humana libertas indifferentiæ: vel saltem quia victrix illa delectatio oritur tum ex dispositionibus voluntatis, tum ex objecto extrinsecus proposito, & aliis circumstantiis, videmur accedere ad sententiam Congruistarum. *Resp.* Voluntas per delectationem victricem determinatur non physice, sed moraliter per modum suasionis, illectationis, ita ut penes volontatem sit ponere vel non ponere actum, ad quem efficaciter movetur. Cum enim divina voluntas sit efficacissima, ait S. Thomas 1. *p. q.* 20. *a.* 8. sequitur, quod fiant ea quæ vult fieri eo modo, quo vult, scilicet quædam necessario, quædam libere. Deinde delectatio victrix non oritur ex dispositionibus voluntatis &c. sed ex potentissima Dei voluntate immediate & intime humanam voluntatem suaviter inclinantis, per quod nostra sententia differt a sententia Congruistarum. Item differt a sententia Thomistarum, quia motio physica divinitus immissa juxta nostram sententiam non physice, sed moraliter tantum determinat, & delectando seu alliciendo operatur. IV. Explicatio efficaciæ gratiæ per delectationem victricem est nova a Jansenio excogitata, & vel eadem, vel saltem multum conveniens cum Jansenismo; siquidem etiam Jansenii fautores admittunt,

hominem motum victrici delectatione sive cœlesti sive terrena physice & absolute resistere posse, non vero moraliter. *Resp.* Delectationem victricem jam dudum ante Jansenium S. Augustinus, & cum eo Isambertus ex dictis asseruit. Est autem lata inter nostram sententiam & Jansenismum differentia; siquidem nos dicimus, hominem motum delectatione victrici sive cœlesti sive terrena physice, absolute & simpliciter posse ei resistere secundum præsentes quas habet vires: cum e contra Jansenius & ejus defensores in suo libello Innocentio X. oblato per illas voces, posse absolute, & physice, solummodo velint, voluntatem, quæ est potentia physica, sub dicta motione remanere, sed relative ad motiones gratiæ vel concupiscentiæ trahi necessitate simplici & voluntaria, quæ quidem non sit violentia seu coactio, sed tamen determinatio, tam necessaria & antecedens actum, ut ab illo prorsus abstinere non possit, si v. g. delectatio cœlestis sit superior, licet in alio casu, quando terrena delectatio fit superior, etiam ad malum quamvis necessario declinet (§. 352. Schol. 2.). Nos vero ex adverso dicimus, quantumcumque intensa sit delectatio sive cœlestis sive carnalis, hominem physice, absolute & simpliciter & potentia relativa ad ejusmodi delectationem posse resistere, & retinere liberum suum arbitrium; siquidem etiam cum gratia efficaci seu delectatione victrice libere se determinet, utpote quæ voluntatem ingenita libertate non spoliat. Sicuti enim quivis homo veram habet & expeditam mortem sibi inferendi potentiam, quod tamen numquam faciet, quousque amor vitæ in illo prævalet: ita sub quacumque potentissima gratia potentiam habet faciendi malum, ad quod ex seipso sufficit, quod tamen non præstabit, dum gratia Divina illuminatus, ejus suavitate motus ad bonum operandum trahitur & allicitur.

An Adam in statu innocentiæ ad perseverandum gratia efficaci eguerit?

Schol. 9. Augustiniani docent, Angelos & Adamum in statu innocentiæ gratia per se efficaci ad perseverandum non eguisse, sed sola gratia indifferente & versatili a nutu liberi arbitrii pendente. Potissimum eorum fundamentum petitur ex S. Augustino, qui in libro *de corrept. & grat. c.* 10. 11. 12. ut responderet Monachis Adrumetinis, quærentibus, cur Adam fuerit inexcusabilis & merito corripiendus ob peccatum, cum tamen sine sua culpa gratiam perseverantiæ non habuerit: respondet, eum esse inexcusabilem, quia licet non habuerit auxilium efficax ad perseverandum, quale nunc datur prædestinatis, habuit tamen auxilium sufficiens ejus voluntati permissum, cum quo perseverare posset, si vellet, sicuti boni Angeli cum illo per liberum arbitrium perseverarunt. Ideo autem

auxilio efficaci non indiguit, quia ejus natura erat sana & integra, cum e contra nostra sit infirma & vulnerata, adeoque potentiori auxilio juvanda. Hinc *c.* 12. duo adjutoria distinguit: aliud est *adjutorium sine quo* aliquid non fit: aliud *adjutorium quo* aliquid fit. Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non *quo* fieret, ut perseveraret; sed *sine quo* per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis ipsa perseverantia donetur. Hinc nata est famosa distinctio *adjutorii sine quo*, quod Adamo in statu innocentiæ, & Angelis suffecit; & *adjutorii quo*, quod in statu naturæ lapsæ est necessarium. Verum his non obstantibus alii plures & nos cum illis putamus, Adamo in statu innocentiæ & Angelis etiam juxta S. Augustinum, gratiam per se efficacem ad perseverandum fuisse necessariam. 1*mo*. Quia S. Augustinus *l.* 12. *de Civ. c.* 9. ait: *Si Angeli seipsos non potuerunt facere meliores... profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non potuerunt*. Ubi S. D. non de prima, sed secunda voluntate libera & meritoria agit. Ergo egebant gratia efficaci. Et in *Ench. c.* 106. ait: *Homo in paradiso... ut ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi illum, qui eum fecerat, adjuvaret*. Ergo præter gratiam sufficientem, quam Adam in justitia habebat, ut eam teneret, & in ea perseveraret, requirebatur gratia per se efficax: maxime quia *c.* 107. dicit: *Factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio Divino*. Et *c.* 106. *Justitiæ retinendæ non sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur*. Et S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *a.* 3. ait: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis*. 2*do*. Si gratia per se efficax non esset necessaria in statu innocentiæ, esset ideo, quia S. Augustinus hanc necessitatem repetit ex sola infirmitate naturæ lapsæ: sed hoc est falsum, quia eam etiam petit ab omnipotentia Dei, & dependentia creaturæ a Deo *l.* 1. *cont. duas ep. Pelag. c.* 20. *Deus occultissima & efficacissima potestate cor regis convertit*. Ergo S. Augustinus censet, gratiam in omni statu esse per se efficacem. Non obstat I. quod S. Augustinus *l. de corrept. & grat. c.* 12. dicat, Adamum habuisse solum adjutorium sine quo; prædestinatos vero in hoc sta-

tu habere adjutorium quo perseverant. Et Adamum habuisse gratiam minorem, sed lætiorem; gratiam vero Christi esse tristiorem, sed potentiorem. *Resp.* Certum est, Adamum non habuisse adjutorium, quo perseveraret, alias perseverasset; de hoc non quæritur, sed an hoc adjutorio ad perseverandum eguerit. Deinde gratia Christi ordinatur ad difficiliores effectus, scilicet ad sananda vulnera naturæ, & rebellem concupiscentiam vincendam, quam gratia Adami, in quo innocens natura sana erat, & ideo hæc fuit minor, sed lætior; illa tristior est, sed potentior. II. S. Augustinus loc. cit. docet, Deum suam gratiam dimisisse libero Adami arbitrio. *Resp.* S. D. hic non excludit gratiam efficacem, sed tantum assignat causam immediatam perseverantiæ, scilicet liberum arbitrium, salvo jure causæ primæ: vel vult, Adamum non eguisse gratia efficaci sanativa, qualis in statu naturæ lapsæ requiritur. III. S. D. docet loc. cit. Sanctos Angelos stetisse per idem liberum arbitrium. Et in fine *c.* 12. ait, Adamo, si perseverare voluisset, defuturum auxilium, quo Deus operaretur, ut vellet. *Resp.* Angeli steterunt per idem liberum arbitrium identitate virium ex gratia sanctificante & virtutibus infusis, & quoad actum primum: non vero identitate adjutorii, seu quoad actum secundum, ad quem gratia efficax requirebatur. Et in altero loco loquitur de gratia efficaci sanante, de qua potissimum quærit. IV. S. Augustinus loc. cit. necessitatem gratiæ efficacis petit ex infirmitate naturæ lapsæ: ergo non ex necessitate præmotionis physicæ. *Resp.* S. D. loquitur de necessitate auxilii sanantis, non vero simpliciter moventis & applicantis: nam alibi agens de motione Dei loc. cit. *cont. duas ep. Pel. c.* 20. ejus necessitatem repetit ex summa dependentis creaturæ a Deo.

Gratia habitualis quid? §. 361. Explicatis iis, quæ ad naturam, necessitatem (§. 345. & seq.), & divisionem gratiæ actualis spectant (§. 352. 360.); nunc ad gratiam habitualem convertimur. Est autem gratia habitualis seu sanctificans supernaturale Dei donum, animæ intrinsecus inhærens, quo homo formaliter redditur sanctus, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus & hæres vitæ æternæ. Vel: est charitas per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, ipsisque inhærens, per quam signati Spiritu promissionis Sancto efficiuntur divinæ naturæ consortes.

Varia ejus nomina. *Schol.* Gratia habitualis variis nominibus exprimitur. 1. Dicitur *Habitualis*, quia per modum habitus animæ permanenter inhæret, cum e contra gratia actualis sit actus, scilicet illuminatio intellectus & motio voluntatis

transiens. Dicitur 2. *Sanctificans*, quia effectus ejus formalis est, subjectum sanctum efficere. Dicitur 3. *Justificans*, quia formaliter expellit peccatum, & inclinat ad omne opus bonum: justum enim illum dicimus, qui habitualiter dispositus est ad legem implendam. Dicitur 3. *Adoptio*, quia effectus ejus formalis est, facere filios Dei adoptivos, *ad Rom.* 8. unde etiam vocatur semen Dei, 1. *Joan.* 3. *v.* 9. quatenus per illam nascuntur filii Dei & consortes Divinæ illius naturæ. Dicitur 4. *Pignus hæreditatis*, *ad Eph.* 1. *v.* 14. quia est titulus jus tribuens ad gloriam cœlestem, *ad Rom.* 8. *v.* 17. Donum autem hoc triplex est: scilicet ipsa gratia sanctificans, virtutes infusæ, & dona Spiritus Sancti.

Datur gratia sanctificans.

§. 362. Datur igitur gratia sanctificans. Nam *ad Rom.* 5. *v.* 1. dicitur: *Justificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*. Et 1. *ad Cor.* 6. *v.* 11. *Abluti estis .... Sanctificati estis ... Justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Sed hæc Sanctificatio & Justificatio non fit, nisi per gratiam sanctificantem, quæ juxta Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. est unica & formalis causa justificationis. Ergo datur gratia sanctificans.

Gratia sanctificans est quid animæ intrinsece inhærens.

§. 363. De fide est, gratiam sanctificantem esse quid animæ intrinsece inhærens. Probatur hoc 1mo. ex S. Scriptura, ubi Deus dicit, se in justis per gratiam manere & habitare, *Joan.* 14. *v.* 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. 1. *Ad Cor.* 3. *Spiritus Dei habitat in vobis*. Verba: *venire*, *manere*, *habitare*, notant præsentiam Spiritus S. per gratiam intrinsece inhærentem. Item Deus dicitur nos sanctificare per modum *regenerationis*, 1. *Petri* 1. *v.* 3. per modum *creationis*, *ad Eph.* 4. *v.* 24. terminus autem regenerationis & creationis est quid permanens. Item gratia sanctificans dicitur in nobis diffundi per Spiritum S. *ad Rom.* 5. *v.* 3. dicitur *semen Dei*, 1. *Joan.* 3. *v.* 9. *Signaculum Spiritus*, *ad Eph.* 4. *v.* 30. Unde merito Tridentinum *sess.* 6. *can.* 11. definit: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit*. 2do. Probatur ex PP. qui dicunt, gratiam sanctificantem ita esse in homine justo, sicuti ars est in artifice, sanitas in corpore, verbum in mente; uti S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 26. Item dicunt, esse animæ sanitatem, vigorem, novam nativitatem, quæ omnia quid animæ intrinsecum & perma-

nens significant. 3*tio*. Ratio est: quia per justificationem homo non solum desinit esse peccator, sed etiam fit bonus & justus, quód non fit per solam remissionem peccatorum, sicuti non fit albus per solam expulsionem nigredinis; nec per solam denominationem extrinsecam, seu imputationem justitiæ alienæ, quia *justum, & fortem & bonum omnino virum ob opera laudamus*, ait Aristoteles 1. *Eth.* 12.

Lutheri hæresis & systema. *Schol.* 1. Lutherus, cujus hæresis potissimum circa gratiam justificantem & ipsam justificationem versatur, anno 1483. Islebiæ natus, in Schola Magdeburgensi & Isenaci primis litteris imbutus, in Erfurdiensi Academia anno 1505. Magister Philosophiæ creatus, Religionem S. Augustini ingressus, Sacerdos anno 1507. factus fuit. Anno sequenti Wittembergæ Philosophiam publice docuit, ac Roma, quo anno 1510. in causa sui Ordinis missus fuerat, reversus, Doctor & Professor Theologiæ anno 1512. creatus, contra Indulgentias, Purgatorium & Pœnitentias, occasione Indulgentiarum promulgationis RR. PP. Dominicanis concessæ, hæreticis Thesibus pugnavit, cujus doctrinam Leo X. anno 1520. damnavit, & Lutherum refractarium, ejusque sectatores excommunicavit: quem etiam anno 1521. Imperator Carolus V. in Comitiis Wormatiensibus proscripsit, contra cujus tamen decreta Lutherani semper protestati sunt, dicti ideo Protestantes. Anno 1530. Confessio Augustana a Melanchtone composita fuit, cui anno 1537. Articuli Smalcaldici aditti fuerunt; & anno 1580. Liber *Concordiæ* prodiit. Ex his libris symbolicis patet, hoc esse Lutheranorum systema. 1. Illa tenenda sunt, quæ de SS. Trinitate & Christo antiqua Ecclesia in symbolo Apostolico, Nicæno & Athanasiano definit. 2. Scriptura Veteris & Novi Testamenti unicum est principium & norma fidei, quæ cum sit clara, Traditio, Canones Conciliorum, Sententiæ Patrum, Auctoritas & Primatus Romani Pontificis seu Papæ rejicienda sunt. 3. Ex S. Scriptura discimus, Adamum peccasse, ejusque peccatum in posteros ejus propagari; quod peccatum originale in posteris Adæ non tantum est defectus imaginis Divinæ, sed prava concupiscentia. 4. Quia vero Deus serio vult omnium salutem, noluit humanum genus in peccato perire; sed 5. Christum Redemptorem misit, qui pro humano genere non solum satisfecit, sed illi etiam justitiam comparavit. Unde 6. Divina Christi natura humanitatem secum personaliter univit, & cum ea omnem Majestatem suam vere communicavit. 7. Porro per satisfactionem & justitiam Christi hominibus imputatam iis peccata remittuntur & illi justificantur. 8. Imputatur autem hæc Christi satisfactio & justitia ho-

mini, & ille justificatur per solam fidem, non vero ex propriis meritis. Cumque g. nullæ sint in homine vires credendi in Christum aut ad Deum se convertendi, non habet homo aliquid liberi arbitrii in rebus spiritualibus ad salutem spectantibus, sed Spiritus S. homines illuminat, regenerat, & sanctificat. 10. Et hoc Spiritus S. efficit per verbum suum in S. Scriptura. 11. Per hoc quippe movemur, ad Deum convertimur & pœnitentiam agimus, quæ in fide in Christum consistit, & seriam contritionem includit. 12. Contritio autem verbo Legis Veteris ob minas ibi contentas, & fides verbo Novæ Legis vel Evangelii excitatur, quod Evangelium est doctrina de gratuita peccatorum remissione per Christum. 13. Intuitu hujus fidei prævisæ Deus nonnullos prædestinavit, alios vero intuitu incredulitatis finalis reprobavit. 14. Ut vero fides in nobis per verbum Dei facilius excitetur, Christus duo Sacramenta instituit, scilicet Baptismum & S. Cœnam, quibus quidem inest vis regenerandi & sanctificandi, non vero gratiam ex opere operato conferendi. 15. In S. Cœna Corpus & Sanguis Christi vere quidem sunt præsentia, & cum pane & vino simul distribuuntur, sed externa illa Symbola non transubstantiantur. Hoc systema varie explicant Lutherani: nos expositionem D. Schubert in sequentibus dabimus. Calvinus cum Luthero circa justificationem convenit, exceptis iis, quæ ad prædestinationem & S. Cœnam spectant (§. 102. Schol. 1.).

Doctrina Lutheranorum circa gratiam justificantem.

Schol. 2. Ex systemate Lutheranorum (Schol. præc. n. 7.) sequitur, homines justos fieri per solam externam justitiæ Christi imputationem sine ulla gratia intrinsece animæ inhærente, quod ita explicat D. Schubert *Theol. Pol. p. 2. c. 2. Sect. 5.* §. 60. Concedit ille, in homine justificato fieri mutationem, qua dominium peccati successive supprimitur, pristina impietas pellitur, & concupiscentiis carnis resistitur. Hæc enim est *regeneratio*, quæ in adultis *conversio* vocatur, sine qua nemo justificari potest. Concedit etiam, hominem justificatum ad studium pietatis transire, & aliquam inhærentem justitiam studio bonorum operum sibi acquirere; hoc enim est *sanctificatio*, fructus justificationis. Sed denique docet, justificationem, si pro actu sumatur, esse sententiam Dei tamquam judicis, qua hominem pro justo declarat, & a peccatorum pœna absolvit, ad quod requiritur, ut justitia Christi homini propriam justitiam non habenti imputetur; peccata illi remittantur, non imputando illa ad pœnam; & ideo satisfactio Christi illi imputetur, quia Deus peccata sine satisfactione remittere nequit. Si vero justificatio pro statu sumatur, est felicissima illa

hominis relatio ad Deum, quæ huic actioni forensi, scilicet ut a Deo pro justo habeatur, & peccata illi non amplius imputentur, respondet. Licet igitur gratia regenerans & sanctificans modo explicato juxta D. Schubert sit aliquid homini internum; gratia tamen justificans est mera peccatorum non imputatio & declaratio pro justo, & merus amor & favor Dei, quo indignos complectitur. Hæc explicatio in multis peccat. 1. Distinguit inter gratiam regenerantem, justificantem & sanctificantem, cum *ad Rom.* 8. *v.* 29. & 30. pro eadem gratia sumantur; item *ad Tit.* 3. *v.* 5. 6. 7. adeoque si gratia sanctificans sit quid internum, etiam justificans erit, maxime cum utraque eosdem effectus habeat (§. 361. Schol.). 2. Vult, justificationem esse actum forensem & judicialem, quo quis pro justo declaratur sine actu physico, quo quis interne justus efficitur, aut justitia habituali & inhærente donatur; contra quod pugnant testimonia S. Scripturæ (§. 363.) allata, quæ præter sententiam Dei absolutoriam asserunt quid animæ inhærens infundi. Reliqua suis locis refutabuntur. Non obstat I. quod odium Dei non ponat quid intrinsecum in homine, quem Deus odit, sed tantum facit, quod sit objectum illi displicens: ergo nec amor Dei. *Resp.* Disparitas est, quod homo ex propriis habeat, unde sit objectum odii Dei, nempe peccatum, non vero unde sit objectum amoris supernaturalis Dei. II. Dilectio Dei non facit, sed supponit bonitatem in homine; nam *Is.* 45. dicitur: *Ex quo honorabilis factus est . . . Ego dilexi te. Resp.* Ly *ex* non causam, sed tantum effectum dilectionis significat. III. Vox *δικαίωσις justificatio*, in S. Scriptura excusationem vel sententiam absolutoriam judicis significat, *Gen.* 44. *v.* 16. &c. *Resp.* Quando S. Apostolus utitur voce *δικαιῦν*, idem indicat, quod Hebraicum הצדיק in *hiphil*, *fecit justum*: maxime cum dicat, justificari nos per gratiam.

Quid sit donum inhærens gratiæ sanctificantis?

Schol. 3. Quæritur hic in Scholis Catholicis, quidnam sit hoc donum gratiæ sanctificantis animæ intrinsece inhærens. Thomistæ volunt, esse physicam & formalem participationem Divinæ naturæ seu prædicati alicujus physici, quatenus in homine justo est radix virtutum & operationum supernaturalium & visionis ac amoris Dei ut auctoris supernaturalis. Alii Theologi secuti recentiorem Philosophiam cum D. Wiber in *Phil. Antiperipat.* docent, quod gratia habitualis sit qualitas a Deo animæ impressa, & modificatio in anima justi permanens per modum habitus, quæ perfectam Dei ut Triunius imaginem exhibeat: tum quia SS. PP. testantur, animam per gratiam habitualem Deiformem fieri, quod non fit nisi per hanc imaginem Dei, quæ utique perfectior esse de-

bet illa, quam homo in creatione accepit, cum status ille, in quo anima per justificationem ponitur, sit longe perfectior illo; in quo per creationem posita fuit: tum quia gratia habitualis debet per se animam Deo gratam & amicam reddere, adeoque quid Divinum esse debet, non quidem aliquid essentiæ Divinæ, sed imago perfecta, ut ita verum sit: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hinc sumus filii Dei, referentes in animabus nostris perfectam imaginem Patris nostri: sumus Templum Dei, quod per imaginem suam tota SS. Trinitas inhabitat. Ex quo etiam patet, quod gratia sit qualitas, cum sit forma respectiva, qua anima talis, scilicet Deiformis, denominatur. Item est qualitas inhærens & permanens; quia hæc imago tamdiu in anima conservatur, quamdiu Deum non cogimus, ut eam per peccatum mortale tollat: infunditur etiam tropice loquendo; nam propria infusio tribui solum potest liquoribus materialibus, quia intime ab anima recipitur: augeri & intendi potest, cum imago hæc, etsi perfecta, pulchrius & pulchrius in infinitum exprimi possit, quia nunquam in pulchritudine sua ita perfici potest, ut simillima sit quoad modum suo prototypo. Ita argumentatur D. Wiber, cujus sententia nihil plane contra Fidem Catholicam habet, ut inferius patebit, & quam proinde etiam Scholæ crisi relinquimus.

§. 364. Gratia sanctificans non solum est quid intrinsece (§. 363.), sed etiam permanenter animæ inhærens. Hoc docet 1mo. S. Scriptura, *Joan.* 14. *v.* 17. *Apud vos manebit* (Spiritus S.) *& in vobis erit*. 1. *Joan.* 4. *v.* 16. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. 2do. Innocentius III. *c. Majores, de Baptismo* assentitur sententiæ Theologorum dicentium, in Baptismo parvulorum dimitti peccata & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum. Et Concilium Viennense *Clem. de sum. Trin.* postquam retulit sententiam eorum, qui dicunt, parvulis in Baptismo virtutes ac gratiam informantem infundi, hanc opinionem tamquam dictis Sanctorum & Theologorum magis consonam & concordem approbando eligit. Et Tridentinum *sess.* 5. in decreto *de pecc. orig.* sub anathemate absolute definit, quod parvuli veraciter baptizentur, & quod *novum induentes hominem, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt;* quæ omnia non fiunt sine gratia sanctificante. Ergo hæc illis quoad habitum infunditur, cum omnis actus sint incapaces. 3tio. Parvuli adulti facti per gratiam baptismalem non aliter sunt justi, quam alii adulti per Sacramentum Pœ-

An gratia sanctificans permanenter inhæreat?

nitentiæ Deo reconciliati: ergo etiam in parvulis gratia sanctificans est quid permanens.

An hoc sit de fide?

Schol. 1. Ante Concilium Tridentinum non fuit ut dogma fidei receptum, gratiam sanctificantem esse aliquid permanens, maxime quoad infantes baptizatos, quibus plane inutilis videbatur gratia habitualis, quam in usum reducere non possunt, sicuti possunt adulti. Post Concilium Tridentinum adhuc varie sentiunt Theologi. Canus *de locis Theologicis l. 7. c. 2.* putat, hoc sine ingenti temeritate negari non posse, sed vult, non esse contra fidem. Alii docent, elici ex verbis Concilii tamquam conclusionem Theologicam, ac proinde oppositam sententiam esse erroneam; sed negant esse expresse definitam, & fide Divina credendam. Bellarminus *l. 1. de gratia*, Suarez & alii putant, hanc veritatem esse definitam de fide a Concilio Tridentino contra quosdam, qui putabant, gratiam sanctificantem esse actum charitatis physice transeuntem, & tantum virtualiter aut moraliter perseverantem.

An gratia sanctificans sit accidens absolutum?

Schol. 2. Recentiores Philosophi non admittunt accidentia absoluta realiter absolute, sed tantum realiter modaliter a substantia distincta, & ideo consequenter docent, gratiam habitualem non esse accidens absolutum; quod probant 1. ex S. Scriptura, quæ justorum animas propter gratiam sanctificantem vocat templa Dei, 2. *ad Cor.* 6. *v.* 16. & dicit: *Ad eum veniemus* &c. Tota igitur SS. Trinitas per gratiam hanc animas justorum speciali modo inhabitat: si vero hæc gratia foret absolutum accidens, non SS. Trinitas, quæ certe sub nomine accidentis absoluti entis adeo imperfecti intelligi nequit, sed ens aliquod in fundamentali perfectione entis imperfectius omni substantia vilissima, animas justorum inhabitaret, quod dici nequit. 2. Forma sanctificans animam est positiva, & ingens perfectio animæ: sed perfectio positiva entis est aliquid entis, contingens ipsam substantiam entis: ergo forma sanctificans animam justi debet esse aliquid animæ contingens ipsam substantiam animæ seu modificatio animæ, & sic nequit esse ens ab anima realiter absolute distinctum; alias enim anima per meram illius imputationem sanctificaretur, & nulla fieret vera in anima mutatio. 3. SS. PP. docent, animam per gratiam sanctificantem fieri Deiformem: sed si gratia est accidens absolutum, per gratiam anima justi non esset Deiformis, quia hoc accidens absolutum non habet aliquam formam Dei; alias esset ens Deificatum, seu subjectum habens formam Deitatis, adeoque Deus: ergo non est accidens absolutum. 4. Prædicatum perfectissi-

mum & imperfectissimum non potest per essentialem identitatem in uno ente conjungi: sed prædicatum accidentis absoluti est imperfectissimum, & prædicatum formæ Deiformem facientis perfectissimum: ergo in gratia sanctificante conjungi non possunt, maxime quia supernaturalitas foret prædicatum essentiale hujus accidentis absoluti, quod nulli creaturæ competit. Ita D. Wiber. Hæc sententia videtur nonnullis esse contra fidem. Verum abstrahendo hic a veritate hujus sententiæ, de qua disputationem Philosophis relinquimus, qui magno plausu eam defendunt, illud certum est, eam contra Fidei nostræ dogmata non pugnare, nec ab ullo Concilio vel Ecclesia hucusque damnatam esse, uti testatur Dominicus Soto, qui *l.* 2. *de grat. c.* 18. & *c.* 8. ait, Concilium consulto abstinuisse a vocabulo habitus, ut rem expresse non definiret. Item Canus *de loc. Theol. l.* 7. *c.* 2. Ruardus Taperus *art.* 7. *de lib. arbitr.* Bannez 2. 2. *q.* 23. Medina *in* 1. 2. *q.* 100. *art.* 2. &c. Non obstat I. quod sit contra communem Theologorum, quorum novem citat P. Amicus, qui dicunt, esse sententiam temerariam & errori proximam. *Resp.* Pro hac sententia stant omnes Theologi, qui recentiorem modum philosophandi sequuntur: ergo non est contra communem Theologorum; nam Theologi a P. Amico citati, illam solum sententiam perstringunt, quæ asserit, gratiam habitualem non esse formam animæ permanenter inhærentem, quod hæc sententia non dicit. Non obstat II. Gratia habitualis juxta hanc sententiam nec est substantia, nec quantitas, nec qualitas, nec relatio &c. Quid ergo est? *Resp.* Est qualitas non absoluta, sed respectiva, sive modus, non realiter absolute, sed realiter modaliter a substantia animæ distinctus, non transiens, sed permanens. Non obstat III. Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 44. damnat eos, qui in justificatione excludunt gratiam animæ inhærentem: sed gratia respectiva excludit gratiam animæ inhærentem, a Spiritu S. & cæteris distinctam: ergo damnat gratiam respectivam. *Resp.* Tridentinum non damnat eos, qui dicunt, gratiam animæ vere inhærere & ab ea realiter modaliter distingui, qualis est gratia respectiva; sed hæreticos, qui dicunt; gratiam habitualem esse merum favorem Dei extrinsecum (§. 363. Schol. 2.), quod hæc sententia non admittit (loc. cit. Schol. 3.). Unde fallit syllogismus allatus, qui in minori addit: *a Spiritu S. & cæteris distinctam*, quod non erat in majori. IV. Tridentinum definit illam gratiam, quam asseruit Concilium Viennense: sed hæc erat gratia absoluta: ergo eam definit. *Resp.* Negando minorem; nam Concilium Viennense solum asseruit, gratiam

esse formam animæ inhærentem, infusam & permanentem: an sit qualitas absoluta, de hoc non fuit mota quæstio. Eodem modo intelligitur Catechismus Romanus. Non obstat V. quod sententia de accidentibus absolutis, ut principiis fidei contraria, rejecta fuerit ab Academia Lovaniensi anno 1662. & Parisiensi anno 1624. & 1705. *Resp.* Hæ Censuræ sunt privatæ, quæ neque in Gallia, neque in Belgio hodiedum obtinent.

An gratia sanctificans a Charitate realiter distinguatur?

Schol. 3. Quærunt ulterius Scholæ, an gratia sanctificans ab habitu Charitatis realiter distinguatur. Affirmant Thomistæ: alii probabilius negant. 1. Quia gratia sanctificans & habitus Charitatis eosdem effectus habent; nam gratia sanctificans filios Dei efficit; similiter Charitas, 1. *Joan.* 4. *v.* 7. Gratia nos Deo gratos reddit; item Charitas, *Joan.* 14. *v.* 21. Gratia vitam spiritualem confert; item Charitas, 1. *Joan.* 3. *v.* 14. Gratia nos Deo conjungit; item Charitas, 1. *Joan.* 4. *v.* 6. Gratia est radix omnium bonorum operum; item Charitas, 1. *ad Cor.* 13. Gratia est semen vitæ æternæ; item Charitas, *Jac.* 1. *v.* 12. Deinde 2. causa formalis, qua justificamur, est gratia sanctificans: sed hæc etiam est Charitas habitualis; nam Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 7. ait, nos justitia donari per Charitatem, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur. Gratia tamen sanctificans & Charitas habitualis virtualiter distinguuntur, quia licet sint unum & idem, ita tamen sunt, ut exequantur diversa officia tum naturæ, tum potentiæ: nam gratia sanctificans est simul & principium essendi, & operandi supernaturaliter. Non obstat I. quod S. Scriptura & Concilia gratiam a virtutibus, & consequenter etiam a Charitate distinguunt. *Resp.* Distinguunt ab aliis virtutibus, v. g. fide, spe &c. non vero a Charitate, & subinde eamdem rem, scilicet gratiam & Charitatem, ob distinctionem virtualem duobus vocabulis exprimunt. Non obstat II. quod gratia sit principium essendi, & Charitas operandi supernaturaliter. *Resp.* Gratia est principium essendi accidentale, sicut & Charitas principium operandi: una autem entitas virtute distincta potest esse principium essendi & operandi, præsertim quando principium essendi per se ordinatur ad operandum. Non obstat III. quod effectus formales gratiæ & Charitatis a se separari possint; potest enim quis esse gratus Deo per gratiam, quin eum diligat per Charitatem. *Resp.* Effectus formalis Charitatis habitualis non est, ut Deum actu diligamus, sed ut propensi simus ad eum amandum, quod fit per gratiam. Nan obstat IV. quod Charitas diffundatur per gratiam, adeoque ab ea distinguitur. *Resp.* Diffunditur per gratiam formaliter, sicuti robur per

fortitudinem, non vero efficienter, nisi sit Charitas actualis, quæ supponit habitualem seu gratiam sanctificantem.

§. 365. Gratia habitualis & sanctificans constituit hominem in esse Divino (§. 361. 363. Schol. 3.); cum vero modus operandi sequatur modum essendi, operationes Divinas gratiam sanctificantem consequi necesse est. Porro sicuti natura hominis ita est principium operationum sibi convenientium, scilicet rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per potentias sibi congenitas nempe intellectum & voluntatem: sic gratia sanctificans velut nova hominis natura comites habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter operatur: sunt quidem & ipsæ singularia Dei dona, & gratiæ habituales, quia permanenter inhærent, & integraliter justificationem perficiunt; sed insuper sortiuntur nomen virtutis, quia ad bene operandum proxime disponunt. Est autem virtus infusa habitus entitative supernaturalis, qui fertur in objectum lumine & motivo supernaturali, tenditque in Deum possidendum, ut est in se, & a solo Deo est producibilis. Unde differt a virtute acquisita, quia diverso motivo in objectum tendit; nam v. g. temperantia acquisita refrænat voluptatem carnalem, quia dedecet naturam rationalem: infusa vero, quia indigna est filio Dei adoptivo, membro Christi, & retardat anhelantem ad Divinum consortium. *Virtutes infusæ quid?*

Schol. Virtutes infusæ dividuntur in virtutes *Theologicas*, quæ habent Deum pro objecto materiali primario, & aliquod ejus attributum pro formali, suntque tres, scilicet Fides, qua Deum credimus & cætera, quæ nobis revelavit, quia verax est, nec falli, nec fallere potest. Spes, qua confidimus, nos Deum tamquam ultimum nostrum finem & beatitudinem consecuturos, tentationesque superaturos, quia est omnipotens, & infinite misericors. Charitas, qua Deum super omnia diligimus, & proximum sicut nosmetipsos propter Deum, quia Deus summe bonus est, de quibus in cap. *de virtut. Theol.* Et in virtutes *Morales*, quæ versantur circa bonum creatum ex motivo supernaturali, quæ generatim in quatuor virtutes *Cardinales* dividuntur, scilicet: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, de quibus in cap. *de Virt. Card.* *Divisio virtutum infusarum.*

§. 366. Omnes tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes & Charitas homini una cum gratia sanctificante infunduntur. Ita docent omnes Catholici; & multi Theologi, uti Vega *l. 7. c. 24. in Conc. Trident.* & Suarez *l. 3. de grat. c. 8.* docent, hoc esse dogma Fidei in Tridentino definitum. Unde probatur *1mo.* ex S. Scriptura, *ad Rom.* *Virtutes Theologicæ cum gratia sanctificante infunduntur.*

5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Ergo & Fides simul & Spes; nam Charitas nequit esse sine prælucente cognitione Fidei, & sine Spe Charitas non tendit in amplexus Sponsi dilecti. Hinc Apostolus 1. *ad Cor.* 13. concludit: *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc.* In quibus autem manent? non in infidelibus, neque in peccatoribus, qui charitate carent: ergo in justis. 2do. Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. ait: *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Quæ autem sunt illa dona, nisi fides, spes & charitas? unde sequitur: *In justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem*. 3tio. Ratio est: Gratia sanctificans est quædam natura supernaturalis, si ita loqui fas sit, seu Divinus perfectionis gradus, quæ ordinatur ad operationes supernaturales: ergo debentur illi virtutes infusæ, tamquam potentiæ similiter supernaturales.

An veli-que virtutes morales cum gratia infundantur?

Schol. Cum Concilium Tridentinum nihil expresse statuat circa virtutes morales, disputant Theologi, utrum re vera in justificatione infundantur. Nihilominus communior & probabilior est sententia affirmans S. Thomæ 1. 2. *q.* 63. *a.* 3. quam etiam sequitur Catechismus Romanus, qui inter effectus Baptismi numerat *nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in anima simul cum gratia infunduntur*. Favet etiam S. Augustinus, qui *in Ps.* 83. sic de virtutibus Cardinalibus loquitur: *Illæ virtutes nunc in valle plorationis per gratiam Dei donantur nobis*. Et ratio est, quia gratia sanctificans est principium radicale & remotum omnium bonorum, & reddit hominem paratum ad implendam totam Legem: ergo illi respondere debent habitus omnium virtutum, tamquam potentiæ supernaturales, & principia proxima actuum supernaturalium. Non obstat I. quod peccatores accepta per Sacramentum Pœnitentiæ gratia sanctificante, circa virtutes, easdem, quas ante, difficultates patiantur. *Resp.* Has oriri ab impedimentis externis seu vitiosis habitibus ante contractis, qui per virtutes infusas non tolluntur, sicuti per acquisitas, quæ illis sunt contrariæ: non vero oriuntur ex voluntate male erga Deum affecta & erga objecta virtutum moralium. II. Sancti juxta Ven. Bedam humiliantur de virtutibus, quas non habent. *Resp.* Non habent quoad actum propter difficultates, ob quas subinde venialiter peccant: habent tamen quoad habitum.

Dona Spiritus S. quid?

§. 567. Ut habitus virtutum infusarum in actum pro-

rumpant, necessaria est Spiritus S. motio, quia homo habitibus infusis uti non potest, sine supernaturali illustratione & cogitatione, & sine pia voluntatis affectione, quæ sunt motiones Spiritus S. ordinariæ, & ad humanum agendi modum attemperatæ. Si vero hæ motiones excedant communem agendi rationem, & ad actus heroicos tendant, vocantur *dona Spiritus S.* Est igitur *donum Spiritus S.* habitus supernaturalis, quo homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritus S. motiones ad propriam salutem.

§. 368. Dantur dona Spiritus S. Nam homines subinde extraordinarie a Spiritu S. moventur, quarum motionum plura exempla prostant, tum in S. Scriptura, tum in traditione Ecclesiastica. Samson instinctu Divino columnas cœnaculi concussit, *Jud.* 16. Salomon mirum judicium tulit, 3. *Reg.* 3. Eleazarus elephanti se supposuit, 1. *Mach.* 6. Simeon venit in templum, *Luc.* 2. S. Apollonia sponte in rogum insiliit; ex S. Diony. Alex. apud Eus. *l.* 6. *hist. c.* 4. Rationem affert S. Thomas 1. 2. *q.* 68. *a.* 4. *Quia sicut vires appetitivæ natæ sunt moveri per imperium rationis, ita omnes vires humanæ natæ sunt moveri per instinctum Dei, sicut a quadam superiori potentia.* *Dantur dona Spiritus S.*

2. Septem sunt dona Spiritus S. quæ recensentur, *Is.* 11. his verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Idem patet ex PP. S. Ambrosio *l.* 5. *de Spir. S. c.* 2. S. Hieronymo *in c.* 11. *Is.* S. Augustino *l.* 2. *de doctr. Christ. c.* 7. S. Gregorio *l.* 1. *mor. c.* 28. & consensu totius Ecclesiæ, quam immerito irridet Calvinus, quia in Hebr. Pietas & Timor idem, scilicet reverentiam, significant, in quo certe oculatior non fuit LXX. Interpretibus & S. Hieronymo, cum timor & metum & reverentiam significet. Probat etiam ratio: nam tot sunt dona, quot sunt virtutes, quia dona idem habent cum virtutibus objectum materiale, & tantum ad actus sublimiores circa illud eliciendos disponunt (§. 367.): sed præter virtutes Theologicas septem aliæ sunt virtutes, quatuor intellectuales, Intelligentia, Sapientia, Scientia & Prudentia, & tres in voluntate, nimirum Justitia, Fortitudo & Temperantia: ergo totidem sunt admittenda dona virtutes perficientia. *Septem sunt dona Spiritus Sancti.*

Schol. 1. Ex hoc fluit, donum Sapientiæ, Intelligentiæ, Scientiæ & Prudentiæ seu Consilii perficere rationem: Pietatem vero, Fortitudinem & Timorem perficere voluntatem. Per virtutem Intelligentiæ homo judicat, assentiendum esse Deo revelanti: per *donum Intellectus* *Explicantur.*

etiam idiota ex instinctu Spiritus S. fidei mysteria ea claritate percipit, & tam firmiter illis assentitur, ut sibi videatur hactenus non credidisse, sicut oportet. Per virtutem Sapientiæ ratio Dei gratia adjuta de rebus Divinis tamquam de altissimis causis & ex iis de creatis, ordinando media ad finem supernaturalem, recte judicat: per *donum Sapientiæ* justus aliquando nou rationis, sed Spiritus S. instinctu movetur ad sublimiorem rerum cœlestium contemplationem. Virtus Scientiæ ad hoc disponit, ut ratio de temporalibus recte judicet, illa nimirum non esse appetenda, nisi quatenus ad salutem æternam conducunt: per *donum Scientiæ* justus ulterius judicat, illa esse abjicienda velut impedimenta salutis, & cognitis vitæ necessitatibus ex eo profluit donum lachrymarum. Virtus Prudentiæ in dubiis consulit secundum rectam rationem. *Donum Consilii* talia subinde consilia inspirat, quæ communem agendi rationem & humanam prudentiam longe superant. Virtus Jusritiæ hominem dirigit ad suum cuique reddendum. Per *donum Pietatis* justus a Spiritu S. movetur ad extraordinariam reverentiam Deo, rebus & personis sacris ac pauperibus, ac omnibus exhibendam ultra id, quod justitia, religio & misericordia præscribunt. Virtus Fortitudinis justum in periculis juxta communes prudentiæ leges confirmat contra inordinatos timoris & audaciæ motus: per *donum Fortitudinis* disponitur ad actus heroicos instinctu Divino eliciendos. Per virtutem Temperantiæ justus moderate utitur rebus delectabilibus. Per *donum Timoris* reverentialis erga Deum omnes delectationes studio vitæ austerioris abjicit.

An dona cum gratia infundantur? *Schol.* 2. Communior est in Scholis S. Thomæ sententia, omnia dona una cum gratia sanctificante homini infundi. Nam in justificatione homo inseritur Christo tamquam membrum capiti, *ad Rom.* 8. *v.* 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ergo justus debet disponi ad recipiendas omnes motiones Spiritus S. disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias vero per dona (§. 567.). Ergo sicuti in justificatione cum gratia sanctificante infunduntur habitus virtutum, ita & habitus donorum. Unde etiam juxta eumdem S. Thomam 1. 2. *q.* 6. *a.* 8. dona sunt habitus a virtutibus distincti, quia altiori & nobiliori modo versantur circa materiam virtutum, quam ipsæ virtutes. Quare si dona conferantur cum virtutibus Theologicis, sunt illis inferiora, quia per virtutes Theologicas anima Deo conjungitur; per dona vero solum disponitur ad suscipiendam Spiritus S. motionem. Si vero dona conferantur cum aliis virtutibus sive intellectua-

ctibus sive moralibus, sunt præstantiora, quia disponunt ad motionem extraordinariam Spiritus S. quæ superior est motione rationis, ad quam disponunt virtutes morales.

§. 569. Actus virtutum & donorum sunt Fructus Spiritus S. Sunt autem *Fructus Spiritus S.* actus boni & laudabiles ex habitibus virtutum intenti & comparati, quorum duodecim enumerat Apostolus *ad Gal.* 5. scilicet: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Fructus Spiritus S. quid?*

Schol. Charitas, castitas & reliquæ virtutes, quas hic recenset Apostolus, non sumuntur pro habitibus, sed pro actibus. Vocantur autem fructus, ut intelligamus, in his actibus secundum se spectatis nullum inesse laborem, uti putant homines carnales, sed meram delectationem & pacem. Vocantur fructus Spiritus S. quia licet justi ad illos actus vitaliter & libere concurrant; Spiritus tamen Sanctus illorum Auctor est. Deinde non omnes fructus in his allegatis recensentur, sed nobiliores tantum; omnes enim actus cujuslibet habitus infusi, sive sit virtus, sive donum, est fructus Spiritus Sancti.

§. 570. Actus donorum vocantur Beatitudines (§. 569.). Est autem *Beatitudo* donum insigne, in cujus possessione animus quiescit vel plene & perfecte, si beatitudo sit perfecta, uti visio Dei intuitiva; vel imperfecte, si beatitudo solum sit inchoata, quæ in vita exurgit ex actibus præstantioribus donorum: operatio enim præstantior magis perficit & delectat. Octo ejusmodi beatitudines numerantur, *Matth.* 5. scilicet, *Paupertas Spiritus* contra inordinatum amorem divitiarum, quæ est specialis fructus Timoris Domini. *Mansuetudo* ad iram domandam, quæ generatur a dono Pietatis. *Luctus & fletus* contra vanas delectationes, conveniens dono Scientiæ. *Patientia in persecutionibus* contra favores hominum, omnibus donis respondens. Quatuor hæ beatitudines spectant ad tollendam falsam beatitudinem. Quatuor reliquæ beatitudines ad æternam beatitudinem disponunt: *per famem & sitim justitiæ*, quæ respondent dono Fortitudinis: per opera *Misericordiæ*, quæ est effectus doni Consilii: per *Munditiam cordis* respondentem dono Intellectus: per *Pacem & Concordiam*, quæ tribuitur dono Sapientiæ. S. Lucas solum quatuor beatitudines removentes falsam beatitudinem enumerat, quas Christus descendens de monte rudi populo proponebat; octo vero S. Matthæus, quas Christus in monte discipulos jam perfectiores edocebat. *Beatitudines.*

§. 571. Duo sunt præcipui Gratiæ sanctificantis effectus: nimirum justificatio impii, & meritum justi. Est *Justificatio quid?*

autem *Justificatio* transmutatio de statu injustitiæ & peccati ad statum justitiæ & gratiæ. *Justificare* vero est, aliquem vere justum, rectum, sanctum, interius & exterius bene ordinatum erga Deum, seipsum & proximum efficere.

Explicatur. *Schol.* Justificatio dicitur a justitia, quæ si passive sumatur, importat motum ad justitiam. Porro justitia dupliciter spectari potest: 1. Prout dicit rectum ordinem in ipso actu hominis respective ad alium, suum cuique tribuendo. Hoc modo est virtus specialis, quam hic non consideramus. 2. Prout dicit rectitudinem ordinis in interioris hominis dispositione, qua homo Deo, & vires inferiores rectæ rationi in eo subjiciuntur. Proprie ille tantum justificatur, qui ex injusto seu peccatore fit justus: quanquam improprie etiam ille dicatur justificari, qui ex justo fit magis justus.

In justificatione vere delentur peccata. §. 372. In justificatione peccatoris non solum teguntur seu non imputantur peccata, sed vere remittuntur, delentur, & auferuntur. Ita fides docet, & probatur 1mo. ex S. Scriptura, *Ps.* 50. *v.* 2. *Dele iniquitatem meam:* ubi verbum מחה significat *delere*, *abstergere*, & juxta ipsum Lutherum *delere*. Item *v.* 4. dicitur: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Ubi Hebraicus legit: *multiplica lavare me* הרבה כבסני; non vero, uti Lutherus vertit: *lava me bene*. Sed lotio significat abstersionem peccati, & multiplicatio lotionis clare ostendit, eam non consistere in non imputatione extrinseca, quæ certe multiplicatione non eget. Effectus hujus lotionis refertur *v.* 9. *Asperges me hyssopo & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Dealbatio autem notat effectum positivum, & non pure negativum, seu non imputationem extrinsecam. Id quod clarius patet *v.* 12. *Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis:* ubi David petit munditiam cordis, & intrinsecam spiritus sui innovationem, בקרבי *in visceribus meis;* quæ verba Lutherus iterum male omisit, & pro נכון *rectum*, male vertit: *certum spiritum*, per quem fidem intelligit, uti ex ejus glossa patet. David certe hic fidem non petit, quam non amiserat. Addit *v.* 13. *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*, nimirum gratiam sanctificantem, per quam Spiritus S. in anima habitat. Et *v.* 14. *Spiritu principali confirma me.* Quod autem confirmatur, intrinsece roboratur. Nec dicas: verba, *dele*, *lava* &c. esse metaphoras, quæ *v.* 11. explicantur per non imputationem extrinsecam: *Averte faciem tuam a peccatis meis:* peccatum enim factum, infectum fieri nequit. Nam contra est: illæ metaphoræ verum sensum exprimunt, & per τὸ avertere faciem justi-

ficatio inadæquata exprimitur; unde additur: *Et omnes iniquitates meas dele:* peccatum vero factum eo solum tempore, quo factum est, & nondum retractatum, infectum esse nequit, interim tamen factum deleri potest: similes loquendi formulas reperies, *Is.* 43. *Oseæ* 14. *Mich.* 7. Item in N. T. 1. *Joan.* 1. *v.* 7. dicitur: *Sanguis Filii ejus emundat vos ab omni peccato.* 1. *Ad Cor.* 6. *v.* 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Certe mundari, ablui, sanctificari non significat solam non imputationem extrinsecam; nam ille non dicitur ablui, cujus sordes solum teguntur. 2do. Probatur ex Patribus, quos longa serie refert Bellarminus *l.* 2. *de Justif. c.* 8. Nobis sufficiat S. Augustinus, qui in *Ps.* 31. *Conc.* 2. ait: *Nec intelligamus, peccata cooperta esse, quasi ibi sint, & vivant... Deus ergo tegat vulnera, non tu: nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curet; emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Ergo Deus tegit vulnera, ut tegendo sanet, sicut medicus, qui emplastro tegit vulnus & sanat. Hinc merito Tridentinum *sess.* 5. *can.* 5. definit: *Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* 3tio. Ratio est: Si in justificatione impii peccata remaneant & solum tegantur, homo simul justus ob justificationem, & injustus propter residua peccata esset; item Christus non esset Agnus tollens peccata mundi, nec nos liberasset a servitute peccati; nec sanctos faceret, nec posset nos declarare vere liberos a peccato, utpote in quibus peccatum adhuc esset.

Solvuntur objectiones Lutheranorum.

Schol. Juxta systema Lutheranorum (§. 363. Schol. 1. n. 7.) in justificatione peccatoris peccata non vere delentur, & auferuntur, sed integra in eo remanent, & solum teguntur, ac non imputantur. Nam I. *Ps.* 31. dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et *v.* 4. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Ubi Lutherus vertit: *Nam, cum vellem reticere, arescunt ossa mea*, cui in margine hanc glossam assuit: *Nam, cum nolluissem confiteri, quod peccatum verum mecum esset, conscientia mea non habebat requiem. Resp.* Peccata teguntur non hominibus, sed Deo; quod vero Deo tegitur, hoc Deo non patet; & quod Deo non patet, Deus non videt; quod autem non videt, non amplius est. Quod vero tecta sint peccata, liquet, quia talis dicitur beatus, & in cujus spiri-

tu non est dolus. Lutherus hunc locum dupliciter falsificavit. 1. Dum vertit: *in (Domini) Spiritu nullum falsum est*, cum tamen ly *ejus* לא cadat super hominem אדם antea nominatum, & ly י continuet sermonem de beatitudine hominis. 2. In versu 5. addit particulam oppositionis, *enim*, & relativam in voce, *ego*, & vocem, *vellem* contra textum Hebraicum כי החרשתי בלו עצמי. II. *Ps.* 31. *v.* 2. dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Ubi justificatio adæquate definitur per non imputationem peccati, tum quia per hanc homo fit beatus; tum quia hanc definitionem S. Paulus ipse assignat, *ad Rom.* 4. *v.* 6. *Resp.* Datur ibi definitio adæquata justificationis negativæ, positivæ vero datur solum implicite, quatenus peccata mortalia non remittuntur, nisi per gratiam sanctificantem, qua secuta, homo beatus est. S. Paulus ex remissione peccatorum infert justificationem positivam cum illa remissione connexam; nam dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, id est ex gratia; quod probat; quia remissio peccatorum fit ex gratia: si autem accepto fert justitiam, ergo eam Deus vere dat, & non solum imputat. Quæ omnia confirmat textus Hebraicus, ubi habetur verbum נשא *remisit, delevit, abstulit iniquitates:* & verbum כסא *texit, intrinsece texit:* & יחשב *imputabit*, quod intelligitur de imputatione ad pœnam. III. Juxta S. Paulum justificatio fit per hoc, quod induamus Dominum Jesum Christum, *ad Rom.* 13. Indumentum vero non tollit, sed tegit solum maculas. *Resp.* S. Paulus ipse explicat, quid sit induere Jesum Christum, scilicet interius mutari ad statum innocentiæ a statu peccati, deponendo veterem hominem, & omnem affectum peccandi, & novam vitam inchoando: quod quidem Lutherani exponunt de sanctificatione, quam a justificatione distinguunt, sed immerito, uti patet §. 363. Schol. 2. & §. 571. cum definitio justificationis etiam sanctificationi conveniat. IV. Nemo est sine peccato: & S. Ambrosius *lib.* 2. *de Jacob*, justificationem exemplo Jacob se se vestimentis Esau & pellibus hædinis tegentis explicat. *Resp.* Nemo est sine peccato veniali (§. 349.), bene vero sine mortali. S. Ambrosius vero comparationem in eo instituit, quod sicut Jacob aliena veste indutus incessit, ita Christus factus in similitudinem carnis peccati vere languores nostros tulerit.

Justificatio non fit per meram imputationem justitiæ Christi.

§. 573. Quia in justificatione peccata non solum teguntur (§. 572.), hinc remissio peccatorum, quæ est justificatio peccatoris, non fit per imputationem extrinsecam justitiæ Christi, sed per veram & intrinsecam justitiam, seu gratiæ habitualis infusionem. Catholica hæc

veritas probatur 1*mo.* mox citatis (§. 372.) S. Scripturæ testimoniis, in quibus homo dicitur purgari, lavari &c. Purgatus vero & sanctificatus nemo dicitur, nisi per aliquod intrinsecum, quo talis denominetur. Unde *ad Rom.* 5. *v.* 5. Charitas Dei dicitur diffusa in cordibus nostris: & *v.* 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius justi constituuntur multi*. Ergo justitia nostra est interna, sicut peccatum nostrum est internum. Merito igitur Tridentinum *sess.* 6. *can.* 10. definit: *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari; aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit*. Et *can.* 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia ... quæ illis inhæreat; anathema sit*. 2*do.* Justificatio est effectus dilectionis Dei. Sed hæc non tantum est affectiva, sed effectiva, efficiens objectum dilectum intrinsece gratum & justum. Item justitia Christi est causa efficiens nostræ justificationis. Ergo non est causa ejus formalis.

Schol. 1. Lutherani juxta systema suum (§. 363. Schol. 1. n. 7.) volunt, veram & propriam remissionem peccatorum in justificatione fieri per eorum non imputationem; unde formaliter justificatur homo per imputationem justitiæ & satisfactionis Christi. Quippe Deus neminem justificare potest, nisi aliqua in eo sit justitia: quia vero homo propriam justitiam non habet, alienam habere debet, quæ per imputationem sua fiat: hinc Christus non solum pro peccatis nostris satisfecit, & per hoc meritum passivum remissionem peccatorum & absolutionem a pœnis nobis promeruit; sed etiam vicariam officiorum nostrorum adimpletionem præstitit, & per hoc meritum activum, quod etiam justitia activa & vicaria vocatur, declarationem pro justis, & hæredibus vitæ æternæ nobis promeruit, cujus proinde justitiæ & satisfactionis imputatione homo ita justificatur, ut hæc imputatio sit fundamentum declarationis hominis pro justo, in qua etiam formaliter justificatio consistit. Quippe varii actus justificationem ingrediuntur, inter se tamen connexi: formales seu ratio formalis justificationis sunt declaratio pro justo & remissio peccatorum; hi enim justificationem in esse suo constituunt: fundamentales actus sunt imputatio justitiæ & satisfactionis Christi. Si vero omne id, quod justificationem ingreditur, & ab ea separari nequit, formam ejus vocare velimus, etiam imputatio meriti Christi ad eam pertinet. Ita D. Schubert. Rationes Lutheranorum sunt I. *Ps.* 142. dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Ergo non datur justitia ho-

Solvuntur objectiones Lutheranorum.

mini intrinseca; alias homo in conspectu Dei justificaretur. Unde *v.* 1. S. David petit: *Exaudi me in tua*, NB. non in mea, *justitia*. *Resp.* Deus videt illam justitiam hominis intrinsecam non ex viribus naturæ, sed gratiæ comparatam. Eodem modo justitia nostra, non nostra, sed Dei dicitur, id est viribus gratiæ acquisita. Vel David comparat justitiam suam cum illa Dei, relate ad quam nihil est omnis creata perfectio. Vel vult, neminem ita esse justum, ut ab afflictionibus omnibus liberari debeat. II. *Ad Rom.* 5. dicitur: *Per unius obedientiam justi constituuntur multi*. Et 1. *ad Cor.* 1. *v.* 30. Christus dicitur factus *justitia & sanctificatio nostra*. Et 1. *ad Cor.* 10. reprehendit Apostolus eos, qui propriam justitiam volunt statuere: *Ignorantes Justitiam Dei, & suam volentes statuere, justitiæ Dei non subjecti*. *Resp.* S. Apostolus intelligendus est in sensu causali, non formali. Scilicet Christus est causa efficiens & meritoria nostræ justificationis, quo sensu dicitur Sapientia, Resurrectio & Vita nostra. Et in altero loco reprehendit Pharisæos, qui præsumebant, se posse viribus naturæ legem implere, & justificari sine gratia. III. Judex ignoscens reo, non ideo justitiam illi infundit: ergo nec Deus ignoscens peccatori. *Resp.* Disparitas est, quod justificatio externa & forensis non est connexa cum amicitia, sicuti justificatio peccatoris cum amicitia Dei: ad quam cum natura non habeat proportionem, intrinsece per gratiam elevari debet.

An homo absolute per favorem Dei extrinsecum justificari possit?

Schol. 2. Scotus putat, de absoluta Dei potentia justificationem impii fieri posse per solum favorem Dei extrinsecum. Negativa sententia est probabilior, quia Deus absolute nequit remittere offensam sine intrinseca mutatione peccatoris; nam offensam remittere nequit, nisi fiat illi pacatus, ad quod requiritur, ut Deus illum amet: amor autem Dei est effectivus, efficiens illum bonum & gratum, quem diligit, cum sit omnis bonitatis causa. Ex supposito vero, quod Deus moveret peccatorem ad actus Charitatis & contritionis per auxilium actuale, non infundendo gratiam habitualem, posset quidem peccator absolute per hos actus justificari inchoate & imperfecte, quia Deo super omnia dilecto uniretur, non tamen complete & perfecte, quia præcipuus effectus Divinæ dilectionis, scilicet gratia sanctificans, per quam Deus homini fit pacatus, non tribueretur. Non obstat I. quod privatio gratiæ per contritionem desinat esse voluntaria. *Resp.* Desinit quidem quoad præsentem dispositionem, non vero quoad præcedentem, ex qua macula relinquitur per gratiam delenda. Non obstat II. quod remissio peccatorum tribuatur Charitati, *Luc.* 7. &

homo Deum diligens sit justus. *Resp*. Tribuitur dilectioni non præcise ratione sui, sed ratione gratiæ connexæ; & diligens Deum est justus justitia implente præsens officium, non vero delente perfecte peccatum præteritum.

Schol. 3. Scotistæ etiam docent, de potentia Dei absoluta peccatum actuale & habituale cum gratia in eodem subjecto simul esse posse. Negativa sententia est communior, quia absolute non potest stare justitia cum injustitia: iniquitas cum sanctitate: rectitudo cum recessu a rectitudine. Non obstat I. quod gratia & peccatum actuale privative non opponantur, quia actus & habitus non opponuntur, imo actus v. g. temperantiæ stare potest cum habitu intemperantiæ. *Resp*. Licet in ratione habitus & actus non opponantur, habent tamen alias rationes privative oppositas, scilicet sanctitatem & iniquitatem &c. II. Peccatum non expellit gratiam physice, sed tantum demeritorie, nec Deus necessitatur gratiam auferre a peccatore. *Resp*. Non expellit quidem per formam physice in gratiam agentem, expellit tamen ex natura sua, introducendo dispositiones cum gratia incompossibiles. Item Deus quidem absolute non necessitatur auferre gratiam; bene vero si hominem in mortale labi permittat. *An peccatum mortale simul cum gratia consistere possit?*

§. 574. Ad justificationem in parvulis nulla requiritur dispositio. Ita constat ex universali Ecclesiæ traditione, quæ parvulos, quamvis rationis impotes, hactenus baptizavit in remissionem peccati originalis. Unde Tridentinum *sess*. 7. *can*. 13. dicit anathema iis, qui docuerint, parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos. Enimvero si inobedientia primi hominis potuit illis nocere, obedientia secundi hominis, qui factus est nobis justitia a Deo, illis proderit. *Ad justificationem in parvulis non requiritur dispositio.*

2. Ex parte hominis adulti sui compotis juxta communem providentiæ cursum prævia dispositio requiritur. Nam S. Scriptura spem veniæ non præbet, nisi peccatoribus dispositis. *Ezech*. 18. *Si . . . impius egerit pœnitentiam . . . vita vivet*. *Act*. 2. S. Petrus Judæis prædicatione sua conterritis, ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. *Act*. 8. Philippus Eunucho Baptismum petenti respondet: *Si credis ex toto corde, licet*. Tritum etiam est illud S. Augustini *serm*. 15. *de verb. Ap. Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te*. Et Tridentinum *sess*. 6. *cap*. 6. *Disponuntur autem adulti ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia atque adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum*. Ratio est, quia forma perfecta non inducitur nisi in subjectum dispositum. Sed gratia est forma. Ergo requirit subjectum dispositum. *Bene vero in adultis.*

5. Dispositiones autem in adultis ad justificationem prærequisitæ sunt: 1. *Fides*, qua credimus, vera esse illa, quæ divinitus revelata sunt, præsertim a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: nam sine fide nemo Deo placere potest. 2. *Timor*, quo peccatorum nostrorum consideratione utiliter concutimur. *Prov.* 14. *Timor Domini fons vitæ*. 3. *Spes*, per quam ad considerandam Dei misericordiam animum convertentes speramus, Deum propter Christum nobis propitium fore. *Ad Rom.* 8. *Spe salvi facti sumus*. 4. *Inchoata Dei dilectio*, ut totius justitiæ fontis. *Eccli.* 2. *Diligite illum, & illuminabuntur corda vestra*. Ex hoc enim, quod Deus misericors peccatori pœnam timenti offert veniam, non solum spes excitatur, sed etiam tantæ bonitatis amor. 5. *Peccati detestatio*, quæ ex fide, timore, spe, & inchoata dilectione oritur, ex quibus odio movetur in peccatum. 6. *Propositum* inchoandi novam vitam & mandata observandi. Vid. Trid. *sess.* 6. *c.* 6.

Lutheranorum sententia. *Schol.* 1. D. Schubert cum Lutheranis non negat, hominem justificandum prius credere, peccata sua agnoscere, dolere, iram Dei pertimescere, misericordiam Divinam desiderare, bene de Deo sperare, peccatum detestari novumque propositum &c. capere debere, quia hæc omnia opus conversionis & regenerationis, sine qua non datur justificatio, ingrediuntur: nec negat, his sanctis motionibus Spiritus S. hominem disponi ad studium pietatis & habitum pie & sancte vivendi. Sed quia juxta illum justificatio est remissio peccatorum, & declaratio hominis pro justo, dispositiones hæ neque hominem ad justificationem recipiendam aptum reddunt, neque apud Deum sunt causa impulsiva nos justificandi; præparant nos tantum ad fidem recipiendam, qua sola justificationem consequimur. Hæc jam in antecedentibus (§. 373.), partim in sequentibus refutantur.

Unde effective procedat ultima dispositio ad gratiam? *Schol.* 2. Quærunt hic Scholæ, a quonam principio actus Contritionis & Charitatis, qui ultimo ad gratiam disponunt, procedant. P. Contenson putat, eos esse ab auxilio actuali transeunter communicato, quia gratia habitualis necessario supponit dispositiones jam effectas & productas, cum non recipiatur nisi in subjecto disposito. P. Gonet vult, eas esse effective ab ipsa gratia habituali, quia actus Charitatis & Contritionis sunt actus vitales vita supernaturali, quæ est a gratia habituali. P. Goudin docet, actum conversionis ultimo disponentem ad gratiam habitualem effective procedere a virtute infusa Charitatis & pœnitentiæ, non communicata per modum habitus, sed per modum auxilii seu motionis, ita ut disponat ad gratiam, & ad ipsas virtutes infusas per modum habitus

consequendas. Sed hæc controversia magis est subtilis, quam utilis.

An justificatio fiat successive?

Schol. 3. Justificatio impii, si sumatur pro infusione gratiæ & remissione peccatorum, fit in instanti. Si vero sumatur pro dispositionibus, quibus peccator præparatur, licet possit fieri in instanti, ordinarie tamen fit successive, quia illæ dispositiones ordinarie tempore præcedunt gratiæ infusionem. Deinde si justificatio spectetur ex parte modi agendi, creatio est majus opus, quam justificatio: si vero spectetur ex parte rei productæ, justificatio est majus opus creatione ob bonum æternum in spe, ad quod terminatur; non tamen est quid majus glorificatione, ob bonum æternum in re. Denique justificatio impii potest quidem dici mirabilis, non tamen miraculosa, quia non fit præter communem Providentiæ Divinæ cursum; secus esset, si præter hunc cursum Deus subito moveret ad perfectam justificationem, uti S. Paulum movit.

Fides ad justificationem requisita non est fiducia.

§. 375. Inter alias dispositiones ad justificationem requisitas prima est Fides (§. 374. n. 3.), quo nomine Catholici non intelligunt fiduciam, qua credimus & confidimus, peccata nobis propter Christum esse remissa: sed qua credimus omnibus veritatibus nobis a Deo revelatis propter ejus auctoritatem & veracitatem. Ita 1*mo.* intelligit Fidem S. Scriptura, 1. *ad Cor.* 13. *v.* 13. ubi fidem a spe & fiducia expresse distinguit: *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc.* Ubi certe cum D. Schubert nequit intelligi fides miraculosa, cujus jam Apostolus *v.* 2. meminit, & inter charismata eam recenset: *v.* 13. vero agit de virtute fidei, quam a spe & fiducia, quæ est spes certa, distinguit: *tria hæc:* & fidem & spem charitati postponit: *major autem horum est Charitas.* Imo *ad Eph.* 3. *v.* 12. fiducia dicitur esse effectus fidei: *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus* διὰ τῆς πίστεως, ubi *to per* in sensu obvio aliquam causam denotat, non vero, quid fides involvat; uti male exponit D. Schubert, putans S. Paulum loqui de fide, seu fiduciali apprehensione Christi. Certe loquitur ibi Apostolus de fide, quæ est actus intellectus, non vero voluntatis: profitetur enim mysterium vocationis gentium sibi a Deo revelatum, ejusque prædicationem sibi concreditam esse: rogat Deum, ut Ephesii corroborentur in fide & rerum Divinarum scientia, *v.* 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in Charitate radicati & fundati, v.* 18. *ut possitis comprehendere ... quæ sit latitudo &c.* Rursus fides, qua salvamur, dicitur assensus, *Joan.* 20. *v.* 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis, & ut credentes vitam habea-*

tis in nomine ipsius. Et multoties S. Scriptura fidem per ly credere exponit. Ludit hic iterum in verbis D. Schubert, dum distinguit inter ly credere, & in Christum credere, quod juxta ipsum significat, in Christo fiduciam suam collocare. Nam nullo S. Scripturæ exemplo hanc explicationem probat; quando enim S. Scriptura monet, ut Christum induamus, ei adhæreamus &c. vult, ut Christi virtutes in moribus nostris exprimamus. 2*do*. Ecclesia in baptizandis semper eam fidem requisivit, qua articulos in symbolo contentos firmiter crederent, non vero eam, qua crederent, peccata sibi esse remissa; nam credimus quidem in symbolo remissionem peccatorum, sed credimus per hoc, in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata per Sacramenta. Item SS. Patres fuse refert Bellarminus *l.* 1. *de Justif. c.* 9. Merito proinde definit Tridentinum *sess.* 6. *can.* 12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil esse aliud, quam fiduciam Divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit*. 3*tio*. Fides, qua credo, remissa mihi esse peccata, est impossibilis: tum quia nullibi revelatum est, mihi remissa esse peccata, neque in revelatione & promissione generali, *Joan.* 3. *Qui credit in Filium, justificabitur;* nam hic non dicitur: qui credit, sibi esse remissa peccata: neque in primo instanti existentiæ fidei homo certus est, sibi remissa esse peccata, cum nemo certa fide sciat ex revelatione, se etiam in primo instanti credere, sicut oportet: tum quia hæc fides confidentialis non ut causa præcedit, sed tantum sequitur justificationem, in qua peccata remittuntur, alioquin hæc fides falsa foret: supponit ergo justificationem in statu, uti ipse D. Schubert fatetur, qui ad justificationem eam fidem requirit, qua hic & nunc credo, peccata mihi remitti: sed hæc etiam fides est posterior justificatione; nam remissio præsens est objectum hujus fidei, actus autem non facit, sed supponit suum objectum, consequenter hæc fides tamquam medium justificationis illa esset prior, & tamen simul posterior, quod implicat.

Ordo salutis juxta Lutheranos. *Schol.* 1. Lutherani hunc ordinem salutis ponunt juxta Carpovium *Theol. Rev. tom.* 2*do*. 1. Deus omnes homines ad salutem *vocat* serio & sufficienter, invitando eos ad salutem per Christum partam amplectendam, vel directe Evangelium claris verbis proponendo, vel indirecte ad illud quærendum ducendo: Evangelium autem motiva ad bonum faciendum, & malum vitandum suppeditat, ex quibus novæ vires a Deo Evangelii Auctore ad bonum homini conferuntur: quæ est gratia vocans vel præveniens. 2. Deus hominem *illuminat* informando

& convincendo eum de veritatibus salutaribus & legalibus V. T. & Evangelicis novæ Legis per verbum S. Scripturæ vel lectum, vel auditum, vel meditatum, quæ est gratia illuminans. 3. Illuminatio de veritatibus legis seu legalibus *Contritionem* generat; peccata enim sua & eorum pœnas homo ex lege cognoscit, ex qua cognitione tristitiam de illis concipit, pœnitet, metu pœnæ prometitæ concutitur, pudorem ob peccata haurit, illa efficaciter cum proposito fugiendi odit, in quibus Contritio consistit, quam Deus per legem operatur, & hoc per gratiam conterentem. 4. Postquam vero homo per illuminationem legalem ad contritionem & desiderium medicinæ spiritualis pro peccatis pervenit, per *illuminationem Evangelicam* ipsi in promissionibus Dei generalibus ostenditur medium ex sua miseria eluctandi, scilicet, quod satisfactionem Christi per fidem debeat apprehendere, quod medium cognitum avide cupit, & innixus promissionibus Dei generalibus ad se applicatis illam satisfactionem Christi vicariam fiducialiter apprehendit, & sic in illo fiducialis fides oritur, quam cum Deus gratis in eo excitet, merito gratia & beneficium Divinum dicitur. Hinc objectum hujus fidei est satisfactio Christi activa & passiva, quam fides cum fiducia apprehendit, dum satisfactionem Christi pro se quoque fieri vel factam esse, & effectum illius, scilicet liberationem a reatu, & participationem salutis, sibi a Deo tribui & imputari vult. Quia vero hæc fides salvifica involvit desiderium liberationis a reatu & firmum propositum non amplius peccandi, fides cum voluntariis peccatis simul consistere nequit; & ideo fides salvifica studium secundum voluntatem Dei vivendi includit & viva est, sine qua fides dogmatica mortua dicitur: quemadmodum etiam fides salvifica sine studio secundum voluntatem Dei vivendi, mortua est, nec hominem salvare potest. 5. Actus, per quem fides in homine excitatur, sive donatio fidei, dicitur *Regeneratio*, quæ illuminationem supponit, & est a Deo per verbum legis remote & dispositive, per verbum Evangelii proxime & immediate; hinc dicitur gratia regenerans. Per hanc regenerationem tollitur dominatus peccati originalis, & fit, ne amplius peccata actualia voluntaria ex eo oriantur, adeoque mors spiritualis aufertur, producitur propositum emendationis, homo accipit vires ad bonum & contra malum, oritur appetitus spiritualis, & exinde fit lucta carnis contra spiritum, homo ducitur ad sui abnegationem, ad vincendam carnem, & sic homo accipit vitam spiritualem, instauratur in eo imago Dei, fit nova creatura, eripitur ex tyrannide diaboli, ponitur in statu gratiæ, fit filius Dei

& hæres regni cœlestis. Porro 6. hæc mutatio hominis adulti, per quam ille ex statu iræ transit in statum gratiæ, dicitur *Conversio*, quæ dicitur transitiva, quatenus Deus hominem convertit illuminando, conferendo & regenerando: quatenus vero homo ipse contritionem, & fidem vivam concipit, est intransitiva, & vocatur *Pænitentia*. 7. Illuminationem, & regenerationem sequitur *Justificatio*, quæ per solam fidem vivam habetur, qua satisfactio & justitia Christi apprehenditur. 8. Sicuti autem fides vera una quasi manu Christum apprehendit & ita justificat, sic altera quasi manu actiones Deo acceptas operatur, & ita incrementum vitæ spiritualis capit, quod dicitur *Sanctificatio*, & est regenerationis continuatio, per quam proinde imago Dei magis instauratur, quæque homini salvando est necessaria. Deus autem est, qui hominem per verbum legis & Evangeli transitive sanctificat; homo vero intransitive sanctificationem suam promovet per studiosam verbi Divini lectionem & auscultationem, & crebrum exercitium bonorum operum, victoriam tentationum & vigilantiam spiritualem, per quæ media homo in fide finaliter perseverat & salvatur.

Ordo salutis juxta Catholicos. *Schol.* 2. Ordo salutis juxta nos Catholicos hic est, quem refert Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. *& seqq.* 1. Justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum *præveniente gratia* & ejus *vocatione* sumendum est: quippe per gratiam excitantem & adjuvantem homo ad suam justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, disponitur. 2. Homo excitatus & adjutus hac Divina gratia *fidem* ex auditu concipiens, libere movetur in Deum, credens vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. 3. Dum vero se homo peccatorem esse intelligit, a justitiæ Divinæ *timore* utiliter concutitur. 4. Ad considerandam tamen Dei misericordiam se convertendo in *spem* erigitur, fidens, Deum sibi propter Christum propitium fore; quem proinde 5. tamquam omnis justitiæ fontem *diligere incipit:* ac 6. propterea movetur adversus peccata per *odium* aliquod & detestationem, hoc est per eam *Pænitentiam*, quam ante Baptismum agere oportet. 7. Hinc proponit suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata. 8. Hanc dispositionem *Justificatio* ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres se-

cundum spem vitæ æternæ. Causa finalis hujus Justificationis est gloria Dei & Christi ac vita æterna: efficiens est Deus: meritoria est Christus Jesus, qui per crucem & passionem suam nobis eam promeruit: instrumentalis sunt Sacramenta Baptismi, & post lapsum, Pœnitentiæ: formalis est Justitia Dei, non qua ipse Justus est, sed qua hominem justum facit, qua ab eo donatus renovatur spiritu mentis suæ, & non modo reputatur, sed vere justus nominatur, & est justitiam in se recipiens secundum propriam dispositionem & cooperationem, quæ illi inhæret, & cum qua illi habitus virtutum Theologicarum fidei, spei & charitatis, & virtutum moralium ac donorum (§. 566. Schol. §. 368. Schol. 2.) infunduntur. 9. Sic ergo justificatus & amicus Dei factus homo progrediens de virtute in virtutem, renovatur de die in diem, hoc est mortificat membra carnis suæ, & exhibet ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ; & ita in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, coöperante fide bonis operibus crescit, & magis justificatur. 10. Si vero homo ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderit, rursus justificari potest, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverit; qui modus Justificationis est lapsis *reparatio*, quæ Pœnitentia post lapsum alia est a baptismali, & continetur non modo cessatione a peccatis & eorum detestatione, aut corde contrito & humiliato: verum etiam eorum Sacramentalem Confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, pro delenda pœna temporali post dimissam culpam & pœnam æternam in Sacramento, vel voto Sacramenti, includit. 11. Hoc modo justificatus homo sive acceptam gratiam perpetuo conservaverit, sive amissam recuperaverit, proponit sibi vitam æternam, & tamquam gratiam filiis Dei per Christum misericorditer promissam, & tamquam mercedem ex Dei promissione bonis suis operibus & meritis fideliter reddendam, quam proinde vere promeretur, & si in gratia decesserit, consequitur.

Schol. 5. Ex dictis (Schol. 1.) colligitur, Lutheranos triplicem fidem distinguere: *Historicam*, quæ est assensus propositioni datus ob auctoritatem loquentis, qui si detur veritatibus in S. Scriptura revelatis ob testimonium Divinum, vocatur fides *dogmatica*. Altera est fides *miraculosa*, qua Deus miraculum facturus esse ab homine creditur. Tertia est fides *fiducialis*, quæ ex il- *Solvuntur objectiones.*

luminatione legali & Evangelica & desiderio salutis oritur, estque fiducialis apprehensio satisfactionis Christi (Schol. 1.), quæ est actus voluntatis; ex notione tamen assensu ac fiducia constat, & dicitur *salvifica*, ac si hominem impellat, ut actiones suas ad voluntatem Divinam actu conformet, viva est, & sola salvat. Hanc fidem fiducialem probant I. *Matth.* 9. *v.* 2. Christus dixit Paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:* ergo fides, per quam peccata remittuntur, est firma in Deum fiducia. *Resp.* Paralyticus antequam remissionem acciperet, habebat fidem, & tamen non credebat, peccata sibi remissa esse. Deinde fiducia non exigitur a Christo tamquam ratio & conditio remissionis peccati; non enim dicit: *confide, & remittentur*, sed absolute: *remittuntur*, ita ut remissio sit causa fiduciæ, non vero fiducia causa remissionis. II. *Ad Rom.* 4. *v.* 20. dicitur: *Abraham in repromissione Dei non hæsitavit, sed confortatus est fide... ideo & reputatum est illi ad justitiam*. *Resp.* Nulla hic fit mentio fidei fiducialis Abrahæ: & fides dicitur ei reputata ad justitiam, ubi non est sermo de prima justificatione, cum jam antea *Gen.* 14. *v.* 19. benedictus Deo, adeoque justus fuerit; sed est sermo de incremento justitiæ per bona opera. III. Fides est sperandarum substantia rerum, *ad Hebr.* 11. *v.* 1. *Resp.* Fides sic dicitur metonymice, in quantum facit, ut menti firmiter hæreant, quæ non videntur, & necdum existunt: vel quod fides spei nostræ basis sit.

Sola fides non justificat. §. 376. Sola Fides confidentialis non est causa impulsiva & dispositiva justificationis. Probatur 1*mo*. ex eo, quod nullus locus S. Scripturæ ostendi possit, in quo dicatur, quod sola, & quidem illa fides confidentialis justificet; imo quoties Scriptura loquitur de fide justificante, semper loquitur de fide dogmatica (§. 375.), quæ est tantum assensus intellectualis, nec simul fiducia voluntatis: & præter hanc fidem dogmaticam aliarum virtutum actus seu dispositiones requirit (§. 374.). Ergo sola fides non justificat. Deinde fides dicitur *initium justitiæ, ad Rom.* 4. *v.* 5. *Fundamentum*, 1. *ad Cor.* 3. *v.* 11. Et *corda purificare, Act.* 15. *v.* 9. Ergo nec apprehendendo, nec sola justificat. 2*do*. Probatur ex PP. S. Clemens Alex. *l.* 2. *strom.* docet, *fidem præcedere, timorem ædificare, dilectionem perficere*. S. Basil. *in Ps.* 33. ait: *Timor salutaris ad pœnitentiam ducit*. Unde Tridentinum *sess.* 6. *can.* 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum suæ voluntatis motu præparari; anathema sit*. 3*tio*. Decens est, ut ho-

mo, qui propriis actibus perdidit justitiam, ad hanc recuperandam se iterum per proprios prioribus oppositos disponat. Sed homo peccando non tantum agit contra fidem, sed etiam contra amorem & timorem Dei. Ergo non tantum per fidem, sed etiam per timorem, spem & amorem amissam justitiam recuperare debet.

Schol. Lutherani cum Catholicis docent, causam efficientem justificationis esse Deum: meritoriam Christum: instrumentalem esse Sacramenta, sed solum quatenus per verbum Dei excitant in nobis fidem: materialem animam hominis: finalem gloriam Dei & hominis salutem. Formalis vero juxta Lutheranos est declaratio peccatoris pro justo & remissio peccatorum (§. 373. Schol. 1.): juxta nos est gratia sanctificans animæ inhærens: causa denique impulsiva seu dispositiva tenens se ex parte hominis, quæ Deum ad nos justificandum, seu declarandum nos pro justis movet, est sola fides confidentialis, quæ licet sit viva, & in primo justificationis actu habeat efficaciam & virtutem bona opera faciendi, & excitandi studium pietatis, & quando homo justificari pergit, ipsa bona opera non deficiant; non tamen justificat, quatenus efficax est per opera & charitatem, sed sola justificat, eaque quæ forte connexa sunt, ad justificationem nihil cooperantur: cum e contra juxta nos non sola fides, sed & aliæ virtutes, Spes, Charitas &c. (§. 374. n.3.) sint causa dispositiva justificationis. Pro Lutheranis videntur stare sequentes rationes. I. *Ad Rom.* 3. *v.* 28. docet S. Paulus, *justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, ubi opera expresse excludit: & *cap.* 1. dicit: *justus ex fide vivit*. Et Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 8. docet, nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, justificationem promereri. Item S. Augustinus *l. de fid. & operib. c.* 14. dicit: *Sciat quisque, per fidem se posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum*. Ergo sola fides, non vero aliarum etiam virtutum actus, imo nec fides, quatenus est bonum opus secundum legem fidei, sed intuitu justitiæ Christi, justificat. *Resp.* Apostolus loquitur de fide per charitatem operante, & excludit opera, quatenus in se spectata nullatenus ad justitiam perducunt, sed omnem vim a præveniente gratia accipiunt. Gratis autem per fidem justificatur homo, licet justificationem timor, spes, dilectio, & contritio præcedant, quia ipsa Fides est donum gratuitum. Tridentinum loquitur de operibus sine gratia factis, & de merito de condigno, quo carent opera ante justificationis gratiam facta. Eodem modo S. Augustinus docet, opera de condigno meritoria justificatio-

Solvuntur objectiones Lutheranorum.

nem non præcedere. Similiter alia loca S. Scripturæ fidei vim justificandi tribuunt, sed illi, quæ per dilectionem operatur, seu fidei tamquam initio & radici, non excludendo alia opera. II. *Matth.* 9. *v.* 22. dicitur: *Fides tua te salvam fecit*. Et *Luc.* 8. *v.* 50. *Crede tantum, & salva eris*. *Resp.* In primo loco sermo est de fide per charitatem operante. In altero de salute corporali Filiæ Principis Sinagogæ, non vero de gratia sanctificante agitur. III. *Ad Gal.* 2. *v.* 16. dicitur: *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis*. *Resp.* Apostolus solum excludit opera ex solis naturæ viribus & libero arbitrio facta: non vero opera liberi arbitrii, quæ fiunt ex gratia fidei.

Nullus sine revelatione potest esse certus de sua gratia.

§. 377. Quia fides sola, qua credimus & confidimus, peccata nobis propter Christum esse remissa, ad justificationem non disponit (§. 375. 376.); imo in S. Scriptura nullum fundamentum habet: hinc nullus seclusa revelatione potest esse certus certitudine fidei, se esse in gratia. Ita Catholica fides tenet 1mo. ex S. Scriptura, *Eccli.* 9. v. 1. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Hic Ecclesiastes non loquitur de amore & odio aliorum hominum, uti vult Lutherus, dum male vertit: *Nullus tamen homo cognoscit nec amorem nec odium ubicumque alicujus, quem ante se habet;* nam in textu non habetur: *ubicumque;* nec sequens membrum: *quem ante se habet*, conjungitur cum priori, quia accentus *Sakephaton* membra disjungit, cum vox הכל *omnia*, non sit in genitivo, & verba אהבה *amorem*, & שנאה *odiunt* nec sint in regimine, nec in statu constructo. Unde versiones LXX. Syriaca, & Arabica cum Vulgata ponunt pro accentu *Sukephaton* punctum; ut appareat, הכל nec ad hominem, nec ad amorem spectare. Ly *dignus* non habetur quidem in textu Hebraico explicite, ex sensu tamen colligitur. Item dum Vulgata nostra vertit: *Omnia in futurum servantur incerta;* in Hebraico quidem habetur: הכל לפניהם *omnia ante eos*. Sed idem est sensus, scilicet: omnia opera justorum, & amor Dei erga illos antecedunt cogitationem eorum, ut sine revelatione certo sciri non possint. Unde Campensis vertit: *Omnia hæc hominem latent*. Symachus: *Omnia coram eis incerta*. Chaldaica versio legit: *Non est, qui sciat id, quod erit homini: omne in Providentia decretum est, ut sit ante eos*. Imo versionem nostram contextus probat; si enim homo amorem Dei nescit, quomodo certus de illo erit? Rursus *Eccli.* 5. *v.* 5. dicitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum*. Hoc iterum male explicat Lutherus de pro-

pitiato peccato quoad pœnam, dum sinistre vertit: *Non sis securus, an peccatum tuum adhucdum non sit punitum, ut tu ideo semper & semper ulterius peccare velles*. Nam in Græco nulla fit mentio pœnæ, sed sermo est de propitiatione culpæ, uti habet Versio Arabica & Syriaca, & significat vox ἐξιλασμὸς ab ἐξιλάω *reconcilio:* & patet ex eo, quia peccatum in antecedente, & sequente versu pro culpa sumitur, ac versus 4tus, ubi de pœna peccati sermo fit, a sequenti plane sejungitur; certe si non sumus certi de remissa pœna, nec de remissa culpa certi erimus. Item falsum est, quod hic textus intelligendus sit de peccato & propitiatione futura; cum enim in sequentibus sit sermo de futuro, priora sunt de præterito, ne idem bis ponatur. Nec sensus esse potest: circa propitiationem ne confidas abundantiæ opum tuarum, quasi iis possis peccata redimere; nam ly ἐν πλεονασμῷ *in abundantia*, additum verbo *metuere*, significat *nimium*, scilicet, ne sis nimium securus sine metu: sane de abundantia opum hic ne verbum quidem legitur. Accedit S. Apostolus *ad Philipp.* 2. dicens: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*. Et 1. *ad Cor.* 4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Ita etiam docent Patres: & ideo juste definit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 9. *Quilibet dum seipsum suamque infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum*. 2do. Ratio est: Nihil datur, unde homo certo scire possit, se esse in gratia; licet enim ex fide constet, Deum vere pœnitenti dare gratiam; non tamen homini certo constat, quod vere pœniteat, neque per revelationem, neque per evidentiam: nam judicium hominis in hoc est fallax, cum inscrutabile sit cor hominis, & semper prudenter timeri possit, ne aliquod peccatum ibi lateat, dolor non sit sufficiens, & charitas sit pure humana.

Schol. 1. Lutherani & Calvinistæ ex falso illo principio, quod fides justificans nihil aliud sit, quam certa & indubitata fiducia, peccata nobis esse remissa, deducunt, hominem debere & posse esse certum de sua justificatione. Nam I. 1. *Joan.* 4. dicitur: *In hoc cognovimus, quoniam in ipso manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Et *ad Rom.* 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Et 1. *Joan.* 3. *Scimus, quoniam de morte translati sumus ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Et *Joan.* 14. *Vos cognoscetis eum* (Spiritum S.), *quia apud vos manebit, & in vobis erit*. *Resp.* Loca citata intelligenda *Solvuntur objectiones.*

sunt de notitia per fidem habita promissionum & donorum Dei, quantum est ex parte Dei promittentis, licet non cognoscamus certo, nos habere conditiones illas, quibus illa dona & promissiones mereamur. Etsi enim testimonium Spiritus S. non sit fallax, hoc tamen est fallax, quod putetur testimonium Spiritus S. cum tamen non sit. Sincera quidem Charitas est certum indicium gratiæ; hoc tamen nobis non est absolute certum, quod proximum sincere diligamus propter Deum. Item Apostoli post adventum Spiritus dicuntur eum perfectius cognituri esse per fidem, scilicet quod sit in Patre per unitatem substantiæ, & quod in justis futuris sit per gratiam, quam an justi se habere certo sciant, ibi non dicitur. II. S. Augustinus *de ver. pœnit. c.* 2. ait: *Non dicimus, dimitte nobis debita nostra, pro iis peccatis, quæ remissa credimus in Baptismo, nisi de fide dubitemus. Resp.* S. D. *credimus* sumit pro *confidimus*: nam *l.* 2. *cont. Crescon.* eamdem sententiam refert, & verbo, *confidimus*, utitur. III. Gratia est in anima: sed homo scit ea, quæ sunt in sua anima, maxime quia etiam scit, se habere fidem & scientiam: ergo scit, se habere gratiam, præsertim si bonum delectabiliter operetur. *Resp.* Homo non scit omnia, quæ in ipso sunt; scit quidem se habere fidem & scientiam, qui sunt habitus residentes in intellectu, qui est potentia cognoscitiva & reflexiva super seipsam; voluntas vero seu subjectum gratiæ non est talis potentia cognoscitiva; & Charitas existens in voluntate non includit in sui ratione certitudinem, sicut fides & scientia.

An homo certus Theologice de sua gratia esse possit?

Schol. 2. Catharinus in opusculo *de certitud. grat.* docet, justum posse evidenter cognoscere, se esse in gratia, ex hoc discursu Theologico: Qui Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ cum debitis dispositionibus recipit, consequitur remissionem peccatorum. Sed ego recepi hæc Sacramenta cum debitis dispositionibus, quia evidenter scio meam fidem & intentionem, alias ad hæc Sacramenta accedere non possem. Ergo sum certus, peccata mihi esse remissa, adeoque me esse in gratia. Verum hæc sententia plane non placet; nam hæc propositio particularis: Ego sum in gratia, non continetur sub aliqua universali revelata, quia propositio particularis non continetur sub universali conditionata, quamdiu non est certum, conditionem in hoc individuo esse impletam: sed omnes propositiones de justificatione hominis revelatæ sunt conditionatæ, si homo vere pœniteat, quod tamen evidenter scire nequit: ergo non habet certitudinem Theologicam. Certe homo de intentione ministri, & de actibus supernaturalibus ad Sacramentorum

susceptionem requisitis certus esse nequit; & sufficit certitudo practica, qua actu non dubitat, ad suscipienda tuta conscientia Sacramenta.

Schol. 3. Vega *l.* 9. *in Trident. c.* 46. vult, aliquos ad certitudinem moralem suæ gratiæ secundum viam ordinariam ita pervenire posse, ut sine formidine & temeritate non minus certi esse possint de sua gratia, quam certum est, dari Romam. Verum communior opinio tenet, secluso privilegio speciali & favore Dei non esse possibilem certitudinem moralem propriæ justitiæ omnem formidinem excludentem: tum quia juxta Tridentinum quilibet justus debet formidare de sua justitia, dum seipsum, suamque infirmitatem considerat: tum quia alias sine temeritate jurare posset, se esse in gratia; quod tamen juramentum rejicit Innocentius III. in cap. *Accepimus; de Purgat. Canon.* Nihilominus potest homo habere probabilem & conjecturalem certitudinem de sua gratia & justitia, cujus nonnulla signa assignat S. Bernardus *de convers. Cleric.* scilicet devotionis affectum erga Deum: contemptum rerum temporalium: animum nil præter Deum, aut propter Deum amantem: exercitium rerum spiritualium: pœnitentiam: aviditatem audiendi verbum Dei.

§. 378. Quemadmodum vero certitudinem nostræ gratiæ non habemus (§. 377.), ita etiam, licet re ipsa justi simus, a sanctitate & justitia, quoadusque vitam hanc mortalem agimus, excidere possumus, uti ostendit 1mo. S. Scriptura, *Ezech.* 33. *v.* 18. *Cum recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur.* Et 1. *ad Cor.* 10. *v.* 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Accedunt exempla Angelorum rebellium, Adami & S. Petri, qui justi fuerunt, & tamen a gratia exciderunt. 2do. Ita sentiunt Patres: Tertullianus *de pœnit.* S. Cyprianus in *exhort. ad Martyr.* S. Augustinus *l. de correpț. & grat. c.* 6. *Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, non accepi: quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero arbitrio amisit.* 3tio. Ratio est: Justus quousque vivit peccare potest: sed peccando a gratia excidit: ergo potest e gratia excidere. *Justus a gratia excidere potest.*

Schol. Protestantes ex erroneo illo principio, quod peccator justus fiat sola fide confidentiali, docent, prædestinatum per nulla crimina gratiam justificantem amittere. Ita docent nonnulli Calvinistæ putantes, quamdiu fides in corde remanserit, gratiam non amitti, quia decretum prædestinationis est immutabile. Lutherani vero, & fidem vivam salvificam, & gratiam justificantem amitti posse censent. Pro Calvinistis stant sequentes rationes: I. *Ps.* 36. *v.* 24. de justis dicitur: *Cum ceciderit, non* *Solvuntur objectiones.*

collidetur. Et *Ps.* 113. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*. *Resp.* In primo textu sermo est de tribulationibus. In secundo vel præteritum, *ambulaverunt*, ponitur pro futuro, *ambulabunt:* vel sensus est: si ambulant, non operantur iniquitatem. II. S. Gregorius *hom.* 5. *in Ezech.* 11. docet, Charitatem stabilem, & perseverantem esse. Et S. Augustinus *tr.* 1. *in Joan.* dicit, eam arescere non posse. *Resp.* S. Gregorius loquitur de Charitate Beatorum. Et S. Augustinus vult, id quod in Charitate radicatum est, arescere non posse.

Sola fides non salvat. §. 379. Homo amissam per peccatum justificationis gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ recuperare quidem potest, uti suo loco dicetur: sive autem acceptam in Baptismo gratiam perpetuo conservaverit, sive amissam recuperavit, nunquam per solam fidem, sed progrediendo de virtute in virtutem in ipsa justitia, cooperante fide in bonis operibus crescere, & ita magis justificari & salvari debet. Hoc docet 1mo. S. Scriptura, 1. *ad Cor.* 13. *v.* 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum*. Ergo sola fides non salvat: Sermo quidem hic est de fide miraculorum, uti notat Schubert, sed prout includit fidem Christianam & Catholicam: seu de fide perfecta circa ea, quæ creduntur; nam S. Apostolus vult præferre Charitatem omni fidei, consequenter etiam fidei credendorum & fidei fiduciali hæreticorum. Deinde *ad Gal.* 5. *v.* 6. dicitur: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Ubi ostendit Apostolus, dari aliquam fidem, quæ per Charitatem non operatur, & ideo eam se sola non justificare & salvare. Rursus S. Petrus, S. Joannes, S. Jacobus & S. Judas contra discipulos Simonis Magi verba S. Pauli in *Epistola ad Romanos* male interpretantes, expresse suas Epistolas scripserunt, ubi docent, solam fidem non salvare. Sic S. Jacobus *c.* 2. *v.* 14. ait: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum? Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa*. Et hoc postquam multis probavit, concludit *v.* 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*. Et *v.* 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Respondet Schubert, S. Jacobum non loqui de fide fiduciali justificante, sed de fide in nuda notitia & assensu consistente, quam hypocritæ pro fide fiduciali habebant. Verum ubinam fides fiducialis fundamentum in S. Scriptura habet, & cur Apostolus hypo-

critas ad rectam fidem non hortatur, sed opera prætcrea requirit? Item 3. *Petri* 1. hortatur Apostolus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ubi hæc verba: *per bona opera*, in nonnullis quidem græcis codicibus desunt, in aliis tamen, & omnibus Latinis leguntur. Hæc omnia S. Scripturæ loca indicant, quod bonis operibus æque ac fidei munus justificandi & salvandi tribuatur. Ergo cooperantur ad justificationem & salutem, & non mere comitantur fidem justificantem veluti signa, proprietates & fructus, uti volunt Protestantes. Eodem modo docent Patres a Bellarmino relati. Et ideo merito definit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, anathema sit.*

§. 580. Ex dictis (§. præc.) fluit, bona opera justificatis esse necessaria ad salutem. Nam 1*mo*. Christus ipse in Evangelio ubique bona opera ut necessaria ad salutem commendat. *Matth.* 5. *Sit luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et *c.* 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et *c.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et *Matth.* 28. Christus Judex dicturus est electis: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare. &c.* Ubi particula *enim* causalis est. 2*do*. Hæc est doctrina omnium Patrum. S. Chrysostomus *in Ep. ad Rom. c.* 8. ait: *Fieri non potest, ut salvetur, qui post fidem torpescit.* S. Ambrosius *in c.* 4. *Ep. ad Hebr. Non sufficit fides, sed debet esse vita fidei condigna.* S. Augustinus *de grat. & lib. arbitr.* reprehendit eos, qui dicunt, juxta S. Apostolum sufficere fidem homini, etiamsi male vivat. Hæc omnia eludere non potest D. Schubert, dicendo, sermonem esse de operibus fidem justificantem concomitantibus: nam uti ex infra dicendis patebit, opera nostra sunt vitæ æternæ meritoria.

Opera bona sunt necessaria ad salutem.

Schol. Lutherani cum D. Schubert docent, multiplex in S. Scriptura mandatum exstare, quod studium bonorum operum exigat; imo tota Lex eo tendit, ut homines regenerati bonorum operum exercitio Deum colant, & ideo ad illa obligati sunt, ac justitiam, omnesque virtutes sectari debent. Quia vero justitia nostra valde imperfecta est, cum regeniti semper peccata infirmitatis committant, qualia sunt motus concupiscentiæ, quibus etiam non consentiunt, & tamen fidem habent, per quam peccata remittuntur, id est teguntur & occultantur, ita ut solum bonum in conspectu Dei remaneat: ideo hæc regeneratorum justitia in se imperfecta Deo tamen placet, & dicitur justitia Legalis, Renovationis & Propria, quæ

Solvuntur objectiones.

à justitia Justificationis, Evangelica, Fidei, Aliena, scilicet Justitia Christi omnino distinguitur. Quare licet justitia legalis seu operum homini regenito sit omnino necessaria; non tamen est necessaria, ut per eam justificationem & æternam salutem consequatur; & ideo Lutherani plures cum D. Schubert, contra nonnullos alios Lutheranos, docent, bona opera non esse necessaria ad salutem, licet sint necessaria ratione præcepti, & aliorum motivorum ab æterna salute consequenda desumptorum. Nam I. S. Scriptura vim salvandi soli fidei tribuit, *Marc.* 16. *v.* 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Item *Joan.* 3. *v.* 18. & *Joan.* 6. *v.* 47. *Resp.* Locus S. Marci intelligendus est, qui crediderit cum voluntate observandi mandata, & illa servaverit, si adultus fuerit, salvus erit. Ex hoc loco solum infertur, quod non solus Baptismus, sed etiam fides salvet, quæ in adultis omnino est necessaria, ut Baptismus fructuose suscipiatur. Hoc argumentum: Baptismus sine fide non salvat: ergo sola fides salvat: tam male concludit, quam hoc: fides sine charitate non prodest ad salutem: ergo fides nihil prodest ad salutem. Eodem modo in aliis locis necessitas fidei ad salutem asseritur, sed nullibi dicitur, vel solam fidem salvare, vel opera non esse necessaria. II. *Ad Eph.* 2. *v.* 8. dicitur: *Gratia enim salvati estis per fidem, non ex operibus. Resp.* S. Apostolus vult, fidem esse salutis nostræ fundamentum, quàm ex gratia habemus, non vero ex operibus ex puris viribus naturæ & liberi arbitrii factis. III. Salus sine operibus obtineri potest, uti patet in infantibus, bono Latrone, & statim post Baptismum morientibus, qui sine operibus salvati fuerunt. *Resp.* Statim post Baptismum decedentes salvantur per fidem sejunctam quidem ab operum consummatione, non vero a bona voluntate, & proposito mandata servandi, & bona operandi; quod etiam de bono Latrone observat S. Cyrillus *Cat.* 13. *Vellet juste agere Latro, sed venit mors.* In infantibus operum incapacibus illa non requiruntur, quia illis vita æterna datur tamquam pura hæreditas ob adoptionem in filios in Baptismo: adultis vero datur non solum ut hæreditas, sed etiam ut merces, quam per opera bona mereri debent.

Opera bona dantur. §. 381. Dantur igitur opera perfecte bona, seu ita perfecta, ut peccata non sint, vel peccatis contaminata. Nam 1mo. *Job.* 1. dicitur Job *vir rectus, simplex, ac timens Deum, & recedens a malo, nec in omnibus, quæ ipsi acciderant, peccasse labiis suis. Matth.* 7. *Videant opera vestra bona.* Et *Luc.* 7. laudatur peccatricis pœnitentia. 2do. Ita docent Patres. S. Hier. *l.* 3. *cont. Pelag. Hoc nos dicimus, posse hominem non peccare, si ve-*

lit. S. Augustinus *l. de bon. conjug.* S. Greg. *l.* 2. *mor.* *c.* 8. Hinc Tridentinum *sess.* 6. *can.* 25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.* 3*tio.* Ratio est: Actus ex gratia eliciti non sunt peccata ob innatam concupiscentiam, cujus motus indeliberati non sunt peccata, ex alibi dicendis, nec ex defectu intensioris Charitatis; quod enim minus ferveat Charitas in via, quam in patria, non est peccatum, sed defectus juxta S. Augustinum *l. de Spir. & litt. c. ult.* nec ex admixtione peccati venialis, quod ad tempus vitari potest (§. 549. Schol. 1.).

Schol. Lutherus in *assert. art.* 31. scribit: *In omni opere bono justus peccat.* Et *art.* 32. *Opus bonum optime factum est mortale peccatum secundum judicium Dei.* Et *art.* 63. *Justus in opere bono peccat mortaliter.* Recentiores vero Lutherani docent, peccatum originale homini, quamdiu vivit, semper inesse, quia tantum tegitur (§. 372.), & quia ex peccato originali peccata actualia oriuntur; hinc opera etiam honesta infidelium sunt peccata, non prout sunt conformia legi, sed quatenus non habent omnia ad bonum opus requisita, scilicet amorem Dei &c. Opera vero regeneratorum etiam sunt peccata, non quidem proæretica seu voluntaria, sed peccata infirmitatis, & peccata secundum quid, quia a reliquiis peccati in carne adhuc hærentibus, seu concupiscentia, quæ est formale peccati originalis (§. 266.) contaminantur: placent tamen Deo, quatenus hæc contaminatio tegitur merito Christi: nec illa peccata iis ad æternam pœnam imputantur, quia de illis quotidie pœnitentiam agunt. Probant hoc I. *Eccl.* 7. *v.* 21. dicitur: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quæ propositio æquivalet huic: omnis homo justus faciens bonum, peccat: ergo dum facit bonum, peccat, & cuilibet operi aliquid proprii amoris, concupiscentiæ & imperfectionis, quæ sunt peccata, adhæret. *Resp.* Citatus locus huic propositioni æquivalet: Omnis homo justus in terra, qui facit bonum, quandoque peccat: quippe non dicitur: faciens bonum in sensu composito, peccat: sed in sensu diviso, scilicet, quandoque faciet bonum, quandoque peccabit. Deinde verba illa: *qui faciat bonum,* adduntur, ut innuatur, sermonem esse de justis adultis. Denique licet actibus nostris bonis sæpe imperfectiones adhæreant; ex hoc tamen solum sequitur, eos non esse optimos, non vero esse peccaminosos, quia Deus non semper præcipit actum intensissimum. II. *Is.* 64. dici-

Solvuntur objectiones:

tur: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Hinc S. Bernardus *serm. 1. in Fest. Omn. Sanct. Si districte judicetur, injusta invenietur omnis nostra justitia, & minus habens.* Quod etiam docet Gerson *l. 4. de consol. Theol.* & Adrianus *in 4. sen. Resp.* Isaias loquitur de peccatotibus, uti patet ex *v.* 5. vel si de justis loquatur, vocat eos immundos ab origine, & quia subinde venialia committunt. S. Bernardus loquitur de nostra justitia collectim spectata per totam vitam acquisita, quam injustitiam vocat, tum ob incertitudinem veræ justitiæ; tum quia eam sæpe venialibus peccatis maculamus. Gerson de iis loquirur, qui suam justitiam jactitant, & ita corrumpunt. Adrianus loquitur de malis, quæ bonis immiscemus. III. *Ad Rom.* 7. *v.* 19. dicitur: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: v.* 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Resp.* Apostolus per ly *ago* intelligit motus indeliberatos; nam noluit ne quidem sentire motus concupiscentiæ, quod tamen non assecutus est. Quare sequitur, jam non ego operor, id est, non plena voluntate his motibus consentio, adeoque non pecco. En! nullo modo dicit, opera nostra esse peccata. IV. Petimus, ut nomen Dei sanctificetur in nobis: ergo in nobis polluitur. *Resp.* In peccatoribus polluitur nomen Dei; petunt ergo, ut iterum sanctificetur: justi petunt, ut in bono perseverent, & ut perficiatur in eis, quod jam acceperunt.

Dantur opera supererogatoria. §. 382. Dantur insuper opera bona supererogatoria, Deo placentia, & proficua homini. Nam non omnia opera sunt præcepta: sic castitas virginalis, & vidualis non est præcepta, teste Apostolo, 1. *ad Cor.* 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Similiter nec paupertas Evangelica, nec obedientia Evangelica præcepta est, utpote quæ Christus juveni ad obtinendam salutem solummodo suasit, cum tam ardua præcipere, & Bonitati Divinæ, & humanæ fragilitati repugnet: ergo dantur opera supererogatoria, de quibus suo loco plura.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Protestantes docent, nullum dari opus supererogatorium, quod bonum sit, I. quia conformitas cum lege Dei est forma bonorum operum: ergo ubi deest lex Dei, opus bonum deficit. *Resp.* Forma boni operis non solum lex, sed etiam consilium Dei est. II. Tota ratio Christianæ perfectionis est sub præcepto, quo jubemur Deum diligere ex toto corde &c. adeoque amore summo: ergo non dantur opera consilii & supererogato-

tia. *Resp.* Tenemur Deum amare amore summo appretiative, ita ut nos nihil per transgressionem gravis præcepti Divini a Deo separet; non vero intensive, ita ut etiam Consilia Evangelica amplecti teneamur.

§. 583. Per opera bona homo justificatus vere & proprie mereri potest, & re ipsa meretur vitam æternam. Hoc docet 1mo. S. Scriptura, *Ps.* 118. *v.* 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem:* ergo observatio mandatorum meretur retributionem, uti patet ex particula causali; *propter*. Ubi Lutherus male vertit: *Inclino cor meum ad faciendum secundum tua jura semper, & in æternum.* Nam עקב hic ponitur post לעולם sine præfixo articulo, consequenter mercedem, seu retributionem significat. Quare LXX. vertunt *δι' ἀντάμειψιν*. Et versio Arabica לעולם sumit in statu constructo, & עקב in genitivo, & ל præfixum vertit: ad, vel propter æternitatem mercedis. Unde a Chaldaica hic recedendum est. Deinde *Sap.* 5. dicitur: *Apud Dominum est merces eorum*. Et *Eccli.* 16. *Misericordia facit unicuique locum secundum meritum operum suorum*. Item *Matth.* 5. ait Christus: *Merces vestra copiosa est in cælis*. Quod *c.* 20. explicat exemplo Patrisfamilias, qui in mercedem exigui laboris reddit operariis denarium diurnum: ergo æterna vita bonorum operum merces est, adeoque illam bona opera merentur. Rursus *ad Hebr.* 13. *v.* 16. dicitur: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*; id est, *promeremur*. Verti quidem potest ly *εὐαρεστεῖται ὁ θεός, delectatur Deus*; verum cum operibus, quibus delectatur Deus, præmium assignetur; cumque verbo latino *mereri* nullum aliud in Græco, nisi *εὐαρεστεῖν* respondeat, sensus Vulgatæ præferendus est. Item vita æterna dabitur juxta mensuram bonorum operum, *ad Rom.* 2. *v.* 6. *Reddet unicuique secundum opera sua; iis, qui secundum patientiam boni operis gloriam quærunt, vitam æternam*. Non gradus accidentales vitæ æternæ, uti Schubert exponit, sed vitam æternam, & quidem habito respectu ad opera, quod indicat verbum *reddet*. Et 2. *ad Tim.* 4. *Reposita est mihi corona justitiæ* (id est vita æterna *Jac.* 1.) *quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Ubi iterum verbum *reddet*, & *corona justitiæ* operum meritum designat. 2do. Ita docent Patres. S. Ignatius *Ep. ad Rom. Sinite, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri*. S. Cyprianus *l. de unit. Eccl. Præceptis Dei obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem*. S. Augustinus *Ep.* 194. *Nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt*. Merito ergo definit Tridentinum

Opera bona sunt meritoria vitæ æternæ.

sess. 6. *can.* 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita . . ; anathema sit.* 3tio. Deus confert homini per gratiam virtutem bona operandi, & ex modo dictis, operibus ex gratia factis promittit vitam æternam: ergo homo eam promereri potest: meritum quippe in genere est opus bonum, præmio seu retributione dignum.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Cum juxta Protestantes bona opera non sint per se necessaria ad salutem (§. 580. Schol.), ideo infert D. Schubert, Deum quidem bona opera in hac vita remunerari velle, seque id facturum promisisse, licet hæc præmia in hoc sæculo non semper sequantur; imo Deus gradus etiam gloriæ accidentalis pro qualitate & mensura operum determinabit. Sed cum ipsa æterna gloria operibus nostris non sit promissa, nec propter eorum dignitatem, sed ex mera gratia, etsi justitia remuneratrice impellente, gradus accidentalis gloriæ illis a Deo determinetur: ideo opera nostra non sunt meritoria vitæ æternæ. Nam I. *Ps.* 102. dicitur: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Is.* 55. *v.* 1. *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Et *ad Rom.* 6. *v.* 23. *Gratia autem Dei vita æterna.* Ubi misericordiæ & meræ gratiæ corona gloriæ tribuitur. *Resp.* Corona gloriæ in primo loco citato soli misericordiæ tribuitur radicaliter & antecedenter ad gratiam prævenientem, non vero consequenter, ubi etiam justitiæ adscribitur, 2. *ad Tim.* 4. *v.* 8. Imo ibi nec videtur sermo esse de corona gloriæ, quia contextus agit de misericordia Dei erga justum in hac vita, & verbum עטר significat *circumcingere*, quod huic vitæ convenit juxta Lutheri versionem, *Ps.* 5. *v.* 15. Isaias agit de gratia hujus temporis, præsertim prima, quam sine merito accipimus; vel si gratia secunda intelligatur, sermo est de illa, cui in cœlo augmentum gloriæ respondet, quæ emitur sine argento in radice, scilicet prima gratia, quam gratis accipimus. Vita æterna dicitur gratia, quia ipsa opera, quibus redditur, gratis data sunt; vel dicitur gratia, quia prædestinatio nostra ad gloriam est gratuita ab omni prævisione meritorum independens; vel dicitur gratia, quia Deus gratuite dignatus est, vitam æternam constituere mercedem bonorum operum. Item vox græca χάρισμα subinde significat munus militibus ob fortiter gesta concessum, quod metaphoræ ab Apostolo in citato loco usurpatæ satis congruit; unde habemus & largitionem gratuitam, & laborum seu operum remunerationem. II. SS. PP. docent, beatitudinem esse meram gratiam: Deum non coronare merita nostra, sed sua dona: Deum nulli facturum in-

juriam, si justis nollet largiri cœlestem gloriam. Ita S. Hilar. *in Ps.* 51. S. Basil. *in Ps.* 14. S. Augustin. *in Ps.* 70. *Resp.* Beatitudo est mera gratia ratione prædestinationis ad illam. Coronat in nobis Deus dona sua, quia ejus adjutorio bona operamur. Non esset alicui injurius, si nollet gloriam dare, si absolutam ejus auctoritatem & opera nostra tantum spectemus: quia vero operibus accedit liberalis promissio, fidelis est, nec aliquem justa mercede fraudat, & justus reddens unicuique secundum opera sua. III. Hoc dogma evertit vim & efficaciam mortis Christi, cujus merito gratia & gloria solum tribuenda est. Evacuat etiam Divinam misericordiam, & Dominum omnium facit debitorem creaturæ, quæ in meritis suis confidere posset. *Resp.* Nulla fit injuria meritis Christi, a quibus provenit gratia justorum, & ut eorum opera vitam æternam promereantur. Nec facimus Deum debitorem, qui ex nobis aliquid commodi capiat; sed dicimus, Deum se facere debitorem nostrum, non aliquid a nobis accipiendo, sed promittendo. In bonis operibus collocari potest spes retributionis Divinæ, & ad excitandum fervorem debet quisque firmissime credere, bona agentes ituros esse in vitam æternam: ne autem superbiat, cogitet se misericordia Dei, & meritis Christi egere: ne præsumat, meminerit, solis perseverantibus usque in finem paratam esse retributionem æternæ salutis. Vide Trident. *Sess.* 6. *can.* 26. IV. Opera nostra sunt imperfecta: aliunde Deo debita, quia *servi inutiles sumus*, *Luc.* 17. *v.* 10. & non habent proportionem cum æterna mercede: *non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, *ad Rom.* 8. *v.* 18. *Resp.* Opera nostra sunt quidem imperfecta relate ad perfectissima; non tamen sunt peccata (§. 381.): imo per gratiam accedente Divina promissione ad meritum elevantur. Causa meriti non est opus, quod debetur, sed operis, quod debetur, libera executio. Servi inutiles sumus, quia opera nostra nihil utilitatis Deo afferunt, quia sine gratia fieri non possunt, & Deus sine proposita mercede potuisset nobis mandata servanda proponere. Denique non est proportio inter opera nostra, & æternam mercedem, spectata operis substantia, & de rigore justitiæ; bene vero inspecta natura gratiæ sanctificantis & ejus dignitate, a qua meritum proficiscitur.

Licitum est intuitu æternæ mercedis operari.

§. 384. Licitum proinde & honestum est, intuitu æternæ mercedis nobis promissæ (§. 383.) operari. Quippe *Ps.* 118. S. David ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem* (§. 383.). Et *Matth.* 6. *Quærite primum regnum Dei*

& justitiam ejus. Unde S. Augustinus *in Ps.* 120. *Quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac*. Et Tridentinum *sess.* 6. *can.* 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*. Ratio est: Cuilibet bene operanti licet intendere finem bonum. Sed finis bonorum operum supernaturalium est vita æterna. Ergo licet eum intendere.

Requisita ad opus vere meritorium. §. 385. Ut autem opus sit vere meritorium vitæ æternæ, requiritur 1. ut sit liberum etiam a necessitate. Nam *Eccli.* 31. justus dicitur mereri laudem & gloriam, quia *potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit*. Et S. Augustinus *l.* 5. *de Civ. c.* 7. ait, nulla a justitia bonis præmia, & malis supplicia esse constituta, si a Dei præscientia imprimatur necessitas. Hinc Innocentius X. hanc Jansenii propositionem ut hæreticam damnavit: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. Ratio est: Ut quis sit præmio dignus, debet habere dominium suæ actionis; ideo enim laudatur, & præmiatur, quod se ad bonum determinaverit, a quo abstinere poterat; quod non habet agens ex necessitate.

2. Requiritur, ut sit opus bonum; si enim bonum non sit, vel est malum, & sic non præmium, sed pœnam meretur, *ad Rom.* 6. *Stipendia peccati mors:* vel est indifferens, & sic vel non datur; vel si detur, nec præmio nec supplicio dignum est.

3. Requiritur, ut sit opus supernaturale, procedens ex principio, scilicet gratia, & motivo supernaturali, quia *sine me nihil potestis facere*, *Joan.* 15. *v.* 5. Et Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. docet, quod sine Christi gratia & virtute, quæ bona hominum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, eadem opera nullo pacto Deo grata & meritoria esse possint. Cujus ratio est, quia inter opus naturale & præmium supernaturale nulla est proportio (§. 346.).

4. Requiritur, ut fiat in obsequium Dei, quia si in Deum non referatur, non erit ordinis supernaturalis, nec a Deo mercedem exigere potest.

5. Requiritur, ut operans sit in statu gratiæ. *Joan.* 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*. Sed peccator non manet in Christo, quia non manet in Charitate. Ergo non potest ferre fructum. Unde etiam merito damnatæ sunt propositiones Baji 12. 13. & 15. quæ sic sonant: *Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operatur, habet gratiam, & inha-*

bitantem Spiritum S. sed in eo solum, quod obedit legibus. Ratio est, quia persona Deo exosa, scilicet peccator, nequit facere opera Deo omnino grata, cum Deus prius offerentem, quam munera ejus respiciat, *Gen.* 4.

6. Requiritur, ut opus fiat in statu viæ. *Eccl.* 11. *In quocumque loco ceciderit lignum, ibi manebit. Joan.* 9. *Venit nox*, scilicet mors, *quando nemo potest operari*, scilicet meritorie. *Eccli.* 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* In quæ verba S. Hieronymus: *Mortui nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita.* Ratio ex voluntate Dei petenda est.

An debeat opus esse supererogatorium?

Schol. 1. Ut opus sit meritorium, non requiritur, ut sit supererogatorium, hoc est nulla lege præceptum; imo contraria opinio erronea videtur, tum quia juxta Tridentinum per opera in Deo facta, qualia sunt etiam opera præcepta, vitam æternam meremur: tum quia *Luc.* 6. dicitur: *Diligite inimicos vestros ... & erit merces vestra multa:* tum quia laudabile est, etiam præcepta servare. An Elias & Enoch in loco incognito degentes, modo adhuc mereantur, divinare nolumus.

Solvuntur objectiones.

Schol. 2. Jansenius docet, ad meritum non requiri, ut actus sit liber a necessitate (§. 552. Schol. 1.): de quo in *c. de act. hum.* Pelagiani autem negant, ad meritum requiri opus supernaturale, quod refutatum fuit (§. 545. 546.). Alii denique opus bonum absque gratia habituali factum, esse regni cœlestis meritorium contendunt. I. Opus malum meretur pœnam sine habitu malitiæ: ergo bonum præmium sine habitu gratiæ. *Resp.* Peccatum ex se habet condignitatem pœnæ; bonum opus vero sine gratia condignitatem vitæ æternæ non habet. II. Homo in statu peccati potest per pœnitentiam sibi injunctam satisfacere. Item apud alium hominem mereri potest, licet sit ejus inimicus: ergo & apud Deum mereri potest. *Resp.* Disparitas quoad primum est, quia satisfactio attenditur penes æqualitatem pœnæ ad culpam: meritum vero penes condignitatem operis & operantis ad præmium. Quoad secundum disparitas est, quia apud homines meritum attenditur penes opus independenter a conditione operantis: secus est apud Deum, qui homini merenti reconciliatus esse debet. III. Si requiritur status gratiæ, homo in statu peccati frustra oraret: & S. Scriptura operibus peccatorum remissionem criminum non promitteret, *Dan.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* *Resp.* Opera ante justificationem facta, licet non sint proprie meritoria, si tamen per voluntatem inchoatam se convertendi a gratia excitatam fiant, sunt præ-

operatoria ad gratiam, & illius impetratoria; unde illa S. Scriptura commendat.

Meritum quid? §. 386. Ex his colligi potest, quid sit *Meritum* supernaturale: scilicet est actus moraliter bonus, liber, ab homine justo & viatore procedens, supernaturalis, & in obsequium præmiantis exhibitus.

Meritum de condigno, & de congruo. *Schol.* 1. Meritum aliud est *de condigno*, quod in se habet valorem condignum cum præmio, cui præmium tamquam merces ex justitia debetur. Si opus hoc habeat æqualitatem cum mercede sine ulla gratia ex parte remunerantis, erit meritum *de condigno rigoroso*, quod soli Christo competit. Si vero operis valor & dignitas remunerantis gratia nitatur, quales sunt actiones nostræ in gratia fundatæ, quæ sunt dona Dei, & aliunde Deo debitæ, erit meritum *de condigno ordinario*. Aliud est meritum *de congruo*, quod exceditur a præmio, nec debetur ex justitia, licet quamdam proportionem & congruentiam cum præmio habeat ob decentiam, liberalitatem & honestatem præmiantis. Ad meritum de congruo requiritur, ut sit opus bonum, supernaturale, liberum, & ab homine viatore elicitum.

An ad meritum requiratur promissio Dei? *Schol.* 2. Ad meritum de condigno, præter conditiones (§. 385.) assignatas, juxta communiorem sententiam Theologorum contra P. Vasquez, requiritur ex parte Dei pactum seu promissio de danda mercede. Nam 1. S. Scriptura, Concilia & PP. quando loquuntur de promissione mercedis, innuunt, hanc ad meritum requiri. Sic Concilium Senonense in decreto fidei *c.* 16. ait: *Faciet tandem omnis misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum non absoluta condignitate.. sed gratia magis & liberali repromissione*. Et S. Augustinus *Serm.* 158. *Debitor factus est Deus, non a nobis aliquid accipiendo, sed aliquid quod ei placuit, promittendo*. 2. Meritum de condigno ex parte hominis inducit obligationem mercedis ex parte Dei (Schol. præc.). Sed Deus ex sola sua promissione ad remunerandum hominem obligari potest; nam omnia opera nostra aliunde Deo sunt debita, nec servus proprie dictus meretur mercedem, nisi illi Dominus promittat, cum omnia ejus opera Domini sint. Ergo requiritur promissio. Non obstat I. quod opus malum pœnam mereatur sine interveniente pacto: ergo etiam bonum, præmium sine pacto. *Resp.* Disparitas est, quod opus malum, per quod offendens lædit jus alterius, sine pacto infert obligationem illud resarciendi; opus bonum vero, quia aliunde Deo est debitum, non habet jus exigendi ab eo mercedem, nisi liberaliter Deus promittat. II. Inter homines non requiritur promissio de mercede, sed mox ut Dominus

operario laborem præcipit, ille mercedem meretur: ergo etiam apud Deum. *Resp.* Disparitas est; quia obsequia operarii non sunt aliunde Domino debita, sicuti opera nostra Deo.

Schol. 3. Quæritur in Scholis an opera justorum ex gratia facta, sint meritoria de condigno vitæ æternæ. Scotus per meritum de condigno illud intelligit, cui debetur præmium ex justitia, quod cum operibus justorum ex gratia factis non debeatur ex justitia, sed ex sola ordinatione & acceptatione Dei; hinc opera justorum non sunt proprie & intrinsece meritoria de condigno, sed tantum extrinsece ob acceptationem Divinam. Hæc sententia eatenus vera esse videtur, quatenus meritum ponit in præmiante debitum. Interim in hoc videtur falli, quod velit, Deum tantum ex fidelitate justorum meritis præmia retribuere, cum etiam ex justitia retribuat; unde dicitur corona justitiæ. Hæc tamen non est obligatio justitiæ commutativæ, quia homo nihil potest dare Deo, quod ejus supremo Dominio non sit subjectum: sed justitiæ distributivæ, qua superior dat inferioribus unicuique secundum suam dignitatem & meritum. Quia tamen Deus servat æqualitatem meriti ad mercedem, in quantum tantum dat pro tanto, servat modum justitiæ commutativæ. Durandus *in* 2. *d.* 27. docet, nullum posse esse in creatura meritum condignum. Circa hanc controversiam, uti notat D. Habert, Concilium Tridentinum nihil definivit, licet contrariæ sententiæ communi aperte faveat, cum qua nos etiam dicimus, opera justorum ex gratia inhabitante & movente facta, esse proprie & intrinsece meritoria de condigno vitæ æternæ. Probant hoc 1. testimonia S. Scripturæ (§. 383.) allata, in quibus justi per opera bona dicuntur digni Deo & vita æterna. Sap. 8. *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos se.* 2. *Ad Thessal.* 1. *Sic omnes tribulationes sustinetis, ut digni habeamini regno Dei.* 2. Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 32. definit, justificatum bonis operibus vere mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam. Sed particula *vere* denotat meritum de condigno, utpote quod simpliciter meritum dicitur, cum e contra meritum de congruo sit meritum secundum quid. 3. Valor operum nostrorum, prout sunt a gratia habituali & movente, adæquat excellentiam vitæ æternæ; sunt enim ordinis supernaturalis & Divini, sicuti gloria, & condignitas eorum attenditur tum secundum virtutem Spiritus S. tum secundum dignitatem gratiæ, quæ est pignus hæreditatis æternæ: ergo sunt condigne meritoria. Non obstat I. quod *ad Rom.* 8. dicatur: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* *Resp.* Hoc intelligi de

An opera nostra sint de condigno meritoria?

operibus sanctorum secundum se spectatis, & secundum substantiam rei operatæ; non vero de illis, prout sunt a Spiritu S. & a gratia, quo modo Deo digna sunt. II. Gloria excedit opera justorum etiam ex gratia facta, quia est æterna, & consummata: et Deus remuneratur justos ultra condignum *Luc.* 6. mensura supereffluente. *Resp.* Gloria excedit opera sanctorum excessu perfectionis actualis, non vero excessu virtutis: sicuti semen non est quidem æquale arbori quoad molem, est tamen æquale in virtute, quatenus virtus ad totam arborem illi inest. Deinde Deus remuneratur ultra condignum, non quasi opera justorum non mereantur de condigno vitam æternam, sed quod ultra gradum gloriæ de condigno promeritum Deus ex sua liberalitate majorem perfectionem visionis beatificæ adjiciat. III. Bonis nostris non debetur præmium ex justitia, quia seclusa promissione Deus sine injustitia illud nobis denegare posset; ergo non sunt condigne meritoria. *Resp.* Ex promissione Dei resultat in eo obligatio justitiæ non omnino rigorosæ, sed latioris, quia supponit gratiam factam a præmiante; nam bona nostra opera sunt ex ejus gratia, & nonnisi ex gratia illa acceptat ad præmium, licet condignitatem ad illud habeant ob æqualitatem valoris operis ad ipsum præmium, penes quam meritum de condigno attenditur.

An ad meritum de condigno requiratur influxus Charitatis?

Schol. 4. Ulterius quærunt Scholæ, an ad meritum vitæ æternæ requiratur influxus saltem virtualis Charitatis, an vero per omnes virtutes a gratia derivatas tam infusas, quam acquisitas possit quis mereri vitam æternam sine aliquo influxu Charitatis. Affirmativa sententia est probabilior, scil. ad meritum de condigno requiri influxum saltem virtualem Charitatis, licet per actus aliarum virtutum sine hoc influxu Charitatis justus præmium accidentale mereri possit. Est contra P. Vasquez, & probatur 1. ex S. Scriptura *ad Gal.* 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Item S. Scriptura præmium bonis operibus ita promittit, si fiant in gloriam Dei, in nomine Christi, *Matth.* 18. & 19. Quæ omnia important aliquam relationem ad Deum tamquam ultimum finem, consequenter in objectum Charitatis. Hinc S. Paulus hoc motivum inculcat, 1. *ad Cor.* 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive quidquid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Idem docet S. Thomas 1. 2. a. 4. Ratio est, tum quia actus aliarum virtutum non referuntur in obsequium Dei, nisi per Charitatem, quæ sola Deum ut in se bonum respicit, quod tamen ad meritum requiritur (§. 586.); tum quia perfectio vitæ essentiali-

ter consistit in Charitate, *ad Coloss.* 3. *ad Rom.* 13. Ergo etiam meritum præmii essentialis perfectioni viæ respondens in sola Charitate fundatur, & sic nulli alteri virtuti, nisi ex imperio Charitatis elicitæ, competere potest. Non obstat I. quod *Matth.* 10. & 12. *Luc.* 10. 1. *ad Cor.* 15. & in Tridentino *sess.* 6. *cap.* 10. vita æterna cuilibet operi justorum absolute promittatur. *Resp.* In illis locis subintelligitur conditio alibi expressa, scilicet, quod opera fiant propter Deum, in nomine Dei; & Tridentinum exprimit opera in Deo facta. II. Actus virtutum infusarum sine influxu Charitatis ad Deum ultimum finem supernaturalem referuntur. *Resp.* Referuntur solum imperfecte & implicite, non vero perfecte, quod ad meritum vitæ æternæ essentiale requiritur, licet non requiratur ad præmium accidentale. III. Si nullus actus virtutum fit meritorius sine influxu Charitatis, tunc Charitas sola meretur, & aliæ virtutes sunt superfluæ. *Resp.* Sequela non tenet: Charitas enim in merendo se habet ad alias virtutes, ut causa universalis ad alias particulares: sicut ergo causa universalis non impedit causalitatem particularium, sed eam complet: ita licet habeant efficaciam merendi a Charitate; singulæ tamen merentur sub ejus influxu.

§. 587. 1. Licet autem opera hominis justi sint de condigno meritoria vitæ æternæ (§. 586. Schol. 3.), nemo tamen nec de condigno, nec de congruo primam gratiam actualem mereri potest. Nam homo sibi hanc primam gratiam actualem mereri deberet per solas naturæ vires, ex quibus solis operatur, qui ante primam gratiam actualem operatur. Sed homo per solas naturæ vires gratiam mereri nequit (§. 385. n. 3.). Ergo nequit eam mereri. Unde illud axioma: *Principium meriti non cadit sub meritum.* Et illud Pelagii damnatur: *Gratia secundum merita datur.* *Primam gratiam de condigno nec congruo mereri potest.*

2. Nemo etiam gratiam primam habitualem de condigno mereri potest. Nam *ad Rom.* 2. dicitur: *Justificati gratis per gratiam.* Quæ verba explicat Tridentinum *sess.* 6. *c.* 8. *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur.* Ratio est: ante primam gratiam habitualem homo non est justus: ergo eam de condigno mereri nequit; nam ad hoc requiritur, ut sit in statu gratiæ, adeoque justus (§. 385. n. 5.).

Schol. 1. Homo primam gratiam habitualem de congruo mereri potest. Nam 1. S. Augustinus *tr.* 44. *in Joan.* ait: *Ista confessio*, Publicani, *meruit justificationem.* Ergo homo primum gradum gratiæ sanctificantis mereri *Bene vero de congruo primam gratiam.*

habitualem. potest, non de condigno (§. 587. n. 2.). Ergo de congruo (§. 586. Schol. 1.). 2. Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4. ait: *Contritionis motus fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum*. Ergo est meritorius de congruo primæ gratiæ habitualis. 3. Actus, quibus se homo ad justificationem disponit, vim habent ex decentia inducendi Deum ad alicujus beneficii concessionem; quia sunt actus supernaturales, Deo placentes &c. Ergo sunt meritorii de congruo (§. 586. Schol. 1.). Item unus alteri primam gratiam de congruo mereri potest, quatenus congruum est, ut Deus impleat voluntatem hominis justi & sibi accepti secundum amicitiæ proportionem in salvatione alterius. Nullus tamen præter Christum alteri primam gratiam de condigno mereri potest, quia hoc spectat ad gratiam capitis.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 2. Putant Pelagiani, quod homo primam gratiam habitualem de condigno mereri possit. I. Quia Contritio de condigno meretur gratiam sanctificantem. *Resp.* Contritio justificationem antecedens est incapax meriti de condigno (§. 585. n. 5.): si vero ultimo disponat & conjungatur cum gratia, non habet rationem meriti, nisi gratia informata. II. Convertenti se ad Deum gratia datur ex justitia, 1. *Joan.* 1. *Fidelis est Deus & justus, ut remittat nobis*. *Resp.* S. Joannes sumit justitiam in sensu latiori pro executione promissionum: vel sumit justitiam relative ad Christum, qui vere nobis meruit remissionem peccatorum. III. Deus non dat gratiam, nisi dignis: ergo condigne merentibus. *Resp.* Non dat nisi dignis non ita, quasi prius digni fuerint; sed quia per gratiam eos dignos facit.

Homo de condigno augmentum gratiæ mereri potest. §. 588. 1. Potest tamen homo sibi mereri de condigno augmentum gratiæ & Charitatis. Ita definit Tridentinum *sess.* 6. *can.* 32. *Si quis dixerit ... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus membrum vivum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit*. Cujus ratio est, quia operibus justorum nihil deest, quominus augmentum gratiæ promereantur (§. 585.). Unde etiam merentur omnia auxilia, sine quibus justitiam conservare non possunt.

Non tamen primam gloriam. 2. Non tamen potest homo mereri de condigno primam gloriam. Nam prima gloria seu primus gradus gloriæ homini tribuendus est ante quodvis meritum de condigno, quia respondet primo gradui gratiæ sanctificantis, per quam homo fit filius & hæres: sed primam gratiam sanctificantem homo recipit ante quodlibet meritum de condigno (§. 587.). Ergo etiam jus ad primam gloriam

3. Secundam tamen gloriam de condigno mereri potest, quia juxta Tridentinum *sess.* 6. *c.* 32. justificatis nihil deest, ut æternam vitam, atque etiam gloriæ augmentum mereantur (n. 1.), cum secunda gloria augmento gratiæ & Charitatis respondeat. *Bene tamen secundam.*

§. 589. 1. Nullus etiam de condigno reparationem post lapsum sibi mereri potest. Patet hoc ex *Ezech.* 33. *v.* 12. *Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit.* Ratio est, tum quia merita, quæ sibi justus comparavit, per peccatum suspenduntur: ergo per illa hoc peccatum meritorie tolli non potest: tum quia homo lapsus est indignus, ut præmium illi conferatur, & in statu peccati mortalis nihil mereri potest (§. 585. n. 5.) de condigno. *Nullus de condigno reparationem post lapsum mereri potest.*

2. Item nullus de condigno donum perseverantiæ finalis mereri potest. Nam *ad Rom.* 11. dicitur: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et 1. *ad Cor.* 10. *Qui stat, videat, ne cadat.* Et *ad Philipp.* 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Ex quibus sequitur, incertam esse perseverantiam, & non extare ejus promissionem, quæ tamen ad meritum de condigno requiritur (§. 586. Schol. 2.). Quare S. Augustinus *de don. perserv. c.* 13. ait: *Satis dilucide ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam non secundum merita nostra dari.* Ratio est, quia perseverantia est complexio omnium auxiliorum, per quæ justus non tantum perseverare potest, sed re ipsa perseverat: sed justus hæc auxilia efficacia de condigno mereri non potest, quia nullibi hoc Deus illi promisit: ergo donum perseverantiæ de condigno mereri nequit. *Nec perseverantiam finalem.*

Schol. 1. Non obstat huic secundæ parti I. quod homo augmentum gratiæ & gloriæ mereatur: ergo etiam bonam mortem, quæ in ratione beneficii non est quid majus gratia & gloria. Unde *Luc.* 21. Christus ait: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini . . stare ante Filium hominis.* Et S. Augustinus *de don. pers. c.* 6. ait: *Hoc donum Dei suppliciter emereri potest.* *Resp.* Disparitas est voluntas Dei, qui hoc noluit, licet facere potuisset, ut homo bonam mortem non minus, quam æternam gloriam mereretur. Unde in citatis textibus commendatur oratio pro dono perseverantiæ obtinendo, quæ prout simplex est petitio, non meretur, sed imperrat: impetratio vero a solo Dei beneplacito dependet. II. Deus promisit nobis perseverantiam, quia promisit, se nobis daturum illum timorem, cum quo non recedemus ab eo, *Jer.* 32. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a me.* *Resp.* Deus promisit perseverantiam Ecclesiæ, cujus nobilior pars sunt electi, *Solvuntur objectiones.*

non vero cuilibet justo in particulari. III. Homo potest mereri finem, scilicet vitam æternam: ergo etiam media ad illam, scilicet donum perseverantiæ, pro quo etiam orare possumus. *Resp.* Perseverantia est medium ad consecutionem vitæ æternæ, non vero ad illam merendam: homo ergo justus per bona opera independenter a perseverantia meretur absolute vitam æternam; non tamen meretur absolute ejus consecutionem, sed si in gratia decesserit: donum perseverantiæ orando quidem vel pro nobis, vel pro aliis impetramus, licet sub merito non cadat; non enim omnia, quæ petendo obtinemus, meremur. Sic Deus audit peccatores veniam petentes, quam non merentur.

Nemo de congruo infallibiliter reparationem post lapsum meretur.

Schol. 2. Justus de congruo infallibiliter reparationem post lapsum mereri non potest. Id quod patet 1. ab experientia, quæ docet, aliquos post plurima & eximia pietatis opera in statu justitiæ peracta lapsos & mortuos esse in peccato, uti in Saule &c. apparet. 2. Peccator non resurgit a statu peccati, nisi per gratiam efficacem: sed nemo hanc gratiam meretur de congruo infallibiliter, quia etiam non meretur gratiam efficacem, qua non excidat a justitia, nec primam gratiam (§. 387.). Ergo nec secundam a lapsu reparantem. Dictum tamen est, de congruo infallibiliter, quia subinde contingit, ut Deus justis lapsis efficacia ad resurgendum auxilia indulgeat intuitu boni operis, quod in justitiæ statu peregerunt. Sic 2. *Paral.* 19. Jehu ad regem Josaphat dicit: *Impio præbes auxilium... & idcirco iram quidem Domini meruisti: sed bona opera inventa sunt in te.* Quæ verba indicant, Deum ob præcedentia bona opera Josaphat misericorditer cum eo egisse, tum circa pœnam temporalem, cum circa remissionem peccati. Verum de his non extat Dei promissio: hinc Deus subinde lapsis pœnitendi spatium concedit, & forte sine ullo respectu ad antiqua eorum opera.

Justus donum perseverantiæ de congruo infallibiliter mereri nequit.

Schol. 3. Justus etiam donum perseverantiæ de congruo infallibiliter mereri non potest: tum quia S. Augustinus quærens, cur huic potius quam alteri donetur perseverantia, recurrit ad inscrutabilia Dei judicia: tum quia perseverantia passive sumpta sive unio mortis cum statu gratiæ non cadit sub merito de congruo infallibiliter; alias enim nullus justus male moreretur: tum quia perseverantia active sumpta pro continuatione in bonis operibus usque ad finem vitæ nequit cadere sub merito de congruo infallibiliter: hæc enim importat collectionem auxiliorum efficacium, cum quibus successive acceptis justus usque in finem vitat malum & bonum operatur; quæ tamen collectio sub merito infallibili de

congruo non cadit, eo ipso quod prima collectionis hujus gratia sub merito non cadat (§. 387.), quæ utique ad merendam secundam, tertiam &c. supponitur.

§. 390. Denique justi possunt mereri bona temporalia, prout necessaria aut utilia sunt ad opera virtutum, quibus ad vitam æternam perducuntur. Quippe eodem merito, quo quis meretur finem, meretur media ad finem conducentia: sed justus per bona opera meretur finem seu vitam æternam: ergo eodem mereri debet bona temporalia, non simpliciter spectata, sed prout ex ordinatione Divina conducunt ad finem, & ut sic spectata bonitatem finis participant. Certe pro his etiam bonis habetur Divina promissio: 1. *ad Tim.* 4. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* *Justus mereri potest bona temporalia.*

Schol. Fieri potest, ut sive justi, sive peccatores bona temporalia per opera moraliter bona de congruo mereantur. Sic juxta S. Augustinum Romani, qui peccatores erant, propter opera quædam moraliter bona totius orbis imperium meruerunt. Item justus potest aliis de congruo mereri, quidquid sibi meretur, quia Deo opus gratum offerre potest, quod a Deo acceptari conveniens est. Proinde, Domine, *ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.*

CAPUT VII.

De ultimo Fine hominis & Beatitudine.

§. 391. Gratia homini necessaria est, ut salutem æternam consequi, & finem suum ultimum ac beatitudinem supernaturalem consequi valeat (§. 343.). Est autem *finis* id, cujus gratia aliquid fit: seu est aliquod bonum, quod propter suam bonitatem causa est movendo appetitum, ut adhibeantur media ad sui consecutionem. *Finis ultimus* ille dicitur, in quem tandem cæteri omnes resolvuntur, sive propter quem cæteri omnes sunt. *Finis quid?*

Schol. Finis triplex est: *Finis qui* est id, quod per media intenditur: *Finis cui* est subjectum, cui bonum intenditur: *Finis quo* est boni amati possessio. Hi tres fines partiales constituunt unum totalem. Finis qui, amatur amore concupiscentiæ: Finis cui, amore benevolentiæ: Finis quo, amore complacentiæ. Rursus finis alius est *operis*, alius *operantis*. Alius *primarius*, alius *secundarius*. Alius *ultimus*, alius *non ultimus*. Ultimus vel est *simpliciter ultimus*, ad quem ultimo tendunt omnia: alius ultimus *secundum quid*, & *intermedius*, ad quem *Divisio finis.*

agens ultimo tendit tamquam ad finem particularem; unde quis duos ultimos fines successive habere potest. Philosophi in Ethica probant, homines agere propter finem, quia cognoscunt finem, & media illi proportionata, ac appetunt finem.

Datur finis simpliciter ultimus. §. 392. Datur finis simpliciter ultimus hominis; quippe Deus datur (§. 41.). Sed Deus est ultimus simpliciter finis hominis, ex dicendis. Ergo datur finis simpliciter ultimus hominis. Probat hoc ulterius appetitus homini innatus, quo in summum bonum, in quo ultimo conquiescat, fertur. Sed hic in homine frustra non datur, & satiari omnino potest, quod certe non fit, nisi per summum bonum. Ergo datur finis simpliciter ultimus hominis.

Finis ultimus multiplex esse nequit. *Schol.* Finis ultimus multiplex esse non potest (§. 58.). Unde homo non potest eodem tempore simul appetere efficaciter duos ultimos fines: licet unum efficaciter, alterum inefficaciter appetere possit: uti patet in peccatore dante eleemosynam, qui inefficaciter Deum pro fine habet, efficaciter vero creaturam. Homo etiam ad ultimum finem in ratione boni spectatum sive formaliter sumptum saltem interpretative omnes actiones suas refert; quia dum appetit bonum particulare, refert illud ad cumulum omnium bonorum, ad quem velut ad suum totum tendit: non tamen refert omnes ad finem ultimum materialiter sumptum, scilicet in objectum habens in se tantam bonitatem, ut esse possit, debeat, & sit finis omnium; quia justus venialiter peccans non refert hoc peccatum ad Deum tamquam ultimum finem materialiter sumptum, cum non possit dici operari bene & propter Deum.

Solus Deus est finis hominis ultimus. §. 393. Solus Deus est finis hominis simpliciter ultimus. Ita 1mo. prædicat Ecclesiastes *c. ult. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Id est, ad hoc creatus est omnis homo. Et Arabica versio legit: *Quoniam cuilibet homini prodest hoc.* 2do. Probat hoc manifesta ratio: nam finis ultimus debet esse talis, ut ultra eum alius finis appeti non possit (§. 391.); consequenter omnium bonorum cumulum in se continere debet. Sed hic est solus Deus, ens a se perfectissimum (§. 40.), infinitas perfectiones infinito modo in se continens (§. 55.), quo melius esse, & excogitari non potest. Ergo solus Deus est finis hominis ultimus. Rursus Deus solus est prima causa, primus motor (§. 41.) rerum omnium, *α* & *ω Apoc. 1. v. 8.* (§. 46.), principium & finis, a quo, in quo & per quem sunt omnia. Ergo solus finis hominis ultimus esse potest: alioquin

si alius finis ultimus extra Deum possibilis foret, Deus non omnes perfectiones possibiles in se haberet, & ita Deus non foret (§. 55.). Ultima ratio a beatitudine hominis peti solet, quam mox explicabimus.

Schol. Epicurei nullum finem ultimum rebus vel a natura, vel ab Auctore naturæ constitutum esse existimant, sed omnia temere prorsus & inconsulto fieri volunt. Quippe cum Providentiam Dei negent, & omnia ex fortuito atomorum concursu coaluisse statuant (§. 41. Schol. 4.); consequenter ea ad nullum finem directa esse a Deo volunt. Sententias circa ultimum finem docebunt sequentia.

§. 394. *Beatitudo* igitur juxta Boetium est status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui ut talis totaliter satiat & quietat appetitum. *Beatitudo quid?*

Schol. Beatitudo hominis 1. alia est *naturalis*, quæ naturæ rationali secundum se sumptæ convenit, & quam creatura solis naturæ viribus assequi potest, estque status bonorum naturalium aggregatione perfectus. Alia est *supernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, & solis gratiæ auxiliis comparari potest. 2. Beatitudo supernaturalis, alia est *Viæ*, per quam homo summo bono conjungitur, eo modo, quo in vita hac mortali conjungi potest: alia est *Patriæ*, qua homo summo bono modo perfectissimo creaturæ competente post vitam fruitur. 3. Beatitudo supernaturalis, alia est *essentialis*, quæ versatur circa primarium objectum beatificans: alia *accidentalis* quæ versatur circa objecta secundaria. 4. Alia est *essentialiter* tantum *perfecta*, quam animæ a corpore separatæ post mortem: alia est numeris omnibus *completa*, quam habebunt resumptis post resurrectionem corporibus. 5. Alia est *formalis*, & est operatio, qua cum summo voluptatis sensu apprehenditur & possidetur summum bonum: alia est *objectiva*, quæ est res seu objectum, cujus possessione plene satiatur appetitus hominis: ad hanc requiritur, ut objectum contineat in se omne genus boni; ut sit quid ultimum, ad quod omnia referuntur: ut sit sufficiens, tollens omnem miseriam; & nil desiderandum relinquens: ut sit possibile: ut sit quid stabile, omnem timorem excludens. *Quotuplex?*

§. 395. Beatitudo hominis objectiva pro nullo statu hominis potest esse bonum creatum, sed solus Deus. Probatur 1mo. ex S. Scriptura. *Ps.* 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*. *Ps.* 72. *Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? ... Pars mea Deus in æternum*. Unde S. Augustinus *de mor. Eccl. Bonorum summa Deus nobis est*. 2do. Solus Deus omne bonum in se continet (§. 55.): est ultimus finis *Beatitudo hominis objectiva pro omni statu solus Deus est.*

(§. 394.): est sufficiens ad tollendam omnem miseriam (§. 129.): potest obtineri, quia cognosci & amari potest: est quid stabile (§. 64.). Ergo solus est beatitudo hominis objectiva in omni statu (§. 394. Schol.). 3*tio*. Beatitudo hominis objectiva in nullo statu nequit consistere in bonis fortunæ, scilicet divitiis, honoribus, & potestate, utpote quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant, & hominem magis possident, quam ab eo possidentur. 4*to*. Non consistunt in voluptatibus corporis, quæ animam non perficiunt, cito transeunt, magnas secum miserias afferunt, mortis metu nos excruciant. 5*to*. Nec in bonis animæ, scilicet virtute & scientia, quæ dolores & alias miserias non excludunt, timorem amissionis non auferunt, nec propter se solum, sed propter Deum appeti debent. 6*to*. Nec consistit in omnium horum bonorum congerie, cum hæc omnia etiam conjuncta hominem ab omnibus miseriis liberare, ejusque appetitum perfecte satiare non possint. Ergo in solo Deo consistit.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Veterum opiniones de objecto beatitudinis hominis ad tres classes reduci possunt, pro triplici bonorum genere, scilicet fortunæ, corporis & animæ. Hæc bona creata, esse beatitudinem hominis objectivam probari videtur I. quia facultas finita, qualis est voluntas, per boni finiti possessionem satiari potest, imo de facto per visionem & amorem Dei finitum satiatur. *Resp.* Voluntas humana est quidem finita in essendo, non vero in appetendo, quo modo Syncategorematice infinita est. Item visio Dei non satiat appetitum prout præcise quid finitum est, seu actus animæ; sed prout bonum increatum involvit, & est adeptio summi boni. II. Appetitus humanus non satiatur attingendo Deum modo finito; nam semper vult illum cognoscere perfectius, & perfectius. *Resp.* Appetitus humanus si sit rectus, non fertur ad aliquid impossibile, adeoque satiatur, si eo modo attingat, quo modo in eum ferri potest.

Deus est beatitudo hominis naturalis. *Schol.* 2. Deus igitur solus beatitudo hominis naturalis & objectiva etiam in statu naturæ puræ fuisset; ac proinde beatitudo ejus formalis, qua summum hoc bonum possedisset, fuisset visio Dei abstractiva, & amor naturalis, quo Deum ut Auctorem naturæ complexus fuisset (§. 259. Schol.). Modo autem in statu naturæ ad finem, & beatitudinem supernaturalem elevatæ, Deus etiam ut Auctor supernaturalis est beatitudo hominis objectiva, & possessio illius per visionem intuitivam & amorem supernaturalem beatitudo formalis.

Perfecta beatitu- §. 396. 1. Porro homo perfectam & completam beatitudinem in præsenti vita habere non potest, quia, ut

ait S. Job c. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Quæ militia tam acris est, ut vix liceat respirare. Non est nobis pax ab insidiis diaboli, qui semper *circuit, quærens, quem devoret:* non a lege peccati, quæ est in membris nostris: non a tentationibus, quæ quo dulciores, eo crudeliores insidias struunt: non a conscientia, quæ pungit, & remordet: non a metu judicii, qui angit; non a morbis, afflictionibus & calumniis, cum quibus perfecta beatitudo stare nequit: adeo ut cum Apostolo exclamemus, *ad Rom. 7. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Accedit, quod perfecta Dei cognitio, ob intellectum in hac vita corporeis vinculis alligatum, & consequenter omnino perfectus amor ob voluntatem sensuum illecebris irretitam, haberi non possit: item quod omnis in hac vita felicitas sit mutationi obnoxia, adeoque non plene satiativa nec perfecta. *do in hac vita non datur.*

2. Aliqua tamen beatitudo inchoata & imperfecta in hac vita agnosci debet: nam S. Scriptura quosdam jam in præsenti tempore beatos prædicat. *Ps.* 111. *Beatus vir, qui timet Dominum. Ps.* 118. *Beati immaculati in via. Matth.* 5. *Beati pauperes spiritu, &c. beati mites &c.* (§. 370.). Quippe beatitudo consistit in summi Boni possessione. Sed homo licet imperfecte in hac vita summum bonum possidere potest, juxta illud Christi, *Joan.* 14. *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et 1. *Joan.* 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Et ideo Apostolus fideles gaudere jubet, *ad Philipp.* 4. *Gaudete in Domino semper.* Ergo &c. *Imperfecta tamen habetur.*

3. Beatitudo autem vitæ hujus in sinceræ erga Deum charitatis actibus consistit: per hos enim Deus perfectiori modo possidetur, quam per actus aliarum virtutum, tum moralium, quæ cum circa media & objecta creata versentur, Deum immediate non attingunt: tum Theologicarum, quæ licet immediate circa Deum occupentur, imperfectiori tamen modo eum attingunt, quam Charitas, quæ horum major est, 1. *ad Cor.* 13. Item per actus Charitatis Deus delectabiliori modo possidetur, scilicet cum majori pace & gaudio: *fructus enim Spiritus*, qui per Charitatem in cordibus nostris dominatur, est *gaudium & pax: ad Gal.* 5. Et *Charitas sine gaudio esse non potest*. S. Augustinus *in Ps.* 76. *Quæ consistit in actibus Charitatis.*

§. 397. Quia igitur perfecta in hac vita beatitudo haberi nequit (§. 397.), post hanc aliam aliquam & æternam & perfectam credimus. Id testatur S. Scriptura V. T. nam Patriarchæ veteres meliorem & cœlestem patriam appetiverunt, *ad Hebr.* 11. v. 13. 16. *Dan.* 12. v. 2. *Datur perfecta beatitudo post hanc vitam.*

dicitur: *Evigilabunt alii in vitam æternam*. Et Isaias c. 66. v. 23. 24. salutem æternam miserrimo damnatorum statui opponit. Idem docet multoties Christus in N. T. *Joan*. 3. v. 16. *Ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et *Matth*. 25. v. 14. *Venite benedicti,..... possidete paratum vobis regnum*: & v. 46. *Ibunt... justi in vitam æternam*. Ratio est: Homo appetit in hoc statu elevationis perfectam beatitudinem. Sed eam in vita hac habere nequit (§. 397.). Ergo post eam datur, ne appetitus ejus frustra illi sit inditus.

Varia ejus nomina. *Schol. Vita æterna* est summa, cujus homo capax est, perfectio & beatitudo, & illi, qui hujus vitæ participes sunt, *Beati* vocantur: variis autem nominibus hæc beatitudo in S. Scriptura metaphorice exprimitur. 2. *Ad Cor*. 5. v. 1. dicitur *Tabernaculum æternum*. v. 8. *Patria nostra*. *Matth*. 5. v. 20. *Regnum cælorum*. 1. *Ad Cor*. 11. v. 25. *Corona vincentibus destinata*. *Apoc*. 2. v. 7. *Paradisus Dei*. 1. *Petr*. 1. v. 4. *Hæreditas*. *Luc*. 22. v. 30. *Convivium*. *Matth*. 22. v. 2. *Nuptiæ*. *Apoc*. 3. v. 21. *Sessio in throno Christi*. *Ad Hebr*. 4. v. 9. *Sabbatismus* &c.

Beati intuitive Deum vident. §. 398. Cum beatitudo hominis objectiva in omni statu sit solus Deus (§. 396.), etiam post hanc vitam beatitudo nostra Deus est, cujus proinde assecutio beatitudo nostra formalis erit (§. 395. Schol.). Assequimur autem & possidemus hoc summum bonum per cognitionem & amorem. Igitur Beati cognitione seu visione Dei intuitiva gaudent, per quam Deum immediate in seipso cognoscunt. Ita docet 1*mo*. S. Scriptura. *Matth*.5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. 1. *Joan*. 3. v. 2. *Videbimus eum sicuti est*. Et 1. *ad Cor*. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Sicuti ergo S. Paulus intuitive a Deo cognoscitur, ita intuitive se Deum cogniturum esse asserit. 2*do*. Ita definit Eugenius IV. in decreto, ubi ait, purgatas animas in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum & Unum, sicuti est. 3*tio*. Vita æterna est beatitudo perfecta hominis (§. 393.). Sed beatitudo perfecta est status perpetuæ voluptatis, quæ ex cognitione intuitiva boni summi, quod est Deus, oritur. Ergo vita æterna perpetuam voluptatem ortam ex cognitione intuitiva summi boni, scilicet Dei, includit, adeoque Beati intuitiva Dei cognitione gaudent.

Schol. 1. Intuitiva hæc Dei cognitio vocatur *visio beatifica*, quia tam clara & distincta erit, ac rei, quam oculis videmus, & illum summe beatum reddit, qui illa

fruitur. Dicitur etiam *cognitio comprehensorum*, quatenus illa est, ad quam comprehendendam tendimus, *ad Philipp.* 3. *v.* 12. Differt specie a cognitione abstractiva seu symbolica, utpote per quam Deum non immediate in se, sed in alio, & per aliud, nempe per effectus creatos, cognoscimus.

Schol. 2. Sæculo 7timo Armeni docuerunt, intellectum creatum nec superno lumine suffultum posse clara Dei visione frui, quibus deinde accesserunt Monachi Palamitæ. Fallitur vero P. Vasquez, dum S. Chrysostomum, Theodoretum, S. Basilium, S. Cyrillum Alexandrinum & Jerosolymitanum, S. Gregorium Nyssenum, S. Hieronymum, Primasium & Isidorum hujus erroris accusat; siquidem hi Patres contra Anomæos solum docuerunt, Deum a Beatis non comprehendi. Rationes Palamitarum sunt. I. Quia S. Scriptura expresse testatur, Deum a nemine visum esse, imo nec videri posse, 1. *ad Tim.* 6. *Joan.* 1. *v.* 18. *Resp.* Hæc & alia S. Scripturæ loca denotant, Deum oculis corporis, vel ex viribus naturæ, vel cognitione comprehensiva videri non posse. II. S. Chrysostomus *hom.* 23. *in Gen.* ait: *Divinæ gloriæ fulgurantem Majestatem neque Cherubim, neque incorporeæ illæ virtutes videre possunt.* Et cognitionem Angelorum vocat revelationem, & condescensum ac indulgentiam, eo modo, quo Deus Patriarchis, & Prophetis se manifestavit. Et Theodoretus in *dial.* ait: *Impossibilis est hominibus, imo etiam Angelis Divinæ naturæ contuitus.* Et S. Hieronymus *in c.* 10. *Isa.* ait: *Homo igitur Dei faciem videre non potest. Resp.* S. Chrysostomus loquitur de visione Dei comprehensiva: vocat vero condescensum contra Anomæos, ut ostendat, visionem beatificam non fieri ex viribus naturæ, sed esse gratiæ beneficium ipsa fide, & Spiritus Prophetici illustratione præstantius. Theodoretus agit ibi contra Eutychianos, qui unicam in Christo naturam admittebant, & ideo putabant, Divinam etiam naturam visibiliter in terris apparuisse, quod negat; & ob Anomæos tunc grassantes vocat Divinam essentiam indiscriminatim invisibilem, scilicet visione comprehensiva, quam Anomæi defendebant. S. Hieronymus similiter de visione corporea, vel intellectuali comprehensiva loquitur. III. Deus infinitus non est objectum proportionatum potentiæ intellectivæ finitæ, sicuti nec potentiæ visivæ corporeæ. *Resp.* Deus quidem non est objectum proportionatum potentiæ finitæ quoad entitatem, bene vero quoad cognoscibilitatem, si lumine gloriæ elevetur, & hoc modo sub sphæra potentiæ cognoscitivæ continetur, non vero sub latitudine potentiæ visivæ corporeæ, quia est objectum spirituale.

Armenorum objectiones solvuntur.

An Deus per sui ideam in beato videatur? *Schol.* 5. Quærunt hic Scholæ subtiliter magis, quam utiliter, an detur in visione Dei intuitiva species impressa & expressa Dei, vel an Deus Beatis intuitive se videntibus imprimat sui ideam. Respondemus breviter: Intellectus Beati videt Deum immediate in seipso; nam Deus in visione beatifica per se intellectui beato præsens est, & intimior intimo nostro, uti ait S. Augustinus. Est etiam intellectui attemperatus beneficio luminis gloriæ. Ergo cognoscitur & videtur immediate in seipso sine sui idea.

An aliquibus in vita intuitiva Dei visio concessa fuerit? *Schol.* 4. Certum est, ex lege Dei ordinaria neminem in hac vita constitutum Divinam substantiam intuitive videre posse. Certum item est, ex potentia Dei absoluta & lege extraordinaria posse nonnullos ad hanc visionem admitti, utpote in quo nulla est repugnantia. Certum denique est, Christum in ipso primo conceptionis suæ instanti habuisse intuitivam & beatificam Dei visionem (§. 304.): sed quæritur in Scholis, an non etiam nonnullis aliis Sanctis, præsertim Moysi, S. Paulo, & S. P. Benedicto hæc prærogativa concessa fuerit, ut in hac vita saltem transeunter Divinam essentiam intuitive viderint. Negant D. Tournely, D. Habert &c. Nobis affirmativa sententia magis placet. Nam 1. de Moyse, *Num.* 12. *v.* 8. dicitur: *Ore ad os loquor ei:* ubi indicatur familiaritas Divini sermonis cum Moyse; & revelatio Divinorum decretorum: *Et palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt:* ubi visio intuitiva designatur, quia LXX. legunt: καὶ τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε *& gloriam Domini vidit*. Nec dici potest, Moysen solum Angelum vidisse; nam in Hebræo legitur: יביט ותמנת יהוה *& ideam Domini* יהוה quod soli Deo tribuitur (§. 40. Schol.), *contemplabitur*. Rursus *Exod.* 33. *v.* 2. dicitur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem*. Et *v.* 18. *Ostende mihi gloriam tuam: Qui respondit: Ego ostendam omne bonum tibi*. Dices, Moysen hic solum petiisse, ut Deus viam suam in deserto illi ostenderet, & populum inobedientem non derelinqueret, quod Deus quidem illi annuit; sed quando etiam visionem Dei postulavit, Deus negavit: *Non poteris videre faciem meam*. Verum licet ibi hæc visio Moysi denegata fuerit, quia præstantissima dona non statim conceduntur, ne putentur communia; postea tamen concessam fuisse ex *Num.* 12. colligitur. 2. De S. Paulo probatur 2. *ad Cor.* 12. *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Quid est tam mirabilis revelatio, quæ verbis designari non potest, nisi manifestatio Divinitatis? de qua Isaias ait, *c.* 64. *Oculus non vidit, Deus, absque Te, quæ præparasti diligentibus Te*. Nec obest, quod S. Paulus postea ignoraverit, an in cor-

pore, an extra illud hæc audiverit; ignorantia vero non stat cum clara visione. Nam hoc magis confirmat nostram sententiam, quia abscedente lumine gloriæ utique altissimarum illarum rerum memoriam habere non potuit: De S. P. Benedicto testatur S. Gregorius *l.* 2. *dial. c.* 35: quod illi facile fuerit totum mundum sub uno solis radio collectum conspicere, *quia videnti Creatorem angusta est omnis creatura*. Et S. Bernardus *Serm.* 9. *Ad hanc excellentiam videndi Deum absque vehiculo creaturæ; licet ad modicum, rapta videtur illa anima S. Benedicti, quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit*. De Beatissima Virgine Maria testatur B. Albertus M. & S. Thomas de Villanova, Eam intuitive Deum vidisse. 3. S. Augustinus *l. de Gen. c.* 27. dicit, Moysen Deum in ea substantia vidisse, qua Deus est: S. Basilius *hom.* 1. *in Hexa*. *Moyses vidit Deum, ut erat homini videre possibile, imo ut nemini potius licuit alii*. Et S. Ambrosius *l.* 2. *de Moys. c.* 2. *Moyses neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentiæ Divinæ congnitione dignatus est*. Non obstat I. quod *Exod.* 33. *v.* 20. Moysi dicatur: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*. Et *v. ult. Videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris*. Et *Joan.* 1. *v.* 18. etiam post raptum S. Pauli dicitur: *Deum nemo vidit unquam*. Et ipse S. Paulus post suum raptum, 1. *ad Tim.* 6. *v.* 16. ait: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. *Resp.* Visio Dei Moysi primum negata, concessa illi fuit, *Num.* 12. Dictum illi quidem fuit: *Non videbit me homo & vivet*. Sed respondet S. Augustinus *l. de Gen. c.* 27. *Deum nemo videbit vivens vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus, & alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore, an extra corpus est, cum in illam rapitur, & subvehitur visionem*. S. Joannes loquitur de visione comprehensiva, quam habet *Unigenitus in sinu Patris*, uti ex contextu patet. Similiter de visione comprehensiva, vel corporea S. Paulus loquitur. II. S. Irenæus *l.* 4. *c.* 29. ait, Moysen Deum non vidisse, sed similitudinem claritatis Domini. Idem negat Origenes *in c.* 6. *Isa.* & probat Tertullianus *contra Prax. c.* 14. Et S. Augustinus *tr.* 3. *in Joan. Quid vidit Moyses? vidit nubem, Angelum ... omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat .... loquebatur ergo Moyses cum Angelo ... non erant illa substantia Dei*. *Resp.* S. Irenæus, Origenes & Tertullianus contra-

riam quidem sententiam confirmant; videntur tamen loqui de quotidianis Dei visionibus Moysi concessis, non vero de illa rarissima in libro *Numerorum* relata. Discrepantes S. Augustini sententiæ conciliari possunt; Moyses enim vidit Angelum & ignem in rubo, sed vidit quoque gloriam Domini in Sina. Non cogimur ergo dicere, S. Augustinum a priori sententia recessisse; solet enim indicare, ubi repugnantia inter se scribit. III. Siqui Sancti Deum in vita intuitive vidissent, fuissent beati, & viatores, non tamen per fidem ambulantes, quæ per claram visionem tollitur. *Resp.* Fuissent tantum transeunter beati, non vero permanenter, & subtractio hujus visionis non fuisset pœna, quia hæc visio transiens non est corona justitiæ, sed beneficium simile raptibus contemplantium. Deinde actus visionis transiens non destruit habitum fidei permanentem; nam habitus non destruitur, nisi ab habitu contrario.

An Enoch & Elias visione beatifica fruantur? *Schol.* 5. Theologi communius docent, Enoch & Eliam Dei conspectu necdum frui, nisi forte momentaneis raptibus transeunter: vivunt enim adhuc, & necdum mortui sunt; beatitudo autem permanens non confertur, nisi post mortem. Non obstat I. quod Enoch dicatur translatus in Paradisum, *Eccli.* 44. *v.* 16. & Elias ascendisse in cœlum, 4. *Reg.* 2. *Resp.* Nomine Paradisi intelligitur quilibet locus, ubi feliciter vivitur: & nomine cœli etiam superior pars aeris designatur, *Ps.* 8. *v.* 9. In Ecclesiastico nomen Paradisi in Græcis & Hebraicis codicibus deest, & Vulgata ex Arabico merito desumpsit. Sane si de cœlo empyreo sermo esset, Enoch & Elias eo ante ascensum Christi penetrassent, quod falsum est. Quando Patres dicunt, eos in cœlum raptos esse, volunt eos in gratia confirmatos, translatos ad ignotam regionem frui Deo per altissimam contemplationem. II. Si non fruerentur visione beatifica, adhuc mererentur, & sic merita Beatissimæ Virginis & omnium SS. excederent. *Resp.* Nonnulli putant, eos non amplius esse in statu merendi, cum sint extra hominum conversationem, uti erant Patres in limbo. Alii putant, eos adhuc mereri; sed quia non ita intensa Charitate sicuti Beatissima Virgo operantur, ejus meritum non exæquant. III. Carmelitæ Festum S. Eliæ celebrant, & in commendatione animæ Ecclesia per merita S. Enoch, & S. Eliæ orat: ergo visione beatifica fruuntur. *Resp.* Sancti hi religioso cultu honorantur, quia in gratia confirmati sunt, & rogamus Deum, ut eorum meritis nobis sit propitius.

An possibilitas visionis intuiti. *Schol.* 6. Notant Theologi communiter, nulla ratione naturali positive demonstrari posse, intuitivam Dei visionem esse possibilem: tum quia nequit demonstrari a

ve naturali ratione demonstretur?

priori ab aliqua ejus causa, quæ deberet esse Omnipotentia Dei, cujus terminos possibiles omnes non cognoscimus, maxime cum intellectus nostri capacitas ad sola objecta naturalia sibi proportionata se extendat. Nec potest demonstrari a posteriori, quia nullus naturalis effectus habet necessariam cum intuitiva Dei visione connexionem, & appetitus naturalis ad intuitivam Dei visionem in homine non datur, utpote quam naturaliter nec cognoscit, nec assequi potest. Nihilominus possibilitas intuitivæ Dei visionis negative ostendi potest, dum demonstratur, eam intellectui lumine gloriæ elevato non esse impossibilem.

Beati ad videndum Deum egent lumine gloriæ.

§. 399. Ut igitur Beati intuitive Deum videant, intellectus eorum lumine gloriæ elevandus est. Ita definivit Concilium Viennense contra Beguardos & Beguinas, qui docebant, animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. *Nos*, ait Clemens V. *Sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus de lumine gloriæ damnamus, & reprobamus*. Ratio est, quia intellectus noster ex solis naturæ viribus non est capax ad eliciendam actionem supernaturalem, ad quam non habet proportionem (§. 398. Schol. 2.). Sed visio beatifica est actio supernaturalis. Ergo intellectus ad eam eliciendam viribus naturæ capax non est, sed lumine gloriæ elevari debet.

Lumen gloriæ non est lux increata.

§. 400. Hoc lumen gloriæ non est lux increata a Deo diffusa, & realiter ab eo distincta. Nam quidquid est, aut Deus est, aut creatura. Sed lumen illud non est Deus. Ergo est creatura. Deinde si lumen gloriæ esset lux increata a Deo distincta, darentur duo entia a se, & consequenter duo Dii; quod est impossibile (§. 58.).

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Palamitæ volunt, lumen gloriæ esse lucem increatam a Divinitate diffusam, & ab ea realiter distinctam, etiam oculis corporeis aspectabilem. I. Quia in Synodo Byzantina sub Andronico juniore & Joanne Patriarcha contra Barlaamum & Acindynum *act.* 6. definitum est, lumen Transfigurationis Dominicæ increatum esse, & a Divina substantia distinctum. *Resp.* Hæc Synodus fuit Græcorum Schismaticorum. II. Sol non videtur, nisi in radio a se diffuso: ergo nec Deus, nisi in lumine a se diffuso. *Resp.* Fallit hic suppositum; nam operationes & proprietates Dei ab eo realiter non distinguuntur (§. 53.), sicut splendor solis a sole.

Quid sit lumen gloriæ?

Schol. 2. Non conveniunt Theologi in explicando, quid sit lumen gloriæ. Qui Peripateticam Philosophiam sequuntur, docent, lumen gloriæ esse qualitatem & habitum supernaturalem intellectui Beatorum a Deo infusum,

& accidens absolutum realiter ab intellectu distinctum: quia Concilium Viennense expresse distinguit lumen gloriæ ab anima, dum ait, animam indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum. Notant tamen alii Theologi, Concilium nihil plane definiisse, quod lumen gloriæ sit accidens realiter absolute ab anima distinctum. Ideo qui recentiori modo philosophantur, & accidentia absoluta rejiciunt, putant, lumen gloriæ esse quamdam dispositionem, affectionem & modificationem animæ a Deo factam, qua ad videndum intuitive Deum apta redditur. P. Berti vult, lumen gloriæ esse ipsum Deum, seu increatum Lumen Beatorum mentibus intime affulgens, suoque fulgore ac motione qualitatem illis imprimens ab anima realiter indistinctam. Verum Concilium Viennense videtur, nomine luminis gloriæ aliud quid a Deo denotare. Quidquid sit de hac controversia, eam utpote non magnopere utilem crisi aliorum relinquamus.

An per uberiorem concursum Dei suppleri possit?

Schol. 3. Ulterius Scholæ quærunt, an lumen gloriæ per uberiorem Dei concursum suppleri, & an alicui creaturæ naturale ac debitum esse possit. Ad primum responderi potest affirmative, quia non est repugnantia, nec ex parte Dei, qui omne illud, quod in visione intuitiva non est a causa vitali, supplere potest: nec est repugnantia ex parte intellectus, quia uberior Dei concursus eum etiam elevare potest. Ad secundum respondetur negative, quia talis creatura foret ab intrinseco beata & impeccabilis, quod est contra naturam creaturæ ex se defectibilis.

Quomodo intellectus ad visionem concurrat?

Schol. 4. Intellectus active concurrit ad eliciendam visionem beatificam, quia visio hæc est actio vitalis, licet sit supernaturalis; nam etiam ad actum fidei supernaturalem liberum arbitrium active concurrit. Elevari tamen debet virtus ejus naturalis per lumen gloriæ. Unde intellectus concurrit ut causa principalis, & lumen gloriæ agit velut instrumentum Dei potius, quam intellectus, quia magis est instrumentum illius, a quo est, quam illius, in quo est.

Beati vident ea, quæ sunt in Deo formaliter.

§. 401. Beati vident omnia, quæ sunt in Deo formaliter ac necessario, secundum proprias & necessarias eorum rationes; & hoc est primarium visionis beatificæ objectum. Nam visio Beatorum est intuitiva, facie ad faciem, ac quidditativa; 1. *Joan.* 3. *v.* 2. *Videbimus eum sicuti est*. Ergo omnia in Deo formaliter existentia vident. Hinc Beati vident Mysterium SS. Trinitatis; omnes perfectiones Divinitatis, Scientiam, Omnipotentiam, Immensitatem &c. Vident voluntatem Dei, ejusque decreta quoad entitatem spectata, prout sunt ipsa Dei essentia; sed non vident ea prout formaliter libera sunt,

vel saltem non vident necessario, licet nonnulla ad statum, conditionem & beatitudinem eorum spectantia videant. Vident etiam Divina attributa & specificas eorum rationes; non tamen secundarias, id est non vident omnes respectus, quos dicunt ad creaturas. Quare visa Omnipotentia vident quidem generatim ejus objectum, nempe ens possibile; sed non vident entia singula, ad quæ extendi potest.

Beati etiam vident aliqnas creaturas, quod est objectum visionis beatificæ secundarium; nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui sine cognitione creaturarum stare nequit. Hinc Beati cognoscunt omnes creaturas existentes, rerum naturalium causas, species, vires, proprietates. Vident clare omnia fidei mysteria. Vident summam erga se Dei misericordiam, nec sine perenni gratiarum actione vident suos socios, ac beatæ patriæ concives. Vident, quæ ad proprium statum suum pertinent: Pontifices, quæ ad Ecclesiæ suæ regimen, Reges, quæ ad suum regnum spectant &c. S. Ambros. *Or. in obit. Theodos.* Vident preces, quas viventes ad eos dirigunt: non tamen vident omnes creaturas possibiles aut futuras in aliqua temporis differentia, nec cognoscunt ultimum diem judicii, nec secreta cordis, nec futura contingentia, nisi illis revelentur.

Quomodo Beati creaturas in Deo videant?

Schol. Beati videre possent omnes creaturas aliquando futuras, & omnes possibiles, quia hoc etiam modo Divinam Omnipotentiam non comprehenderent, cum eam non omni claritate & perfectione, qua videri potest, & re ipsa a Deo videtur, cognoscerent. Quantum attinet ad creaturas existentes, nonnullas earum vident in Deo formaliter uno & indistincto actu, tamquam in motivo formali & medio prius cognito; siquidem creaturæ formaliter objective continentur in Deo, cum Divina essentia habeat vim infinitam ad repræsentanda objecta necessario cum ea connexa in ratione objecti primarii & secundarii. Ergo Beati nonnullas creaturas formaliter in Deo vident, & quidem illas, quæ spectant ad essentialem eorum beatitudinem: alias vero creaturas, quæ ad beatitudinem accidentalem spectant, & quæ decursu temporis illis manifestantur, extra verbum per revelationem sibi factam cognoscunt.

Beati Deum summe amant.

§. 402. Ex perfecta & intuitiva Dei visione oritur in Beatis intensissimus Dei amor. Sic 1. *ad Cor.* 13. *v.* 8. *Caritas nunquam excidit.* Cujus ratio est: Beati perfecta & intuitiva Dei cognitione fruuntur (§. 399.); consequenter Deum ut summum bonum in se, & sibi cognoscunt, & sic maximam ex Dei perfectionibus volu-

ptatem percipiunt, adeoque summus eorum in Deum amor est (§. 152.).

An Beati necessario Deum ament? *Schol.* Certum est, quod Beati Deum necessario ament, quoad specificationem, ita ut odisse non possint. Sed quæritur adhuc in Scholis, an necessario ament quoad exercitium, ita ut ab ejus amore cessare non possint. Negant Scotistæ; sed affirmativa sententia videtur nobis probabilior, 1. quia 1. *ad Cor.* 13. dicitur: *Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur &c.* id est, exercitium Charitatis in cœlo non cessabit, licet Prophetiæ exercitium cesset. Et *Apoc.* 4. Beati requiem non habent, sed nocte & die dicunt, Sanctus &c. Et S. Augustinus, *lib. de civ. c.* 22. ait: *Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* Laus vero hæc exercitium præstantissimæ Charitatis in se continet. 2. Voluntas rectæ rationis dictamen sequens nequit cessare ab actu, nisi intellectus in eo deprehendat aliquam rationem mali, aut in ejus cessatione speciem majoris boni: sed voluntas Beatorum dictamen rectæ rationis necessario sequitur, & ratio nequit proponere Beatis motiva, quibus ab amore Dei vel malo, vel minus bono avertantur, quia alias formaret judicium erroneum: ergo ab amore Dei Beati cessare non possunt. Non obstat I. S. Augustinus, qui in *Ench. c.* 105. ait: *Voluntas aut non est, aut libera est. Resp.* Actus voluntatis procedens a voluntate prout libera est, liber est; non vero procedens a voluntate, prout natura est. II. Amor patriæ idem est, ac amor viæ: sed hic est liber: ergo & ille. *Resp.* Idem est, sed non eodem modo regulatus; nam amor viæ dirigitur a judicio indifferenti: amor vero patriæ a judicio bonum universale proponente sine mixtura mali, & sine indifferentia, & quidem omnino clare; cum e contra fides in via proponat voluntati summum bonum tantum obscure, adeoque cum judicio indifferenti. III. Amor Christi regulatus scientia beata erat liber, quia per illum Christus meruit: ergo etiam amor Beatorum, qui est perfectissimus, liber erit. *Resp.* Amor Dei secundum se considerati in Christo liber non fuit, sed solum prout fuit ratio diligendi creaturas. Item amor liber perfectior est amore necessario, si necessitas oriatur ex imperfectione cognitionis; non vero si ex perfectiori cognitione oriatur, quia sic ejus capacitas expletur & satiatur.

Beati sunt impeccabiles. §. 403. Ex eo, quod Beati intuitive Deum videntes summo illum amore complectantur, sequitur, eos esse impeccabiles. Ita docet S. Fulgentius *l. de fid. ad Petrum c.* 23. *Firmissime tene, & nullatenus dubites ... non jam posse quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua*

Deo stabiliter perfruuntur, ut eo carere non possint. Par autem ratio est pro Beatis. Deinde impossibile est, ut qui Deum vident, ab eo avertantur: mens enim ab illo objecto divelli nequit, quod totam ejus capacitatem exhaurit; quodque ita amat, ut nihil præter ipsum amare possit. Sed talis est Beatorum conditio, qua seclusa non forent perfecte beati. Ergo sunt impeccabiles.

Schol. Quæritur in Scholis, undenam sit impeccabilitas Beatorum. Scotistæ respondent, non esse ab intrinseco, sed ab extrinseco; scilicet ex voluntate & auxilio Dei conservantis Beatos a peccato. Probabilius dicitur, Beatos esse ab intrinseco impeccabiles. 1. Quia in intellectu eorum nequit esse dictamen defectuosum: tum quia in vidente clare Deum nequit esse ignorantia, aut inconsideratio ob summam perfectionem in Deo visam: tum quia Deum cognoscunt ut summum bonum, extra quod, & sine quo aliud bonum amabile non datur: ergo in voluntate nequit esse peccatum, quod dictamen defectuosum intellectus supponit. 2. Per amorem beatificum homo convertitur actu continuo ad Deum tamquam ultimum finem, & illi inseparabiliter adhæret: per peccatum vero mortale a Deo ultimo fine avertitur, & per veniale ab eo deflectit; aversio vero & deflectio a Deo, cum conversione & actuali adhærentia ad illum stare nequit. Non obstat I. Beatus est capax legis imperantis; ergo etiam transgressionis. *Resp.* Est capax legis, non quia eam transgredi potest, sed quia dirigi potest, & superiori subjici amat. II. In Beatis remanet libertas; ergo potentia peccandi. *Resp.* Hæc potentia est defectus libertatis in subjecto necdum in gratia confirmato: Beati autem necessario Deum amant (§. 403. Schol.). *An ab intrinseco sint impeccabiles?*

§. 404. Non anima solum sua beatitudine fruitur, sed corpora etiam suo tempore gloriosa erunt, & quatuor dotes glorioso corpori competentes possidebunt, quæ sunt: *Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas: Impassibilitas* omnem a corpore passionem corruptivam, morbos, dolores, & mortem excludit: de qua dicitur 1. *ad Cor.* 15. *Seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione. Subtilitas* corpus gloriosum facit alterius penetrativum; ita ut pro libitu possit retinere vel deponere modum quantitatis loci repletivum. Sic corpus Christi januis clausis intravit ad discipulos, & exivit e sepulchro. *Agilitas* reddit corpus gloriosum celerrime mobile, non tamen in instanti, de uno loco in alium: *Is.* 40. *Assument pennas ut aquilæ. Claritas* reddit illud luminosum & diaphanum simile crystallo, ita ut in eo etiam oculis appareat interior mirabilis omnium suarum partium organizatio. Sic facies Christi *Dotes corporis gloriosi.*

transfigurati resplenduit ut sol, *Matth.* 17. *v.* 2. Nimirum *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*.

Schol. Corpora Beatorum, quia sunt incorruptibilia, nullo amplius alimento indigent: quia sunt subtilia, & pro libitu se conspicienda præbere, vel præsentiam suam oculis subtrahere possunt: erunt etiam omnis defectus naturalis expertia: veram tamen corporis humani substantiam & figuram ac sexum habebunt, & certo loco concludentur.

Beati summa voluptate perfunduntur.

§. 405. Cum igitur Beati maximas Dei perfectiones intuitive (§. 399.), prætereaque maximam sui ipsorum perfectionem tum quoad intellectum (loc. cit.), tum quoad voluntatem (§. 404.), & corpus (§. 405.), cognoscant; siquidem propter notiones distinctas erunt sibi conscii; eo major autem sit voluptas, quo major est perfectio, & quo certius cognoscitur: hinc Beati summam & ineffabilem voluptatem percipient. Nam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum*: 1. *ad Cor.* 2. *v.* 9.

In quo beatitudo formalis essentialiter consistat?

Schol. Cum ex dictis, in beatitudine & visio intuitiva, & amor intensissimus, & summa voluptas seu gaudium occurrant: quærunt Scholæ, in quonam igitur beatitudo formalis essentialiter consistat. Hugo Victorinus putat, hominem formaliter beatificari per actionem Dei increatam homini unitam, qua Deum intuitive videt, & summe diligit. Verum hæc sententia non placet: tum quia beatitudo formalis est vitalis possessio summi boni, qua homo intrinsece beatus efficitur, adeoque est essentialiter modificatio ipsius hominis, quæ nec est, nec potest esse actio creata: tum quia homo per justitiam Christi non potest reddi formaliter justus, sed per justitiam sibi intrinsecam (§. 373. Schol. 2.). Ergo nec potest esse formaliter beatus per actionem Dei increatam; alias enim si beatitudinem perderet, nihil intrinseci amitteret. Henricus Gandavensis beatitudinem reponit in illapsu quodam speciali Dei in essentiam animæ, ex quo illa essentialiter sanctificatur, & quasi in Deum transformatur, eo fere modo, quo ferrum candens in ignem. Hæc etiam sententia nequit explicare, in quonam specialis ille illapsus Dei consistat: non enim potest reponi in intima præsentia Dei in mentibus creatis; nam Deus per immensitatem suam omnibus, bonis æque ac malis præsens est, nec tamen omnes sunt beati; nec consistit in aliqua operatione circa mentes Beatorum; hæc enim operatio vel bearet mentes nostras per seipsam, & sic homo beatus foret per actionem increatam Dei, quod ex

dictis esse nequit: vel eas bearet per. aliquem effectum in ipsis productum, scilicet cognitionem & amorem, quod tamen Gandavensis negat. Reliqui Theologi beatitudinem formalem in aliqua operatione animæ reponunt: Thomistæ quidem putant, hanc operationem esse visionem Dei intuitivam: Scotistæ vero eam in solo actu amoris constituunt. Pro his conciliandis dici potest, beatitudinem formalem, in visione, amore & gaudio consistere. Nam 1. S. Scriptura & PP. licet hanc quæstionem non definiant, reponunt beatitudinem formalem tum in visione, *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: tum in amore: *Definimus*, ait Benedictus XII. in Extrav. Benedictus Deus, *quod ex visione & fruitione Dei Sanctorum animæ sunt vere beatæ:* tum in gaudio, *Joan.* 16. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. Et S. Augustinus *l.* 10. *Conf. c.* 23. ait: *Beata vita est gaudium de veritate*. 2. Visio, amor & gaudium beatitudinem essentialiter ingrediuntur, quia sine his possessio summi Boni concipi nequit: ad hanc enim requiritur ut mens intime & vitaliter Deo conjungatur, quod fit tum per visionem, quæ intellectum summo Vero intime conjungit; tum per amorem, quo voluntas summo Bono adhæret; maxime cum voluntas per solam visionem, nec intellectus per solum amorem satiari possit, nec ille beatus sit, qui non amat quod videt, nec videt quod amat. Denique gaudium essentialiter requiritur, utpote suavissimus ille sensus, quo posito mens ita contenta est, ut nihil amplius petat, quod ad beatitudinem essentialem requiritur (§. 595.). Non obstat I. quod S. Scriptura beatitudinem in visione reponit, *Ps.* 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. *Resp.* S. Scriptura etiam amoris & gaudii meminit, ex dictis. II. Visio est quid primum in beatitudine, ex qua amor & gaudium fluit, & qua sublata beatitudo tolleretur. Ergo in illa essentia beatitudinis consistit. *Resp.* Visio est quid primum ut pars essentialis, non vero ut tota essentia. Amor & gaudium ab ea fluunt non tamquam proprietates ab essentia, sed tamquam aliquo præsupposito, quo sublato tollitur beatitudo, quia pars ejus essentialis perit, sine qua tota beatitudo esse nequit. III. Per solum amorem Deus possidetur, eo fruimur, & eum velut summum Bonum attingimus. *Resp.* Per visionem etiam ab intellectu cognoscendo Deus possidetur, illo per cognitionem fruimur, & eum velut summum Bonum cognoscendum attingimus. Visio ergo æque ac amor ad beatitudinem requiritur. IV. Gaudium est tantum proprietas beatitudinis essentialiter completæ, cujus forma est amor, qui est summi Boni fruitio: imo si gaudium sit directum de

bonis Dei, non distinguitur ab amore: si indirectum de bonis propriis, Deum pro objecto non habet: ergo non est pars essentialis. *Resp.* Possessio boni est quasi materia beatitudinis; forma vero est gaudium, sine quo beatitudo completa non est. Dein amor fruitivus, prout gaudium complectitur, est forma beatitudinis; non vero amor præcise sumptus. Denique beatitudo consistit tum in gaudio directo ex supposito, quod idem sit cum amore: tum in reflexo, quia anima etiam ex eo beata est, quod Deus summum ejus Bonum sit: non enim repugnat, ut aliquid creati beatitudinem ingrediatur.

Beatitudo est æterna. §. 406. Quia autem Beati non possunt amplius peccare (§. 403.), non adest ratio, cur beatitudine sua priventur. Hinc beatitudo eorum est æterna, & nulli vicissitudini obnoxia. Ita docet 1mo. S. Scriptura, *Sap.* 5. *Justi in perpetuum vivent. Matth.* 25. *Ibunt . . . justi in vitam æternam. Joan.* 16. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* 2do. Subscribunt PP. S. Cyprianus in *exhort. Mart. Vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur.* Et in Symbolo profitemur *vitam ætern am.* 3tio. Ratio est: Beatitudo debet omne desiderium beati explere (§. 395.), & omne genus mali excludere. Sed hoc non præstaret, nisi esset inamissibilis; si enim amitti posset, sollicitudinem crearet cum beatitudine incompossibilem. Ergo est inamissibilis, & consequenter æterna.

Beati Deum laudant. §. 407. Cum igitur tantis perfectionibus, tantaque felicitate Beati sint perfundendi, & ex consideratione beneficiorum animus gratus oriatur, fieri non potest, quin gratissimam in Deum mentem gerant, & ad perpepetuam perfectionum Dei celebrationem, seu laudem accendantur. Sic vigintiquatuor seniores in *Apocalipsi c.* 4. *v.* 11. abjicientes coronas suas ante thronum Agni, dicunt: *Dignus es, Domine, accipere gloriam &c.* Et *c.* 19. *v.* 1. 6. cantant Beati, *Alleluja*. Quod qua lingua fiat, experientiæ beatæ relinquendum est.

Non est æqualis in omnibus visio beatifica. §. 408. Deus dona sua licet in se gratuita distribuit pro receptivitate subjectorum. Proinde non est æqualis in omnibus visio beatifica. Nam 1mo. *Joan.* 14. ait Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 1. *Ad Cor.* 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et *c.* 15. *v.* 14. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 2do. Ita docent Patres, inter quos S. Hieronymus *l.* 2. *cont. Jovin.* hoc probat his rationibus: 1. In Ecclesia militante diversi sunt ordines: ergo etiam in triumphante, quam prior præfigurat. 2. *Matth.* 20. Christus ait: *Qui vult major esse, sit omnium mini-*

mus: ergo sunt diversi gradus Beatorum. 3. Gloria cœlestis est merces, & redditur secundum proprium uniuscujusque laborem: ergo qui plus laboraverit, plus recipiet.

Schol. 1. Jovinianus sicuti nullam meritorum discrepantiam, ita nullam præmii inæqualitatem agnovit. I. *Matth.* 20. Operarii inæquali tempore laborantes, æqualem mercedem receperunt. *Resp.* Denarius est figura beatitudinis objective sumptæ ratione durationis æternæ, quæ est æqualis in omnibus Sanctis; non vero ratione intensionis, in qua pro diversitate meritorum gradus diversi erunt. II. Sic posset inter Sanctos creari invidia. *Resp.* Hanc excludet perfecta Charitas; qua Beati non minus de propria, quam de aliorum felicitate lætantur. III. Damnati eadem pœna damni afficiuntur, quæ non suscipit magis & minus: ergo & Beati eodem præmio. *Resp.* Pœna damni non suscipit magis & minus ratione sui, bene vero ratione adjuncti, scilicet inimicitiæ Dei, & cruciatus, quo damnati plus minusve cruciantur, dum cognoscunt se visione beatifica privari. IV. Beati vident Deum, sicuti est: ergo non inæqualiter. *Resp.* Ast non omnes vident Deum eadem vi intelligendi, nec amant eodem Charitatis ardore. Satiantur tamen singuli, quia vident, uti capiunt, amant, uti possunt, fruuntur, uti cupiunt, inebriantur, uti sitiunt: & gloriæ discrimen non a Deo, sed a propria uniuscujusque capacitate repetitur. *Solvuntur objectiones.*

Schol. 2. Causa moralis inæqualitatis beatitudinis est meritum, uti ex modo dictis patet. Causa vero physica efficiens totalis est inæqualitas luminis gloriæ. Nam hoc solum; non vero etiam intellectus perspicacia, uti volunt Scotistæ, est principium, quod in Beatis inæquale est: intellectus enim in visione beatifica non agit, prout est potentia naturalis, sed ut elevata per lumen gloriæ, sub qua ratione nulla est in intellectu Beatorum inæqualitas, cum potentia ejus obedientialis in omnibus sit æqualis; diversitas vero perfectionum intellectus in corpore ad diversam organorum structuram pertineat, quæ in anima separata cessat. Certe nullus beatitudinis gradus majori perfectioni intellectus creati respondet, cum tota actio sit supernaturalis. *Causa inæqualitatis beatitudinis.*

§. 409. Ex inæqualitate beatitudinis Sanctorum fundata in diversitate meritorum fluit triplex *Aureola*, seu gaudium accidentale a Beatis de singulari quadam victoria perceptum, & in corpus speciali fulgore redundans, scilicet Martyrum, Virginum, & Doctorum. Martyres enim vincunt mundum contemptu mortis, qua nullum gravius malum a mundo inferri potest. Virgines vincunt carnem, cujus illecebris resistunt; unde cantant in cœlo *Aureola Martyrum, Virginum & Doctorum.*

canticum novum. Doctores vincunt diabolum una cum aliis verbi Dei ministris & Interpretibus, cum e cordibus hominum eum expellunt; adeoque cum ad justitiam erudiant multos, *quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt; Dan.* 12. Sed aureola debetur victoribus: nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit: 2. ad Tim. 2.* Ergo hi aureolam accipient.

Quid sit? *Schol.* Hæc aureola proprie est in anima, quia est gaudium de operibus victoriosis: sed ex hoc gaudio resultat etiam aliquis decor in corpore: unde valde probabile est, quod claritas gloriæ efformet in capite Virginum coronulam albam, in capite Martyrum purpuream, & in capite Doctorum subviridem.

Judicium particulare statim post mortem erit. §. 410. Quia homo perfectam hanc beatitudinem in præsenti vita habere non potest (§. 396.), ideo priusquam eam consequatur, moriendum illi est (§. 270.); & quia æterna vita est bonorum operum præmium (§. 385.), quo an homo dignus sit, Deus Judex justus decernit; hinc *Judicium particulare*, in quo sententia illi fertur, statim post mortem sequitur. Hoc indicat Ecclesiastes *c.* 11. *In fine hominis denudatio operum illius*. Et *ad Hebr.* 9. *v.* 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Quare hoc Judicium particulare statim, juxta citatum textum, post mortem erit, ubi anima superno lumine irradiata omnia minima etiam totius vitæ peractæ peccata & bona distincte cognoscens, conscientia propria eam accusante & convincente, æternæ vel salutis vel damnationis sententiam excipiet.

Et justi inventi statim beatitudinem consequentur. §. 411. Quod si igitur anima justi ab omni nævo & peccato pura æternæ suæ salutis sententiam exceperit, statim beatitudinem suam, claram scilicet Dei visionem, consequetur. Ita docet 1mo. S. Scriptura, 2. *ad Cor.* 5. *v.* 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis*. Et quidem in hanc domum statim post mortem recipiemur; nam sequitur *v.* 4. *Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes*. Et *v.* 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Hoc vero optandum non esset, nisi statim a morte visio beatifica nobis concederetur. Unde hoc desiderium exprimit idem Apostolus *ad Philipp.* 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Rursus *Apoc.* 7. *v.* 9. dicuntur Sancti *stare amicti stolis albis ante thronum Dei, & in conspectu Agni*. Et *c.* 14. *v.* 13. *Amodo jam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera*

enim eorum sequuntur illos. Et Christus bono Latroni dixit, *Luc.* 23. *v.* 42. *Hodie mecum eris in Paradiso;* 2do. Patet ex PP. Sæculo 1. Hermas *l.* 3. *simil.* 8. docet, omnes pie obeuntes jam in cœlis coronari. Item S. Clemens *Ep.* 1. *ad Cor.* Vid. *Analys. PP.* Sæculo 2. Athenagoras ait, nos hac vita defunctos in meliori vita apud Deum esse. Sæculo 3. S. Cyprianus in *exhort. ad Mart.* ait: *Terris repente subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris.* Sæculo 4. S. Ambrosius *l. de bono mortis: Hanc remunerationem habent justi, ut videant faciem Dei &c.* 3tio. Accedit Concilium Florentinum in *decret. union.* Et Innocentius III. *c. cum Martha: de celebr. Miss.* Imo cum Joannes XXII. hanc quæstionem in controversiam adduxisset, Benedictus XII. in Extrav. *Benedictus Deus*, tem definivit, & contrarium hæreticum declaravit. 4to. Ratio est, quia impii statim post mortem vadunt ad pœnas: ergo justi ad præmia, a quibus nihil eos retardat: nihil ex parte cœli, quod Deus nobis per Christum reseravit: nihil ex parte corporis, quod ad visionem beatificam non est necessarium.

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Nonnulli antiqui Patres, S. Irenæus, S. Justinus, Lactantius &c. & nonnulli Græci, tempore Concilii Florentini docuerunt, animarum beatitudinem & visionem beatificam differri usque ad ultimum diem. Judicii, cum illæ interim in occultis receptaculis occlusæ Judicis adventum expectent. Nam I. *Matth.* 20. *v.* 8. dicitur: *Cum sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem.* Et *c.* 25. *v.* 34. In extremo Judicio dicet modo Judex: *Venite ... possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Item *ad Hebr.* 11. *v.* 39. dicitur, quod Sancti V. T. *non acceperint repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Et 2. *ad Tim.* 4. dicit Apostolus, coronam justitiæ sibi reddendam a justo Judice *in illa die.* Et 1. *Joan. v.* 2. *Similes ei erimus, cum apparuerit.* Unde *Apoc.* 6. *v.* 9. &c. clamantes vindicari sanguinem suum, jubentur sustinere *modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum* ipsorum. *Resp. Matth.* 20. vel est sermo de beatitudine completa & corporis & animæ: vel per vesperam intelligitur Judicium particulare: vel parabola explicari potest de vocatione Gentilium, qui etiam sero venientes ad Ecclesiam ob heroica opera cum aliis mercedem receperunt. *Matth.* 25. sermo item est de beatitudine corporis. *Ad Hebr.* 11. sensus est, animas V. L. ante ascensum Christi in cœlum promissiones sibi factas non accepisse: & quando dicuntur non consummandæ sine nobis, sensus est, non consummandas esse felicitate

completa corporis & animæ. 2. *Ad Tim.* 4. Apostolus loquitur de die mortis; vel si loquatur de extremo Judicio, intelligitur de felicitate corporis. 1. *Joan.* 3. sensus est: nondum apparuit, quod erimus in futuro sæculo, cujus modo spem habemus; sed si apparuerit, tunc erit, quando similes ei erimus non tantum sanctitate, sed & beatitudinis æternitate. Deinde cum Christus apparuerit, beatitudine completa corpore, & anima similes ei erimus. In Apocalypsi clamor Sanctorum exprimit ardens eorum desiderium corpus resumendi, in die Judicii explendum. II. In pluribus Liturgiis S. Jacobi, Basilii &c. fiunt preces pro Sanctis, ut eos beata retributio comitetur, ut illis Sacrificium prosit ad gloriam, ut earum animabus donetur requies. *Resp.* In his Liturgiis petitur major Sanctorum gloria accidentalis, major cultus in Ecclesia, & imitatio. Subinde deprecamur Sanctis requiem, dum indiscriminatim pro omnibus mortuis oramus, quia inter illos sunt animæ Purgatorii; vel Sanctis requiem precamur, gloriam corporis expetentes. III. S. Hilarius *in Ps.* 120. ait, *justorum animas in sinu Abrahæ locari, & nondum recipi in regno Dei.* Et *in Ps.* 130. ait, eas ad inferos descendere. S. Chrysostomus *hom.* 39. *in* 1. *ad Cor. Sine carne anima admirandis illis bonis non fruetur.* S. Ambrosius *l. de bono mortis* docet, animas receptas in quibusdam promptuariis extremum Judicium expectare, & eas ad inferos descendere: & *c.* 11. inter septem ordines lætitiæ justorum non recenset visionem beatificam; imo ait, eas gloriam suam prævidere, & ad eam festinare. Et *l. de Cain & Abel c.* 2. vult, animam post finem vitæ suspendi futuro ambiguo. S. Augustinus *serm.* 259. ait, *post diei Judicii ventilationem celebrandum esse Sabbatismum in terra.* Et *l.* 12. *de Civ. c.* 9. in secretis receptaculis piorum animas locat. Et *tr.* 49. *in Joan.* ait, reservari singulis gloriam post resurrectionem. S. Bernardus *serm.* 2. de OO. SS. scribit, quod *Sanctorum animæ ante diem Judicii non convertentur in requiem suam.* Et *serm.* 3. eas modo post diem Judicii introire *in domum Dei:* & habere eas rugam ante illum diem. *Resp.* S. Hilarius distinguit regnum Christi a regno Dei: in regno Christi seu sinu Abrahæ per visionem beatificam manent animæ usque ad consummationem sæculi; in regno Dei constituuntur per gloriosam corporum resurrectionem: dicit etiam, animas ad inferos exemplo Christi descendere, non vero ibi detineri. S. Chrysostomus negat gloriam animæ in hypothesi, quod corpora non resurgant, non quod anima sine corpore coronari non possit; sed ideo, quia si una pars non coronetur, dicere quis posset, quod nec altera coronetur. S. Ambrosius per illa

promptuaria intelligit diversas mansiones in cœlo, & vult, eas ad inferos descendere, non tamen ibi manere. Item a septem illis ordinibus visionem beatificam non excludit; nam *n.* 49. ait: *Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei.* Denique anima ante diem Judicii in omni statu suspensa est: in exitu e corpore, timore sententiæ æternæ salutis vel damnationis: in Purgatorio, incertitudine durationis pœnarum: in cœlo, expectatione Judicii extremi, quæ omnia nescit. S. Augustinus in citato sermone tenebatur adhuc errore Millenariorum. At in *l. de Civ.* anceps est de loco, non vero de gloria; & forte per abditas sedes, mansiones cœlestes intelligit: & *tr.* 49. de gloria corporis loquitur. S. Bernardus per requiem plenam & domum Dei, gloriam animæ & corporis intelligit, & per rugam, naturalem inclinationem ad corpus. IV. Absonum videtur, animam sine corpore coronari. *Resp.* Conveniens est, tum quia anima est causa principalis bonorum operum: tum quia bona sola voluntate sine corpore efficit: tum quia anima separata est capax gloriæ, non vero corpus ab anima separatum.

An Joannes XXII. contrarium definiverit?

Schol. 2. Inter illos, qui animas modo post extremum diem ad visionem beatificam admittendas esse putarunt, a nonnullis recensetur Joannes XXII. Papa. Verum licet Joannes XXII. in eam sententiam vehementer propenderit, uti patet ex Odorico Raynaldo auctore coævo, qui refert, Joannem hanc sententiam in Festo OO. SS. Dom. 3. Adv. & in Vigil. Epiph. publice in concione retulisse, & sæpius in Curia coram Cardinalibus ventilasse; uti etiam testatur Continuator *Chronici* Guillielmi Nangii ad annum 1333. & Gobelinus *ætat.* 6. *c.* 17. &c. nihilominus hanc sententiam nunquam assertive docuit, nec unquam ut fidei dogma credendum definivit. Patet hoc 1. ex protestatione ipsius Joannis facta coram Cardinalibus anno 1334. quam refert Benedictus XII. in *diplomate*, ubi ita ait: *Protestamur expresse, quod quidquid in quæstione seu materia visionis animarum ... diximus, allegavimus, proposuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ S. obvium, vel contrarium orthodoxæ fidei ... Et si forsan in prædictis sermonibus vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ S. vel fidei orthodoxæ quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eaque revocamus expresse, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec in futurum.* Patet 2. ex alia protestatione Joannis, quam morti proximus coram Cardinalibus 3. Dec. fecit, ubi

profitetur, se credere, quod animæ separatæ & purgatæ Deum clare facie ad faciem videant, & si quid ipsi contrarium exciderit, expresse revocat. Rursus in epistola ad Philippum Franciæ Regem expresse testatur Joannes, quod multi Cardinalium pro & contra de hac materia locuti sint, ut veritas plenius inveniri possit: & negat, quod Ministrum Minoritarum Parisios miserit ad astruendam illam sententiam, sed rogat, ut cuilibet permittat dicere de hac re, quid verius existimaverit, donec fuerit ordinatum per Sedem Apostolicam. Denique Benedictus XII. Joannis successor in Bulla, *Benedictus Deus*, expresse testatur, quod Joannes Cardinalibus, Prælatis & Magistris in Theologia mandaverit, ut super prædicta visione deliberate suam sententiam dicerent, ut ille controversiam definire posset; quod tamen morte præventus præstare non potuit. Ex quibus patet, Gersonem & Okam ex falsis rumoribus deceptos esse, dum Joannem XXII. in hac materia absolute errasse volunt, dum res nec ab eo definita, sed tantum recitando allata fuerit. Jussit quidem, sententiam affirmativam tenentes incarcerari, sed quia eam ut de fide tenendam proponebant, & contrasentientes anathematizabant ante definitionem Ecclesiæ. Philippus Galliæ Rex non Joanni, uti falso putat Petrus de Alliaco, sed Ministro Generali FF. Minorum sententiam de dilatione visionis publice prædicanti rogum intentavit; nam Joannes in sua ad Regem epistola harum minarum sibi factarum, nec alius Auctor coævus meminit, & si quidem sibi factæ fuissent, Rex a falso rumore de Joanne sparso decipi potuit. Vid. Cl. P. Gazzaniga.

An Justi V. T. donati sint visione beatifica?

Schol. 3. Joannes Cadonici Canonicus Cremonensis in libro, cui titulus: *Vindiciæ Augustinianæ ab imputatione regni millenarii*, D. Muratorius & Cl. P. Feltri, ex auctoritate SS. Augustini, Chrysostomi & Hilarii contendunt, Justorum veteris Testamenti animas plene purgatas statim post mortem beatificam Dei visionem consecutas fuisse. Verum licet Scripturarum oracula in hac re non admodum sint conspicua, & quæ de Sanctorum ab inferis liberatione dicuntur, de animabus in Purgatorio degentibus accipi queant; nec explorata sit omnino traditio, uti notat Cl. P. Bertieri in *Th. dogm. tom.* 2. nihilominus tamen communis est Theologorum sententia, veteris Testamenti justorum animas propter obseratas adhucdum ob Adæ peccatum cœli januas in quodam remoto loco sinu Abrahæ dicto in spe venturi Liberatoris detentas fuisse, ubi a pœnis & omni animi perturbatione liberæ solamen quidem ac quietem obtinebant, beatifica tamen visione necdum donabantur. Id quod colligitur ex

his S. Pauli verbis: *Novi Testamenti mediator est* (Christus), *ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis: ad Hebr.* 9. *v.* 15. Item *juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes & salutantes, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur: ibid. c.* 11. *v.* 13. Vide Mamachium in libr. *de animabus justorum in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus beatæ visionis Dei.*

§. 412. Quod si vero justorum animabus post mortem nonnihil expiandum supersit, illud pœnis prius expurgare tenentur, antequam ipsis concedatur aperto Dei conspectu frui, quod fit in *Purgatorio*, qui est locus, in quo justorum animæ detinentur, donec justitiæ Divinæ plene satisfecerint, vel pro aliqua pœna temporali, quæ ipsis post condonatam culpam solvenda superest, vel pro levioribus illis dum viverent nondum remissis. Probatur hoc 1mo. ex S. Scriptura, *Matth.* 12. *v.* 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo dantur peccata, quæ in altero sæculo remitti possunt, non in Inferno, ex quo nulla est redemptio: ergo in Purgatorio. Dein 1. *ad Cor.* 3. *v.* 15. dicitur: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit ... si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ex quo constat, in futuro sæculo quædam peccata remittenda esse eorum, qui salvi fient per ignem. Sed hic ignis non erit infernalis: non tribulationes hujus vitæ, quæ transierunt: non ignis ultimæ conflagrationis, qui opera non purgabit, nisi quæ necdum purgata fuerint: ergo ignis purgatorius. Hic locus juxta Estium satis solide Purgatorium probat, licet ob variantes explicationes Interpretum non omnino invictum argumentum ex eo deduci D. Tournely putet. 2do. Probatur ex Traditione. Sæculo 2. hoc docet Clemens Alex. *strom. l.* 7. Tertullianus *l. de Monogam.* Sæc. 3. S. Cyprianus *ep.* 66. inferius citandi. Sæc. 4. S. Gregorius Nyss. in *or. pro mortuis* ait: *Non poterit a corpore egressus Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Sæc. 5. S. Augustinus *hom.* 16. *in l.* 50. *hom. Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quemdam purgatorium transibunt.* Sæc. 6. S. Gregorius M. *l.* 4. *dial. c.* 39. *In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari.* Traditio reliquorum sæcu-

Purgatorium datur.

lorum manifesta est; & S. Bernardus *Serm.* 66. *in Cant.* ait: *Si non credant, ignem Purgatorii restare post mortem... quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur.* Hinc Tridentinum in decreto *de Purgatorio* Episcopis mandat, ut sanam doctrinam credi, teneri, doceri & ubique prædicari studeant: difficiliores & subtiliores quæstiones apud rudem plebem, a popularibus concionibus secludant: incerta, & quæ specie falsi laborant, evulgari non permittant: ea vero, quæ ad curiositatem quamdam & superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala prohibeant. 3*tio.* Ratio petitur tum ex levitate peccati venialis, tum ex residua pœna post dimissam culpam, de quo alibi: si quis autem cum his e vita decedat, nequit venire in Infernum, quia adhuc manet amicus Dei; neque statim in cœlum, in quo nihil coinquinatum introibit: ergo in Purgatorium.

Solvuntur objectiones Lutheranorum. *Schol.* Aetius, teste S. Epiphanio *hær.* 75. Waldenses, teste Guidone *in summa de hær.* Apostolici, teste S. Bernardo *serm.* 66. *in Cant.* Lutherani & Calvinistæ Purgatorium negant. I. Quia peccata in altera vita expiari non possunt; nam *nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos: Eccl.* 9. *v.* 10. Et *quocumque ceciderit* lignum, *ibi erit: c.* 11. *v.* 3. Imo S. Scriptura duos tantum ordines e vita decedentium assignat, justorum & impiorum, *Matth.* 25. Et *Apoc.* 14. *v.* 13. dicuntur *beati justi, qui in Domino moriuntur.* Deus etiam non recordatur iniquitatum vere pœnitentium, *Ezech.* 18. *v.* 21. Et cum dat *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Unde Christus bono Latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo justi non detinentur in Purgatorio. *Resp.* Salomon, *Eccl.* 9. illa verba dicit ex persona impiorum, & Infernum & Purgatorium negantium. S. Gregorius M. *l.* 4. *dial. c.* 39. illa verba animabus Purgatorii applicat, quæ nihil amplius mereri possunt. Auster & Aquilo *Eccl.* 11. denotat duo loca ultimata, quæ non excludunt locum intermedium, seu Purgatorium. Christus, *Matth.* 25. loquitur de extremo Judicio, ubi nullus amplius locus Purgatorii erit. In Apocalypsi sermo est de perfecte justis, quibus nihil in Purgatorio luendum restat. Ezechiel loquitur de oblivione quoad pœnam æternam, non vero quoad temporalem in vita necdum deletam; & in *Ps.* 126. sermo est de justis sine omni reatu pœnæ temporalis decedentibus. Latronis autem boni pœnitentia tanta fuit, ut omnem & culpam & pœnam deleverit. II. Græci a Latinis differunt in dogmate de Purgatorio, de quo in Concilio Florentino multum disputabatur. *Resp.* Dissensio solum est circa locum &

genus pœnæ Purgatorii, & quomodo ex S. Scriptura probetur. Græci certe in omnibus suis Liturgiis pro mortuis orant. III. S. Augustinus in *Ench. c.*68. dubitare videtur de Purgatorio; & PP. communiter docent, non esse locum satisfactioni post vitam. *Resp.* S. Augustinus solum dubitat, an nimia adhæsio ad res temporales igne puniatur: & PP. docent, remissionem culpæ mortalis, & pœnæ æternæ post mortem non dari. IV. Post mortem non datur meritum: ergo nec satisfactio; alias etiam dæmones satisfacerent. Unde sicuti impii statim damnantur, ita justi statim præmiantur, quia Deus pronior est ad præmiandum, quam ad puniendum. *Resp.* Ad meritum requiritur libertas, non vero ad satisfactionem: dæmones vero non satisfaciunt, quia in iis reatus culpæ manet. Impii statim pœnæ rei sunt; justi vero non statim præmio digni sunt, si quæ maculæ iis adhæreant, quæ bonitatem Dei impediunt, ne eos statim præmiet, ut justitiæ satisfiat.

Animæ Purgatorii fidelium precibus juvari possunt.

§. 413. Porro animæ in Purgatorio existentes vivorum precibus & suffragiis juvari possunt. Patet hoc 1*mo.* ex 2. *Machab.* 12. *v.* 43. ubi *Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti, misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Et *v.* 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex quo constat 1. Posse mortuos post hanc vitam a peccatis solvi. 2. Sacrificia & orationes mortuis prodesse. 3. Omnes peccatorum reliquias non semper per mortem expiari. 4. Locum esse, quem Purgatorium dicimus, in quo animæ pro his pœnis satispatiantur. Authentiam hujus libri probavimus (§. 7.). Respondet Brucknerus, illa verba: *Sancta & salubris est &c.* esse adjectiva, & in Græco Autographo non legi, & sensum esse: Sancta cogitatio est judicare, optimam gratiam repositam esse iis, qui cum pietate dormitionem acceperunt. Verum citata verba legunt omnia exemplaria, uno excepto, & illa mutatio sensum non mutat, sed propositio dogmatica sensum universalem facit. 2*do.* Patet ex Traditione. Sæculo 2. Tertullianus *l. de cor. mil. c.* 3. ait: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Et *l. de Monogam.* ait: Vidua *pro anima ejus*, viri, *orat*, *& refrigerium interim adpostulat ei.* Sæculo 3. S. Cyprianus *ep.* 66. prohibet pro defuncto Victore Sacrificium offerri, quia contra legem Faustinum Presbyterum ad tutelam nominavit. Sæculo 4. S. Ambrosius pro defuncto fratre suo Satyro & Valentiniano, Gratiano & Theodosio defunctis sacrificasse legitur. Notum est, quod refert S. Augustinus *l.* 9. *Conf.* Monicam matrem suam vehe-

menter rogasse, ut sui memoria ad Altare fieret: & *oblatum est pro ea sacrificium pretii nostri*, ait S. D. *c.* 12. Idem probat in *l. de cura pro mort.* & *serm.* 172. ait: *Hoc a Patribus traditum universa observat Ecclesia*. Eadem Traditio constat ab exequiis mortuorum olim cum cantu Psalmorum & precibus celebratis, uti testatur S. Hieronymus in *Vita S. Pauli Eremitæ*: solebant etiam pauperibus convivia dari: de quibus S. Chrysostomus *hom.* 32. *in Matth.* Item ut frequentiores pro mortuis orationes fierent, solebant sepeliri juxta Basilicas Martyrum, quæ loca Cœmeteria vocabantur; cum vero etiam in Ecclesia sepeliri vellent, hunc abusum reprehendit Concilium Braccarense I. *c.* 36. Et in Concilio Triburiensi *c.* 17. Moguntino *c.* 52. & Meldensi *c.* 72. statutum fuit, ne quis in Ecclesia sepeliretur, nisi Episcopi, Abbates, & viri Ecclesiastici meritis insignes. Catholica Traditio etiam colligitur ex ipsis superstitionibus, quia nonnulli mortuos pro eorum liberatione baptizabant, teste S. Chrysostomo in *c.* 15. 1. *ad Cor.* Alii SS. Eucharistiam in eorum os infundebant, uti patet ex Concilio Carthaginensi III. *c.* 6. Quæ omnia probant, quam alte insederit eorum animis opinio, mortuos vivorum precibus adjuvari. 3*tio.* Patet ex Conciliis. Carthaginense III. *c.* 29. decernit commemorationem defunctorum pomeridiano tempore solis orationibus faciendam esse. Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 66. preces pro requie defunctorum approbat. Florentinum, decretum de Purgatorio *sess. ult.* edidit, cui etiam Græci subscripserunt. Tridentinum *sess.* 22. ait, Sacrificium Missæ pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offerri. 4*to.* Credimus communionem Sanctorum, qui communi charitatis vinculo colligati mutuam sibi opem ferunt. Sed ad hanc communionem etiam animæ in Purgatorio spectant, utpote membra Ecclesiæ, quæ prout triumphat in cœlo, militat in terra, & purgatur in Purgatorio, una est quoad substantiam, & diversa tantum quoad modum & statum. Ergo animabus in Purgatorio precibus nostris opem ferre possumus.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Protestantes negant, animas in Purgatorio detentas viventium precibus & suffragiis juvari. I. Quia 2. *Mach.* 12. Judas pro vivis, ne eis noceret peccatum occisorum, sacrificia obtulit: tum quia *v.* 41. laudant Deum, quod eos juste ob peccatum puniverit: tum quia Judæi ad preces conversi rogaverunt, ut patratum delictum oblivioni detur, *v.* 42. & Judas hortabatur populum, conservare se sine peccato, ne vivis id accideret, quod Israelitis accidit ob furtum Achan, *Jos.* 7. *v.* 11.

tum quia in Græco non dicitur, pro peccatis mortuorum, sed simpliciter, pro peccatis: προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, *ad peccati sacrificium*. Imo Judas non potuit pro his mortuis orare, quia erant æternum damnati; tum quia gravem legem *Deut.* 7. *v.* 25. latam violarunt, cum de donariis idolorum aliquid abstulerunt, *v.* 40. tum quia de hoc peccato ante mortem non doluerunt, cum illa donaria sub tunicis interfectorum illorum reperta fuerint; tum quia solum orarunt, ut pœnæ inferni illis mitigarentur, quod fieri posse docet S. Augustinus in *Ench. c.* 110. Origenes *l.* 3. *de princ. c.* 6. Magister sententiarum *l.* 4. *d.* 45. *Resp.* Judæi laudant Deum, quod eos pœna temporali puniverit, pro qua tollenda preces offerunt, & rogant, ut a pœnis Purgatorii defuncti liberentur. *Jos.* 7. *v.* 11. Deus expresse dixit, quod propter peccatum Achan nolit esse cum populo, non vero hic. In Græco ly mortuorum non habetur quidem quoad verbum, bene vero quoad sensum; imo in contextu etiam quoad verbum habetur; nam Judas pro iis obtulit, pro quibus oravit: sed pro mortuis oravit, ut a peccatis solvantur, uti ipse Lutherus vertit: *Ideo etiam pro hisce mortuis oravit, ut illis peccatum remitteretur*: ergo & pro illis obtulit, & quidem pro physice mortuis, *v.* 42. *qui occisi erant*. Rursus non omnes peccarunt, graviter, imo pauci ob ignoratam illam legem, vel quia putarunt eam se ad sola idola, non vero ad donaria extendere, nec credebant, illam legem tunc obtinere, quando nullum Idololatriæ periculum aderat: in quo leviter peccarunt; aut si graviter peccarunt, de hoc peccato doluerunt: nam Judas divinitus cognovit, eos cum pietate dormitionem accepisse, & habere optimam repositam gratiam, *v.* 45. Retinuerunt quidem illa donaria, sed ideo, quia peracta pœnitentia morte præventi abjicere non poterant. Denique citati Doctores, & nonnulla etiam Missalia loquuntur de mitigatione pœnarum Purgatorii, quod late damnatio dicitur. II. A facto particulari Judæ non licet regulam universalem desumere, quia falli potuit, & hoc sine mandato Dei, & sine exemplo fecit ex propria opinione διαλογιζόμενος. *Resp.* Factum Judæ laudatur a Spiritu S. uti sanctum & salubre, *v.* 43. Nec hoc sine exemplo fecit sequens traditionem Patrum, & praxim usitatam a Tobia *c.* 4. Davide 2. *Reg.* 1. & cogitatio ejus dicitur bona & religiosa. III. 2. *ad Cor.* 5. *v.* 10. *Referet unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum*. Et *ad Gal.* 6. *v.* 5. *Unusquisque onus suum portabit*. Ergo alienis precibus non juvatur. *Resp.* S. Paulus in primo loco solum innuit, justos in altera vi-

ta suffragiis viventium juvari pro mensura bonorum operum in vita factorum, quia eis nova merita post vitam non accrescunt, ut juvari a viventibus possint. Unusquisque etiam onus suum portabit, sive quia propter propria peccata punietur; sive quia aliorum meritis post mortem non juvabitur, nisi propria in vita præcesserint; sive quia in extremo Judicio nemo aliorum suffragiis juvari poterit, sed quisque ex iis, quæ gessit in corpore, judicabitur. IV. Melius est per se satisfacere, quam per alium, & minus præmiatur, qui per alium satisfacit: ergo pro defunctis orare non debemus, ne eorum gloriam minuamus. *Resp.* Melius est per se satisfacere in vita, ubi satisfaciendo meremur gratiæ & gloriæ augmentum; non vero in Purgatorio, ubi animæ amplius mereri non possunt.

Locus, pœna, duratio Purgatorii.

Schol. 2. Nolumus hic curiose indagare, ubi sit locus Purgatorii; quæ pœna ibi sustineatur; quæ ejus duratio. Hæc omnia incerta sunt. Alii Purgatorium in inferno, alii in aere, alii subtus terram ponunt. Acerbissimam esse Purgatorii pœnam ob privationem visionis beatificæ, nemo dubitat. Alii pœnam veri ignis, alii obscuritatem & tenebras cum summo angore & animi tristitia addunt. Quanta sit ejus duratio, quis dicere potest? Putat Maldonatus, pœnas Purgatorii ob maximam earum acerbitatem ad decem annos ab animabus non tolerari. Sed praxis Ecclesiæ huic sententiæ contradicit, quæ anniversaria pro defunctis ante ducentos & amplius annos celebrat. Verum Ecclesia de his omnibus nihil adhuc pronuntiavit.

Corpora mortuorum resurgent.

§. 414. Quemadmodum vero animæ justorum omni nævo carentes statim post mortem (§. 411.), vel si quid ipsis expiandum supersit, in Purgatorio plene purgatæ (§. 412.), mox beatitudinem suam consequuntur: ita etiam corpora suam aliquando gloriam obtinebunt (§. 404.): unde corpora mortuorum omnium aliquando resurgent. Hoc ostendit *imo.* S. Scriptura, *Jobi* 19. *v.* 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea.* Non loquitur hic Job de liberatione a miseriis suis, quia dicit, *in novissimo die se resurrecturum*, & quidem *cum pelle sua*. In Hebraico quidem legitur: *Postea super pulverem surget*, scilicet Redemptor meus. Verum licet in modernis Hebraicis exemplaribus legatur יקום *surget*; in antiquis tamen Vulgata nostra legit אקום *surgam*. Quare sensus idem est, nimirum: *Super pulverem surgam*, id est, *e sepulchro resurgam*; alias enim oculis suis Job Redemptorem suum non visurus esset. Imo licet etiam servemus textum modernum Hebraicum, in-

telligendo eum de resurrectione Christi; ex hac tamen adhuc nostra resurrectio infertur a S. Paulo, 1. *ad Cor.* 15. *v.* 12. Et ipse S. Job cum oculis suis visurus sit Redemptorem redivivum, sane oculos & carnem recipere debet. Rursus juxta textum Hebraicum loco: *Et rursum circumdabor pelle mea*, legunt quidem nonnulli: *Et post cutem meam perforarunt hoc:* quia נקף in *Piel* a נקף significat *perforare*. Sed hoc falsum est; nam יקף significat *circumire*, & in *Hiphil*, *circumdare*; ut sensus sit: *Et postquam pellis mea circumiverit hoc*, nempe, corpus: vel in *Hiphal*: *Postquam pelle mea circumdata fuerint*, nempe ossa: hoc sequitur. Deinde servata etiam illa lectione Hebraica, resurrectio aperte probatur; nam si Job corrosa a vermibus pelle Deum oculis suis visurus sit, pelle sua rursum circumdari debet. Eamdem veritatem docet Christus, *Matth.* 22. dum Sadducæos resurrectionem negantes refellit, dicens: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed viventium?* Ubi ex immortalitate animæ & naturali ejus appetitu ad corpus resurrectionem corporum probat. Idem ex professo docet Apostolus, 1. *ad Cor.* 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Hoc idem docent omnia Symbola, Apostolorum, Constantinopolitanum, S. Athanasii. 2*do.* Rationem dat Athenagoras: Si resurrectio mortuorum futura non sit: ergo vel quia Deus non potest; quod nemo dicet, cum Deus omnipotens, qui creavit omnia ex nihilo, dissoluta etiam restaurare possit: vel quia Deus non vult; quod iterum falsum est, quia resurrectio nulli nocet, & est digna Deo, ut etiam corpus præmium suum accipiat. Vide etiam S. Clementem *Ep.* 1. *ad Cor.* S. Justinum *Apol.* 1. Tatianum *or. adv. Græc.* S. Theophil. *Ant. l.* 1. *ad Antolyc.* S. Irenæum *l.* 5. *cont. hær.* Tertullian. *l. de resurr. carnis*, & Minucium Felic. *in Octavio* in mea Analysi PP.

Schol. 1. Sadducæi negabant resurrectionem mortuorum, quos hodie plures Naturalistæ sequuntur. I. Quia multa V. T. testimonia conciliari non possunt cum fide resurrectionis. *Ps.* 1. *Non resurgent impii in judicio. Ps.* 77. Dicuntur Israelitæ *Spiritus vadens, & non rediens. Ps.* 113. *Non mortui laudabunt te, Domine. Eccl.* 3. *Unus interitus est hominum & jumentorum. Resp.* Impii non resurgent in concilio & judicio justorum: vel juxta Hebraicum: impii non sustinebunt se in judicio, id est defendere se non poterunt. Per Spiritum vadentem, & *Solvuntur objectiones.*

non redeuntem intelligitur fluxa vita corporalis. Mortui non laudant Deum cultu publico, sicuti viventes. Unus est interitus hominum & jumentorum quoad corruptionem corporis, non quoad resurrectionem. II. Resurrectio carnis nocet animæ Sanctorum, quæ sine carne & Angelis est & Deo similior. *Resp.* Anima in corpore est perfectior, quia habet omnia ad naturæ suæ conditionem requisita, utpote pars compositi: imo corpus post resurrectionem gloriosum animam nullo modo aggravat. III. Sic caro resurgeret, & non resurgeret, quia non foret eadem caro. Quæso, undenam resument illi suam carnem, quæ ab Antropophagis vorata, & in eorum substantiam conversa fuit? *Resp.* Non foret eadem caro statu & qualitate, bene vero substantia: sane homo in vita mutatur corpulentia, dignitate &c. & tamen manet idem substantia. Deinde in hypothesi carnis ab Antropophagis devoratæ, illa caro datur homini resurgenti, in quo primitus cœpit esse caro humana, juxta S. Augustinum *l.* 22. *de Civ. c.* 19. Vide cit. Athenagoram.

Qualia corpora resurgant? *Schol.* 2. Est de fide, quod in resurrectione anima resumat idem numero corpus, quod habuit in terris, uti patet ex citato Jobi textu: *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Et 1. *ad Cor.* 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Et Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. *c.* 1. definit: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant.* 2*do.* Communior est sententia, quod justi & improbi cum omnibus membris corporis, etiam iis, quibus in vita caruerunt, sine omni defectu resurgent; quia resurrectio est opus Dei particulariter operantis, quod est sine omni defectu. 3*tio.* Communiter docent Patres, homines resurrecturos in ea staturæ magnitudine, in eo robore & corporis compositione, quæ convenit ætati hominis perfectissimæ 33. vel 35. annorum. Item non omnes resurgentes erunt ejusdem staturæ, sed talis magnitudinis, quam habuerunt in termino augmenti, secluso tamen naturæ defectu: unde gigantes non resument corpora immoderatæ magnitudinis, nec pigmæi corpora immoderatæ parvitatis. Sexus tamen resurgentium manebit. Vid. dissert. Calmeti *de resurrect. mort.*

Judicium universale in fine mundi erit. §. 415. Postquam igitur in fine mundi ad sonitum tubæ mortui resurrexerint (§. 414.), *Judicium generale* celebrabitur, quando uno die, & in uno loco omnes simul omnium sæculorum homines ad Tribunal summi Judicis stabunt, & singuli omnibus spectantibus & audientibus sententiam in se latam excipient. Testatur hoc

1mo. S. Scriptura, *Joel.* 3. *v.* 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo.* Et *v.* 12. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Lutherus quidem hæc verba de Ecclesia nova interpretatur, quam vult designari nomine vallis Josaphat; tum quia in materiali valle Josaphat non possent omnes homines stare; tum quia nomen Josaphat sumitur appellative pro omni loco, ubi est Judicium Iehovæ. Verum bene notat D. Duhamel in *edit. Bibl.* licet hæc verba in sensu historico de ultione Domini ab inimicis Judæorum sumenda explicari possint; non obstat tamen, quin in sensu a Spiritu S. intento etiam de Judicio extremo prolata sint. Cætera, quæ de valle Josaphat objiciuntur, non labefactant Traditionem apud Catholicos receptam de extremo Judicio in hac valle celebrando; nam licet in illa sola omnes recipi non possent, in ea tamen & ejus circuitu recipi valent. Deinde cum Josaphat semper hic scribatur cum littera J initiali majori, erit nomen proprium; & suadet ratio congruentiæ, quod Christus in vicinia Jerusalem, ubi passus est, judicaturus sit. Rursus hoc universale Judicium in N. T. multoties prædicitur: *Matth.* 7. *v.* 22. *c.* 16. *v.* 27. *c.* 25. *v.* 31. *&c.* ubi apparatus hujus Judicii late describitur; *Joan.* 8. *v.* 28. *Act.* 1. *v.* 11. 1. *ad Thess.* 4. *v.* 15. *&c.* *2do.* Causæ hujus Judicii universalis celebrandi, sunt, ut ita infinita Dei Justitia & Misericordia manifestetur; læsa justorum fama coram toto mundo reparetur; & Divina Christi Majestas toti orbi innotescat.

Circumstantiæ Judicii.

Schol. Circumstantiæ hujus Judicii generalis, quas ex S. Scriptura novimus, erunt: *1mo.* Exercebitur a Christo visibiliter apparituro, & plena potestate judiciaria instructo: *Matth.* 16. *v.* 27. *Joan.* 5. *v.* 22. Licet enim potestas judicandi omnibus Personis SS. Trinitatis sit communis, præcipue tamen Filio Dei tribuitur, qui non solum ut Deus, sed etiam ut homo judicabit. *2do.* Ingens splendor, & variæ manifestiones Divinæ Majestatis, summique imperii eum circumfundent: *Matth.* 25. *Luc.* 9. *v.* 26. quo etiam spectat sonitus Tubæ, 1. *ad Thess.* 15. per quem Tubam vere sonantem, vel sonitum Tubæ similem, vel ingentia tonitrua Interpretes intelligunt. *3tio.* Judex subsistet in nubibus, 1. *ad Thess.* 4. *v.* 17. ut ab omnibus hominibus conspici possit. *4to.* Omnes Angeli Sancti, duce S. Michaele Archangelo, eum comitabuntur, *Matth.* 16. *v.* 27. ut gloriam Domini & Regis sui prædicent, *ad Eph.* 1. *v.* 21. *5to.* Mortui omnes per vocem tubæ excitati, & resurgentes in valle Josaphat con-

gregabuntur ante Tribunal Christi Judicis, & pii ab impiis separabuntur, *Matth.* 25. *v.* 31. pii ad dexteram Judicis, impii ad sinistram collocabuntur, 1. *ad Thess.* 4. *v.* 17. 6*to.* Apparebit signum S. Crucis, & manifesta erunt abscondita cordis, ita ut unicuique & bene & malefacta alterius pateant, *Matth.* 27. 7*timo.* Judex denique juxta cujusque merita vel demerita justissimam feret sententiam: pro bonis quidem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Pro impiis vero: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* 8*vo.* Habito Judicio mundus immutabitur; *Is.* 65. novi cœli & nova terra creanda dicitur. Causa quippe modernæ mundi dispositionis est conservatio & propagatio ac habitatio humani generis, quæ causa post extremum Judicium cessabit. Igne igitur hic mundus purgabitur. De hac innovatione fides nos docet, mundum ad suum exitum perventurum esse, esseque per flammas absumendum, *Ps.* 102. *v.* 26. & 2. *Petri* 3. *v.* 8. Item eum non esse in nihilum, sed in meliorem statum redigendum. Cætera, scilicet duratio mundi; natura & qualitates ignis, quo mundus conflagrabit; figura ejus futura, incerta sunt, de quibus vid. D. Calmet in diss. *de fine & statu mundi post Judicium.*

Signa Judicium præcedent. §. 416. Signa tamen nonnulla adventum Christi ad Judicium præcedent, quæ Christus prædixit, *Matth.* 24. *v.* 29. *Luc.* 21. *v.* 25. Quia tamen hæc signa partim ad excidium Jerosolymorum, partim ad adventum Christi in corpore suo, quod est Ecclesia, pertinent; ex iis Judicii tempus certo cognosci non potest. Unde S. Augustinus *ep.* 80. *de fine sæculi*, illud: *Vigilate, ne cum venerit, repente inveniat vos dormientes*, ad omnes pertinere docet.

Antichristus veniet. 2. Interim ante extremi Judicii diem *Antichristus* prius adveniet, qui innumeros seducet, Sanctos bello vexabit, Messiæ nomen & Dei cultum sibi usurpabit, contra quem Enoch & Elias pugnabunt, quique post breve tempus & imperium a Dei Verbo vel Spiritu vel ejus jussu interficietur. Indicat hæc omnia S. Scriptura. *Dan.* 7. *v.* 24. dicitur: *Alius consurget post eos decem Reges potentior prioribus, & sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret.* Quæ de Antichristo explicant S. Hieronymus, Theodoretus &c. *Matth.* 24. *v.* 4. 5. 11. 12. Christus ipse Antichristum describit. Et 2. *ad Thess.* 2. *v.* 3. dicitur: *Nisi prius revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur . . . tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus*

Jesus interficiet Spiritus oris sui... cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt. Apoc. 11. *v.* 7. Antichristus describitur nomine *bestiæ, quæ ascendit de abysso, & occidit duos testes, quæ faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.* Et *c.* 13. describit hanc bestiam, *habentem cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ. Draco dedit illi virtutem suam, & potestatem magnam... potestas facere menses quadraginta duos cum Sanctis, & vincere eos.* Porro de Henoch & Elia contra Antichristum prædicantibus habetur in *Apocalypsi c.* 11. *Ego dabo Spiritum meum duobus testibus, & prophetabunt diebus mille ducentis, amicti saccis.* Ubi nomine duorum testium omnes interpretes Henoch & Eliam intelligunt. Hæc de Antichristo S. Scriptura. Cætera, quæ de eo feruntur, pene omnia vel obscura sunt, vel incerta, de quibus vid. diss. D. Calmet *de Antichristo*.

§. 417. Regnum Millenarium Christi in terris, quod Judicium universale præcessurum dicitur, est omnino fictitium. Probatur 1*mo.* ex S. Scriptura, ubi *Matth.* 22. dicitur: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur.* Ergo regnum Christi non erit in voluptatibus carnalibus etiam moderatis. Item 1. *ad Thess.* 4. *v.* 16. dicitur: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ubi post adventum Christi non regnum Millenarium, sed sempiternum promittitur: quod etiam prædicitur *Luc.* 1. *v.* 33. *Regni ejus non erit finis;* quæ verba Concilium Constantinopolitanum Symbolo inseruit contra Apollinaristas Millenarios. Et S. Damasus in Concilio Romano a. 373. eamdem Millenariorum hæresim damnavit. 2*do.* Constat ex PP. qui hunc errorem oppugnarunt, uti Cajus apud Euseb. *l.* 3. *c.* 22. S. Dionysius Alex. *l. de promiss.* S. Hieronymus *ep. ad Hedib. q.* 2. 3*tio.* Ratio est: Sancti statim post mortem donantur visione Dei beatifica (§. 411.). Ergo regnum hoc Millenarium est omnino fictitium.

Non erit regnum millenarium in terris.

Schol. Cerinthus circa annum Christi 80. docuit, quod post resurrectionem mortuorum futurum sit in terris Christi regnum apud Jerosolymam restauratam mille annis ante Judicium universale, ubi justi inter voluptates carnis versabuntur, & præcepta ac sacrificia legis Mosai-

Millenariorum hæresis.

tæ restaurabuntur. Errorem hunc sequentes dicti sunt Chiliastæ seu Millenarii. Item S. Papias Episcopus Hierapolitanus Joannis Presbyteri, non vero Evangelistæ, discipulus, teste Eusebio *l.* 3. *hist. c. ult.* hos mille annos in terrestri Jerusalem explendos esse voluit in voluptatibus quidem corporis, sed moderatis & licitis sine Templi vel Legis antiquæ restauratione; cujus errorem nonnulli priorum sæculorum Patres sunt secuti, præsertim S. Irenæus *l.* 5. *cont. hær.* Vide Analys. PP. Pro regno hoc fictitio afferunt sequentes rationes. I. *Matth.* 19. *v.* 29. dicitur: *Omnis, qui reliquerit domum &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Sed pro hoc centuplo recipiendo nullum convenientius tempus, nisi post resurrectionem assignari potest. *Resp.* Juxta S. Hieronymum sensus est: *Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si centenario numero parvus numerus comparetur.* Scilicet gaudium in tribulatione, volupras in Charitate, & intima pax cordis. II. *Matth.* 5. *v.* 6. dicitur: *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed hæc satietas non erit, nisi in regno Millenario. *Resp.* Sermo est de spirituali fame & siti: ergo etiam de spirituali satietate in cœlis. III. *Luc.* 22. *v.* 29. dicit Christus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Resp.* Edere & bibere sumuntur metaphorice pro cœlestibus deliciis: solebat enim Christus carnali populo, sub figura nuptiarum cœli gaudia adumbrare. IV. *Apoc.* 20. S. Joannes hoc regnum Millenarium clare indicat: nam *v.* 2. ait, se vidisse Angelum, qui draconem, serpentem antiquum ligavit per mille annos: *v.* 4. animas decollatorum propter testimonium Jesu Christi vixisse, & regnasse cum Christo mille annis; cæteros vero mortuorum non vixisse, donec consummetur mille anni. *v.* 6. *Et hæc est resurrectio prima, beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Et *v.* 7. ait, post mille annos solvendum Satanam, ut plenam habeat hominibus nocendi facultatem. Et *v.* 12. ait, omnes mortuos resumptis corporibus ad Judicium esse vocandos. *Resp.* Per mille annos hic intelligitur tempus a morte Christi usque ad Antichristum, quo Sancti regnant cum Christo in cœlo per gloriam, in terra vero per miracula & cultum illis exhibitum. Mortui sunt reprobi, qui cum primæ resurrectionis per gratiam non sint facti participes, consequenter nec secundæ resurrectionis, scilicet æternæ

felicitatis participes erunt. Sacerdotes notant spirituale Sacerdotium laudis & gratiarum actionis. Denique elapso hoc tempore, solvetur Satanas, & Antichristus veniet, Sanctos oppugnabit, & resurget universa caro ad Judicium generale, ubi cuique pro meritis retribuetur, & justis erit secunda resurrectio, ac plena animæ & corporis felicitas; improbis vero secunda mors & damnatio.

§. 418. Absoluto itaque Judicio universali, non solum anima, sed etiam corpus in cœlum translatum æterna beatitudine & gloria donabitur (§. 404.). *Cœlum* igitur, seu *sedes Beatorum*, est locus, ubi beati cœlites versantur. De hoc Cœlo, quod Empyreum vocamus, constat nobis ex S. Scriptura, quod sit locus quidam corporalis & materialis, in quem Christus una cum corpore & anima ascendit, *Marc.* 16. *v.* 19. & locus omnibus deliciis plenus. *Cœlum quid?*

Schol. Cornelius a Lap. *c.* 5. *Matth. v.* 4. ait: In cœlo terra quædam est, at non crassa, sed subtilis, lucida & cœlestis. Ibi enim est paradisus rosarum, liliorum, gemmarum, omniumque deliciarum; at non terrestrium, sed cœlestium, quæ mire oculos, sensusque Beatorum oblectant: alioquin enim corpora sensusque Beatorum, quæ tam dura, imo martyria atrocia passa sunt in terra, carerent meritis suis oblectamentis, solæ quæ animæ eorum & mentes essent beatæ: quod est absurdum. Unde S. Joannes, *Apoc.* 21. & 22. vidit civitatem cœlestem in quadro positam, & fundamenta ejus constructa ex jaspide & omni lapide pretioso. Quia vero nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt eum, 1. *ad Cor.* 2. *v.* 9. de his disserere vix possumus. Faxit Deus, ut ad has Agni nuptias & nos aliquando vocari mereamur, ut inebriemur ab ubertate Domus Dei, & torrente voluptatis potemur in æternum.

U. I. O. G. D.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM LOCUPLETISSIMUS.

A

Abbatum *Jurisdictio unde?* 83. & seq.
Abrahæ *promissio futuri Messiæ facta fuit*. 296.
Adamus. *An corpus Adami androgynum fuerit, an giganteum?* 260. & seq. *Omnium hominum primus fuit*. 261. *Solv. Object. Præadamitarum*. ibid. *Quodnam primum peccatum Adami fuerit?* 275. *Per peccatum justitiam originalem perdidit*. 286. & seq. *De peccato suo pœnitens æternam salutem obtinuit*. 290. *Adamo revelata est Incarnatio*. 295.
Adulteræ *Historia apud Joannem est authentica & canonica*. 17.
Aggæi *Prophetia de Messia*. 302.
Amor Dei *quid?* 167.
Angelus. *Etymon vocis Angeli*. 213. *Angelus quid?* 214. *Dantur Angeli*. ibid. *An ratione naturali Angelorum existentia demonstretur?* ibid. *Angeli a Deo creati sunt*. ibid. *Quando creati sint?* 215. *Sunt Spiritus*. 216. *Sunt incorruptibiles ex natura sua*. 217. *Intellectu & voluntate gaudent*. ibid. *Quid & quomodo cognoscant?* ibid. & seq. *Sunt hominibus perfectiores*. 218. *Multa ignorant*. 219. *Possunt in cognitione crescere*. 220. *Errare possunt*. ibid. *Libera voluntate gaudent*. ibid. *Amant se*. ibid. *Immobiliter objecto adhærent*. 221. *Affectus habent*. ibid. *In corpora agere possunt: quomodo id fiat?* ibid. *Potentia magna gaudent*. 222. *Mirabilia efficere possunt*. ibid. *Hominibus visibiliter apparere possunt*. ibid. *Non sunt omnipotentes*. 223. *De uno in alium locum se movere possunt*. ibid. *Mortuos suscitare non possunt*. ibid. *Quomodo sint in loco?* 224. *Numerus & Ordo Angelorum*. ibid. *Hierarchiæ*. ibid. *Proprietates Ordinum Angelorum*. 225. *An omnes specie differant?* 226. *Sibi colloquuntur*. ibid. *Quomodo unus alterum illuminet?* ibid. *An in rectitudine intellectus & voluntatis creati sint?* 227. *An in gratia sanctificante?* ibid. *Angeli boni beatitudinem meruerunt, & quomodo?* 241. & seq. *Intuitive Deum vident*. 242. *Non peccant, nec peccare possunt*. ibid. *Deum laudant*. 243. *De pœnitentia peccatorum lætantur; homines custodiunt*. ibid. & seq. *Singuli homines suum Angelum custodem habent*. 244. *An omnium Ordinum Angeli a Deo mittantur?* ibid. & seq. *Ministeria sanctorum An-*

gelorum custodum. 245. *Ex revelatione Mysterium Incarnationis agnovere*. 294.

Anima *rationalis non est particula Dei*. 255. *Animæ rationales non migrant de uno corpore in aliud*. ibid. *Non propagantur ex semine*. 256. *Non sunt creatæ extra corpus*. ibid. *A Deo creantur*. 257. *Sunt spirituales*. ibid. *& immortales*. 258.

Annihilatio *quid?* 265. *Solus Deus creaturas annihilare potest*. ibid.

Antichristus *veniet*. 514. & seq.

Antropomorphitarum *hæresis*. 105.

Apollinaristarum *hæresis*. 512.

Arii *hæresis*, *& systema*. 173. & seq.

Articuli *fidei*. *Divisio in articulos fundamentales & non fundamentales nulla est*. 3.

Aseitas *est gradus essentiæ Dei constitutivus*. 101.

Atheismus *quid?* 96. *Athei quotuplices?* ibid. *Andentur Athei?* 100.

Attributa *Divina ab essentia Divina realiter non distinguuntur*. 108. *Essentia tamen sine attributis, & attributum unum sine alio concipi potest*. 109. *Quæ distinctio inter essentiam & attributa?* 111.

Aureolæ *Martyrum*, *Doctorum*, *& Virginum quid?* 499. & seq.

Azariæ *Oratio est canonica*. 17.

B

Baji *systema*. 390. & seq.

Baruch *Liber est canonicus*. 16. & seq.

Beatitudines *quæ & quot?* 445.

Beatitudo *quid & quotuplex?* 483. *Beatitudo hominis objectiva pro omni statu est solus Deus*. ibid. & seq. *Deus est Beatitudo hominis naturalis*. 484. *Perfecta Beatitudo in hac vita non datur*. ibid. & seq. *Imperfecta tamen habetur*. 485. *Quæ consistit in actibus Charitatis*. ibid. *Datur perfecta Beatitudo post hanc vitam*. ibid. & seq. *Beati intuitive Deum vident*. 486. *An Deus per sui ideam a Beatis videatur?* 488. *An aliquibus in vita intuitiva Dei visio concessa fuerit?* ibid. & seq. *An Enoch & Elias visione beatifica fruantur?* 490. *An possibilitas visionis intuitivæ ratione naturali demonstretur?* ibid. & seq. *Beati ad videndum Deum egent lumine gloriæ*. 491. *Beati vident ea, quæ sunt formaliter in Deo*. 492. & seq. *Quomodo creaturas in Deo videant?* 493. *Beati sunt impeccabiles*. 494. & seq. *An ab intrinseco?* 495. *Summa voluptate perfunduntur*. 496. *In quo Beatitudo formalis essentialiter consistat?* ibid. & seq. *Beatitudo est æterna*. 498. *Beati Deum lau-*

dant. ibid. *Non est æqualis in omnibus visio beatifica*. ibid. *Causa hujus inæqualitatis*. 499.
Belis *Historia est canonica & authentica*. 17.
Bonitas *quid?* 160. *Deus est summe bonus*. ibid. *Indicia Bonitatis Dei*. ibid. *Deus cuivis creaturæ tantum boni afferre vult, quantum capere potest*. ibid. & seq. *Cur Deus impiis bona faciat?* 161.

C

Cabala *quid?* 39.
Calvini *hæresis & systema de Prædestinatione*. 152.
Canon *Hebræorum Librorum S. Scripturæ*. 18. & seq. *Canon Catholicorum*. 20. & seq. *Canon Acatholicorum*. 21.
Canonistarum *auctoritas*. 43.
Capitula *tria merito damnata sunt*. 334. & seq.
Caput *ultimum S. Marci est authenticum, & canonicum*. 17.
Carnium *esus an fuisset in statu innocentiæ?* 270.
Cerinthi *hæresis*. 173.
Cognitio *Dei est necessaria, & æterna*. 123. & seq.
Communicatio *idiomatum in concreto in Christo admitti debet*. 347. *Regulæ pro communicatione idiomatum*. ibid. & seq.
Concilium *quid?* 56. *Protestantium definitio*. ibid. *Concilia sunt Divinæ institutionis*. ibid. *Concilium quotuplex?* ibid. & seq. *Convocatio Concilii generalis ad Papam spectat*. 57. & seq. *Non vero ad Principes laicos, quorum tamen potestas aliquo modo concurrit*. 58. & seq. *Papæ etiam est, vel per se, vel per suos Legatos Concilio generali præsidere*. 60. *Quis Concilia confirmet?* 61. *Jus suffragii decisivi quinam habeant?* ibid. *Concilium Generale est infallibilis fidei controversiarum judex*. 62. & seq. *Regulæ de auctoritate Decretorum Conc.* 65. *Tridentinum a quibus receptum?* ibid. & seq.
Concursus *Dei ad actiones creaturarum*. 265. & seq.
Conservatio *quid?* 264. *Deus creaturas conservat*. 265.
Corpora *mortuorum resurgent*. 510. & seq. *Qualia corpora resurgent?* 512.
Creatura *cur sit peccabilis?* 137.
S. Cyrillus *ab omni labe hæresis immunis est*. 333. & seq.

D

Damnatorum *supplicia sunt æterna*. 232.
Danieli *promissio futuri Messiæ facta est*. 298. *Exordium 70. Hebdomadarum. Sententia Marshami*. 300. *Harduini*. ibid. *PP. Berti, Graveson*. 301. & seq.

Dæmones. *Quodnam primum eorum peccatum fuerit?* 228. *Ex quo provenerit?* ibid. *Per peccatum statum gloriæ perdiderunt; & in Infernum detrusi sunt.* 229. *Et quidem statim post peccatum.* ibid. *Nonnulli dæmones sunt in aere.* 230. *Pœnam damni & sensus sustinent.* ibid. *Vero igne materiali torquentur.* ibid. *An sit hoc de fide, & quomodo fiat?* 231. *An etiam in aere igne torqueantur?* 232. *Cur Deus peccantibus Angelis non pepercerit?* 234. *Dæmones homines infestant.* ibid. *Hominum corpora possidere possunt.* 235. *Signa possessionis diabolicæ.* 236. *Possunt somnia suggerere, & oracula fundere.* ibid. & seq. *Item morbis corpus affligere, agere in aerem & corpora.* 257. & seq. *Apparere in forma visibili.* 238. *Quid dæmon possit?* 241. *An Angelus malus singulis hominibus delegatus?* 245. *An Mysterium Incarnationis cognoverint?* 294.

Decreta *Dei sunt æterna & immutabilia.* 139.

Deistarum *systema.* 5. *Eorum objectiones solvuntur.* 6. & seq.

Deus *est ens a se.* 94. *Deus existit.* 95. & seq. *Existentia Dei a priori demonstrari nequit.* 100. *Existit per essentiam suam necessario.* 102. *Est immutabilis.* ibid. *Est æternus.* 103. *Est primus & ultimus.* ibid. *Est ens simplex & Spiritus.* 104. *Non est corporeus.* ibid. *Est invisibilis oculis corporeis.* 105. *An S. Augustinus Deum corporaliter videri posse docuerit?* 106. *Deus per nullam imaginem vere repræsentari potest.* ibid. & seq. *Bene vero per figuras hieroglyphicas.* 107. *Est incorruptibilis.* ibid. *Non datur in Deo compositio.* ibid. *Quidqud est in Deo, Deus est.* ibid. *Est independens.* 111. *& infinitus.* ibid. *Quæ perfectiones sint in Deo?* 112. *Est incomprehensibilis.* ibid. *Immensus, & omnipræsens.* 113. *Deus unus est.* 114. & seq. *Intellectu & voluntate præditus.* 120. & seq. *Omniscius.* 122. *Cognoscit se, omnes res extra se, cogitationes occultas, bona & mala, singularia minima.* ibid. & seq. *Præterita, præsentia, & futura.* 123. *Deus seipsum comprehendit.* 124. *Dantur in Deo ideæ.* 125. & seq. *An Deus creaturas immediate in se cognoscat?* 126. *Quomodo & quare Deus futura cognoscat?* ibid. & seq. *Deus infallibiliter omnia præscit.* 127. *Præscientia Dei non lædit hominis libertatem.* ibid. & seq. *In quo medio futura libera absoluta cognoscat?* 128. *Et in quo medio futura conditionata.* 129. *Nec sensus, nec imaginatio in Deum cadit.* ibid. & seq. *Nec reminiscentia, nec memoria, nec oblivio.* 130. & seq. *Deus mirari nequit.* ibid. *Datur in Deo suprema ratio, & voluntas.* ibid. *Deus est liber circa creaturas.* 137. *An Deus ab æterno actiones*

nostras liberas prædefiniat? 139. & seq. *Quomodo libertas salvetur?* 142. *Deus est summe sapiens.* 155. & seq. *In Deo non est ambitio.* 157. *Est omnipotens.* 158. *Potest facere miracula.* 159. & seq. *Est summe bonus* 160. *Beneficus.* 161. *Et misericors.* 162. *Est infinite justus.* ibid. & seq. *Finis Dei in pœnis infligendis.* 163. *Est longanimus, & cur pœnam differat?* ibid. *Summe verax est, fidelis & severus.* 164. *Essentialiter sanctus.* 165. *Est sibi sufficientissimus.* ibid. & seq. *Summe beatus.* 166. *Gloria & Majestas Dei.* ibid. *Affectus proprie non habet.* ibid. & seq. *Deus est substantia singularis, completa, communicabilis.* 202. & seq. *Non est suppositum, nec unica Persona.* 203. *Absoluta in Deo sunt communia.* 207.

Doctor *Ecclesiæ, & in Ecclesia quis?* 41.

Dona *Spiritus Sancti quid?* 442. & seq. *Dantur dona Spiritus Sancti numero septem.* 443. *An dona cum gratia infundantur?* 444.

Dotes *corporis gloriosi.* 495. & seq.

E

Ecclesia *quid?* 44. *Systema Protestantium de Ecclesia.* ibid. & seq. *Notæ veræ Ecclesiæ.* 45. *Notæ Ecclesiæ juxta Protestantes.* 46. *Vera Ecclesia merito Romana dicitur.* 53. *Ecclesia Christi est visibilis.* ibid. & seq. *Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec est defectura.* 55. & seq. *Ecclesia est infallibilis controversiarum fidei judex.* 62. & seq. *Est etiam infallibilis in canonizatione Sanctorum.* 63. & seq. *Ecclesia dispersa est infallibilis.* 66. *An Ecclesia in factis dogmaticis sit infallibilis?* 67. & seq. *An ab Ecclesia dispersa ad Concilium Generale appellare liceat?* 70. & seq. *Regimen Ecclesiæ est Monarchicum Aristocratia temperatum.* 80. *Membra Ecclesiæ quænam?* 84. & seq.

Ecclesiastici *Liber est canonicus.* 17.

Edelmanni *systema.* 99.

Elipandi & Felicis *error.* 350.

Episcopi *Jurisdictionem suam habent immediate a Christo.* 81. & seq.

Esther *Liber est canonicus.* 16.

Evæ *creatio.* 259. *Quandonam Eva, & cur creata sit?* 260.

Eutychetis *hæresis & systema.* 330.

F

Fatalistarum *systema.* 97.

Fides *sola non salvat.* 464. & seq.

Filius *cur Verbum dicatur?* 168. & seq. *Filius est Deus.* 170. & seq. *Est Patri consubstantialis.* 171. & seq. *Divinitas Verbi constanter a Patribus asserta fuit.*

175. *Per quem actum intelligendi Filius generetur?* 188. & seq. *Ex quarum rerum cognitione generetur?* 189. & seq.

Finis *quid?* 481. *Divisio finis*. ibid. *Finis simpliciter ultimus*, 482. *Finis ultimus multiplex esse nequit*. ibid. *Solus Deus est finis ultimus hominis*. ibid. & seq.

Fœmina *an sit verus homo?* 260.

Fructus *Spiritus Sancti quid?* 445.

G

Gemarra *quid?* 39.

Genealogia *Christi expenditur*. *Cur S. Matthæus tres Reges omiserit?* 316. *Quomodo* v. 11. Matth. 1. *cum* 1. Par. 3. v. 15. *concilietur?* ibid. & seq. *Difficultas* v. 12. *solvitur*. 317. *Cur S. Matthæus Genealogiam S. Josephi texat?* ibid. & seq. *Quomodo S. Matthæus cum S. Luca in Genealogia concilietur?* 318. *An Cainan a S. Luca additus fuerit?* 319.

Generalium *Jurisdictio unde?* 83. & seq.

Gilberti Porretani *opinio*. 110.

Gotheschalci *Doctrina*. 367. & seq.

Gratiæ *definitio*. 379. *Divisio gratiæ*. 380. & seq. *Dantur novem gratiæ gratis datæ*. 381. & seq. *Differentia inter gratias gratis datas, & gratum facientes*. 382. *Gratia actualis ad fidem, & ejus initium necessaria est*. ibid. & seq. *An homo lapsus veritates naturales sine gratia cognoscere possit?* 386. & seq. *Homo sine gratia bonum morale supernaturale nec velle, nec perficere potest*. 387. & seq. *Qualis gratia requiratur, & quid illi & libero arbitrio tribuendum?* 388. & seq. *Aliqua tamen opera moraliter bona homo sine gratia facere potest*. 389. & seq. *Peccator etiam bonum opus moraliter perficere potest*. 392. & seq. *An sine gratia homo possit Deum amare super omnia amore naturali?* 395. & seq. *An sine gratia possit omnia præcepta Legis naturæ servare?* 396. & seq. *An homo sine gratia mortalia peccata vitare, & tentationes vincere possit?* 400. *Homo sine gratia a peccato resurgere nequit*. ibid. & seq. *An sine gratia possit se homo disponere ad gratiam?* ibid. *Quomodo intelligatur illud: facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam?* 402. *Justus sine speciali gratia in bono usque ad finem vitæ perseverare nequit*. 403. *Imo nec parvulis hoc donum deest*. ibid. & seq. *An justus sine speciali gratia diu in bono perseverare possit?* 404. *Gratia sufficiens quid?* ibid. & seq. *Alicui gratiæ internæ resistitur*. 409. *Datur gratia vere sufficiens*. ibid. & seq. *Omnibus justis datur gratia sufficiens*. 412. & seq. *Gratia sufficiens omnibus vel præparatur, vel datur*. 415. & seq. *An Infideli-*

bus dentur gratiæ sufficientes? 416. & seq. *An excæcatis?* 417. & seq. *An omnibus infantibus?* 418. & seq. *Gratia operans & cooperans quid?* 420. *Gratia efficax quid?* ibid. *Datur gratia efficax.* ibid. *Efficacia gratiæ non repetitur a delectatione necessitante.* ibid. & seq. *Systema Molinæ.* 422. & seq. *Congruistarum systema.* 423. & seq. *An gratia sit efficax ab intrinseco?* 425. *Unde hæc intrinseca efficacia gratiæ?* ibid. & seq. *An Adam in statu innocentiæ ad perseverandum gratia efficaci eguerit?* 430. & seq. *Gratia habitualis quid? & varia ejus nomina.* 432. & seq. *Datur gratia sanctificans.* 433. *Est quid animæ inhærens.* ibid. *Quid sit donum inhærens gratiæ sanctificantis?* 436. & seq. *An permanenter inhæreat, & hoc sit de fide?* 437. & seq. *An sit accidens absolutum?* 438. & seq. *An a Charitate realiter distinguatur?* 440. *Nullus sine revelatione potest esse certus de sua gratia.* 460. & seq. *Justus a gratia excidere potest.* 465.

Græci *Textus auctoritas.* 28. & seq.

Gregorii *Palamæ opinio.* 110.

Gubernatio *quid?* 157. *Deus totum mundum gubernat.* ibid. *Quid in gubernatione Dei attendendum?* 158.

H

Hebraici *textus auctoritas.* 24. & seq.

Historicorum *auctoritas.* 44.

Homo *corpore & anima constat.* 259. *Idealistæ refutantur.* ibid. *Creatus fuit cum voluntate sancta, & in justitia originali.* 268. & seq. *Instructus fuit appetitu sensitivo.* ibid. & seq. *Et habuit super omnia animalia dominium.* 270. *In statu innocentiæ erat immortalis, quæ immortalitas erat gratiæ beneficium.* ibid. & seq. *Elevatus est ad finem supernaturalem.* 271. *Præcepit illi Deus, ne de fructu vetito comederet.* 273. *Hoc præceptum suadente diabolo transgressus est.* ibid. & seq.

Honorius *Papa non adhæsit Monothelitis.* 345. & seq. *Num a sexta Synodo excommunicatus sit?* 346.

Hosius *post lapsum iterum resipuit.* 178.

Huss. *Ejus hæresis.* 128.

Hymni, Te Deum laudamus, *quis auctor?* 178. & seq.

Hymnus *trium puerorum est authenticus.* 17.

I

Jacobo *promissio futuri Messiæ facta fuit.* 296. *Quid nomine Judæ in vaticinio Jacobi intelligatur?* 297. & seq.

Jansenismus, *ejusque systema.* 406. & seq.

Idea *Dei an nobis innata?* 100.

Idololatriæ *origo.* 115. & seq.

Jesus Christus *est verus Messias*. 308. *Annuntiatio & Incarnatio Filii Dei*. 309. & seq. *Ex Virgine conceptus & natus est*. 310. *Conceptio ejus miraculosa fuit*. 311. *Quomodo facta sit?* ibid. *Corpus Christi successive productum non fuit*. ibid. & seq. *Animam rationalem habuit*. 312. *Humanitas Christi est opus Sanctissimæ Trinitatis*. ibid. *Quo anno orbis conditi & quo die Christus natus sit?* 313. *Ex semine David ortus fuit*. 315. & seq. *Verus homo factus est*. 320. *An Christus ante Incarnationem ex Maria aliud corpus habuerit?* 322. *Imperfectiones humanas naturales assumpsit*. 323. *An ex necessitate naturæ doloribus obnoxius fuerit?* 324. *Non assumpsit imperfectiones morales*. 325. *Nec peccavit, nec peccare potuit*. ibid. & seq. *Infirmitates personales non assumpsit*. 326. *An formosus fuerit?* ibid. *Anima Christi perfectissimam scientiam habuit*. ibid. *Christus beatifica visione fruebatur; non tamen Deum comprehendit*. 327. *Gratia & dona Christi*. 328. *Duæ in Christo naturæ sunt*. 329. *In Christo datur unio personalis*. 336. *An Christus sit compositus?* ibid. *Duplex in Christo est voluntas & operatio*. 342. *An dici possit creatura?* 348. *Christus non est tantum Filius Dei adoptivus*. 349. & seq. *Ne quidem secundum humanam naturam*. 350. & seq. *Christus secundum humanitatem non est ubique*. 351. & seq. *Humanitas Christi unita Verbo adoranda est*. 353. *Officium Christi quotuplex?* 357. *Vere pro nobis satisfecit*. ibid. & seq. *Est verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*. 368. & seq. *Verus quoque Mediator quatenus homo Deus*. 370. *Cur Christus oraverit?* 371. *Quando inceperit Christus officium Doctoris?* ibid. & seq. *An Epistola Christi ad Abgarum sit genuina?* 372. *Est Rex*. 373. *Quotuplex ejus regnum?* ibid. *Est caput Ecclesiæ, hominum, & Angelorum*. 374. *Est Legislator, & Judex vivorum ac mortuorum*. 375. *An temporale regnum habuerit?* ibid. & seq. *Tempus crucifixionis Christi*. 376. *Anima Christi vere ad inferos descendit*. 377. *Calvinistarum & Lutheranorum opinio*. ibid. & seq. *Exaltatio Christi*. 378. *Solvuntur objectiones contra Resurrectionem Christi*. ibid. & seq.

Ignorantia *invincibilis Dei non datur*. 100. & seq.

Incarnatio *quid?* 291. *Est possibilis*. 292. *Est conveniens Deo*. 293. *Possibilitas Incarnationis ratione naturali demonstrari nequit*. ibid. & seq. *Quibus revelata fuerit?* 294. & seq. *Non fuit absolute necessaria*. 353. & seq. *An Deus potuerit hominem sine Incarnatione salvare?* 355. *Motivum Incarnationis*. ibid. *An Patres veteris*

Legis Incarnationem meruerint? 357. *An Beatissima Virgo?* ibid.
Infantes *an pro peccato originali pœnam sensus patiantur.?* 289. & seq.
Infernus *est locus materialis*. 232.
Joachimi *Abbatis opinio*. 110.
Joannes *Antiochenus Nestorii errori non adhæsit*. 335. & seq.
Josephi *Judæi testimonium de Christo genuinum est*. 14.
Ira *Dei quid?* 167.
Judaismi *moderni systema*. 305.
Judicium *particulare statim post mortem erit*. 500. *Et justi inventi statim beatitudinem consequentur*. ibid. & seq. *An Joannes XXII. contrarium definiverit?* 503. & seq.
Judicium *universale in fine mundi erit*. 512. & seq. *Circumstantiæ hujus Judicii*. 513. & seq. *Signa Judicium præcedent*. 514.
Judith *Liber est canonicus*. 16.
Justificatio *quid?* 445. & seq. *In justificatione vere delentur peccata*. 446. & seq. *Solv. Object. Lutheranorum*. 447. & seq. *Justificatio non fit per meram imputationem justitiæ Christi*. 448. & seq. *An homo absolute per favorem Dei extrinsecum justificari possit?* 450. *Ad justificationem in parvulis non requiritur dispositio, bene vero in adultis*. 451. & seq. *Lutheranorum sententia*. 452. *An justificatio sit successiva?* 453. *Fides ad justificationem requisita non est fiducia*. ibid. & seq. *Ordo salutis juxta Lutheranos*. 454. & seq. *Ordo salutis juxta Catholicos*. 456. & seq. *Sola fides non justificat*. 458. *Solv. Object. Lutheranorum*. 459.
Justi *veteris Legis an donati sint visione Beatifica?* 504. et seq.

L

Lætitia *in Deo quid?* 168.
Liberius *Papa an a fide lapsus fuerit?* 176. & seq.
Libertas *Dei in quonam consistat?* 137. & seq.
Librorum *S. Scripturæ novi Testamenti Canonicitas vindicatur*. 17. & seq.
Lingua *primæva quænam fuerit?* 267.
Lumen *gloriæ quid? Illo Beati egent ad videndum Deum*. 491. & seq.
Lunicolæ *num dentur?* 254.
Lutheri *hæresis & systema*. 434. & seq. *Doctrina Lutheranorum circa gratiam justificantem*. 435. & seq.

M

Macedonii *hæresis*. 180. & seq.
Machabæorum *Libri sunt canonici*. 17.
Magia *diabolica est possibilis*. 238. *An detur?* 239.
Manichæorum *hæresis & systema*. 117. & seq.
Maria *sine labe originali concepta fuit*. 282. & seq. *Debitum tamen proximum illud contrahendi habuit.* 285. *An liceat votum sanguinarium pro tuenda Immaculata Conceptione B. V.?* 286. *Maria Virgo post partum*. 315. *Parentes B. V.* 320. *Recte dicitur Deipara*. 340.
Masora *quid?* 39.
Meritum *quid?* 474. *Meritum de condigno & de congruo*. ibid. *An ad meritum requiratur promissio Dei?* ibid. *An opera nostra sint de condigno meritoria?* 475. & seq. *An ad meritum de condigno requiratur influxus charitatis?* 476. & seq. *Primam gratiam de condigno nemo mereri potest; bene vero de congruo primam gratiam habitualem*. 477. & seq. *Homo de condigno augmentum gratiæ mereri potest; non tamen primam gloriam, bene vero secundam*. 478. & seq. *Nullus de condigno reparationem post lapsum mereri potest, nec perseverantiam finalem*. 479. *Nemo de congruo infallibiliter reparationem post lapsum meretur*. 480. *Justus bonum perseverantiæ infallibiliter mereri nequit*. ibid. *Justus mereri potest bona temporalia*. 481.
Messias *promissus jam venit*. 303. & seq. *Charactere Messiæ*. 306. & seq. *Jesus Nazarenus est verus Messias*. 308. *Vid.* Jesus Christus.
Methodus *docendi veritates fidei*. 88. & seq.
Miracula. *Deistæ varias miraculi definitiones confinxere, quæ & afferuntur*. 12. *Quænam vera Miraculi definitio?* ibid. *Solvuntur Object. incredulorum contra miracula*. ibid. & seq.
Mischna *quid?* 58.
Missio *quid & quotuplex?* 210. *Datur in Divinis*. ibid.
Molinæ *systema circa efficaciam Gratiæ*. 422. & seq.
Monothelitarum *hæresis*. 343. & seq.
Mors *omnibus hominibus est destinata*. 288. *An aliqui non sint morituri?* ibid.
Mundus. *Deus mundum ex nihilo creavit*. 246. *Intelligendo & volendo mundum creavit*. ibid. & seq. *Libere & in tempore*. ibid. *An ab æterno creare potuerit?* 248. *Historia creationis mundi ex l. 2. Moysis peti debet*. ibid. & seq. *Ante hunc mundum nec alii mundi fuerunt, nec modo sunt*. 250. *Partes Mundi successive creatæ sunt*. ibid. *Sententia S. Augustini de diebus Angelicis*. ibid. & seq. *Quo anni tempore & die mundus*

creatus sit? 251. *Opera sex dierum*. ibid. & seq. *Deus mundum bonum creavit; perfectiorem tamen absolute producere posset*. 262. *De mundo optimo*. 263.

N

Nazarethanæ Domus *translatio*. 514. & seq.

Nestorii *hæresis*, *&* *ejus systema*. 532. & seq. *Juste damnatus fuit in Concilio Ephesino*. 533.

Notæ *veræ Ecclesiæ*. 45. *Notæ Ecclesiæ juxta Protestantes*. 46. *Prima nota veræ Ecclesiæ est Unitas* ibid. & seq. *Unitas juxta Protestantes*. 47. *Secunda nota Sanctitas*. ibid. & seq. *Tertia*, *ut sit Catholica*. 48. *Quando Symbolo Apostolorum addita vox* Catholica? ibid. *Catholicum quid juxta Protestantes?* ibid. & seq. *Quarta nota est*, *ut sit Apostolica*. 49. *Apostolica successio an requiratur?* ibid. *Notæ veræ Ecclesiæ conveniunt soli Romano-Catholicæ*. ibid. & seq. *An notæ veræ Ecclesiæ aliis Sectis conveniant?* 51. & seq.

Notio *quid sit*, *&* *quot sint*, *&* *num in Divinis recte ponantur?* 209. & seq.

O

Odium *Dei quid?* 167.

Omnipotentia *quid?* 158. *Deus est omnipotens*. ibid. *Deus per omnipotentiam omnia non repugnantia facere potest*. ibid. & seq. *Deus potest plura facere*, *quam quæ fecit*, *&* *meliora*. 159.

Ὁμοῦσια. *Quid hæc vox denotet?* 183. & seq.

Opera *bona sunt necessaria ad salutem*. 465. *Opera bona dantur*. 466. & seq. *Dantur opera supererogatoria*. 468. *Opera bona sunt meritoria vitæ æternæ*. 469. *Licitum est intuitu æternæ mercedis operari*. 471. & seq. *Requisita ad opus meritorium*. 472. & seq. *An debeat opus esse supererogatorium?* 473.

P

Pantheismus *quid?* 97.

Papæ *est convocare Concilium Generale*. 57. *Ac eidem per se*, *vel per suos Legatos præsidere*. 60. *Papa succedit S. Petro in Primatu*, *&* *est caput Ecclesiæ*. 73. & seq. *Solv. Object. Protestantium*. 74. & seq. *Prærogativæ Primatus Papæ jure divino*. 76. *Privilegia Papæ secundaria*, *&* *a Summis Pontificibus sibi reservata*. ibid. & seq. *Privilegia apud Catholicos controversa*. 77. *Supremus Episcopatus Romano jure divino annexus est*. 79. & seq. *An sit de fide*, *Papam modernum esse legitimum S. Petri Successorem?* 80.

Paradisi *locus*. 253.

Parochi *sunt institutionis Divinæ*. 82. & seq. *Jurisdictio Parochorum est immediate a Christo*. 83.

Pater *in Divinis est Deus*. 169. *Generavit Filium*.

186. *Pater intelligendo seipsum generat Filium.* 188. & seq. *Generatio hæc est necessaria, æterna, immanens, perfectissima.* 190. *Pater essentiam Divinam etiam quoad modum habendi habet a se.* 197. & seq. *Quomodo sit Principium Trinitatis?* 198. *Ratione ordinis in subsistendo in Divinitate primus est Pater.* ibid.

Patres Ariminenses *an a fide defecerint?* 178.

Patrum *auctoritas.* 41. *Patres Ecclesiæ qui?* ibid. *Quomodo probent Patres?* 42. *Catalogus Patrum famosiorum.* ibid. & seq.

Pauli Samosateni *hæresis.* 173.

Peccatum *originale quid?* 276. *In posteros Adæ traducitur.* ibid. & seq. *Solv. Object. Pelagii.* 278. *Peccatum originale non est substantia animæ.* 279. & seq. *Nec concupiscentia.* 280. *Solv. Object. Lutheri.* ibid. *In quo consistat essentia peccati originalis?* 281. *Quomodo traducatur?* ibid. & seq. *Omnes homines excepta B. V. originale peccatum contrahunt.* 284. *Pœnæ peccati originalis.* 287. *Pœnæ peccati originalis post mortem.* 289.

Pelagii *hæresis & systema.* 384.

Personæ *Divinæ eamdem numero Divinam essentiam habent.* 181. *Solv. Object. Socinianorum.* 182. & seq. *In tribus Divinis Personis non datur ordo perfectionis, nec virtutis agendi ad extra, nec temporis, nec dignitatis.* 198. & seq. *Sunt realiter a se distinctæ.* 199. & seq. *Solv. Object. Sabellianorum.* 200. & seq.

Petri Fullonis *hæresis.* 348. & seq.

S. Petrus *Caput Ecclesiæ a Christo constitutus fuit.* 71. & seq. *Error duo capita Ecclesiæ statuens.* 73. *S. Petrus Romam venit, ibique sedem fixit.* 78. & seq.

Phantasiastæ *qui?* 321. & seq.

Philosophorum *auctoritas.* 43.

Pœnitentia *in Deo quid?* 167.

Principia *veritates revelatas cognoscendi.* 7.

Principia *duo summa non dantur.* 117.

Prædestinatio *quid, & quotuplex?* 142. & seq. *Prædestinatio datur.* 143. *Soli Prædestinati salvantur.* ibid. *Catharini opinio.* 144. *Prædestinatio est certa & infallibilis.* ibid. *Nullus de sua Prædestinatione certus esse potest.* 145. *Solv. Object. Calvinistarum.* ibid. *Signa Prædestinationis.* ibid. *Prædestinatorum numerus est a Deo determinatus.* ibid. *An multi sint prædestinati?* 146. *Causa motiva Prædestinationis.* ibid. *An sit mere gratuita?* ibid. & seq. *Effectus Prædestinationis.* 150. & seq.

Prædicatio *quomodo fiat in materia Trinitatis?* 196. & seq.

Processio *quid?* 184. *Datur in Deo vera Processio.* 185. *Processiones Divinæ sunt veræ actiones.* ibid. & seq. *Duplex datur in Deo Processio.* 186.

Propositio *hæretica quæ?* 86. *Erronea, hæresi proxima, hæresim sapiens, de hæresi suspecta, sapiens errorem, errori proxima.* 87. *male sonans, piarum aurium offensiva, temeraria, scandalosa, seditiosa, schismatica, blasphema.* 88. *Ad quem censura Propositionum spectet?* ibid. *Modi damnandi Propositiones dogmaticas.* ibid.

Providentia *quid?* 266. *Deus providet creaturis.* ibid. *Providentia quotuplex?* ibid. *Specialem Providentiam Deus erga hominem exercet.* 267.

Purgatorium *datur.* 505. & seq. *Solv. Object. Lutheranorum.* 506. & seq. *Animæ Purgatorii fidelium precibus juvari possunt.* 507. & seq. *Locus, pœna, duratio Purgatorii,* 510.

Q

Quesnelli *errores.* 409.

Quintinistæ *qui, & quodnam eorum systema?* 9. & seq.

R

Rationis *humanæ usus in Theologia.* 89. & seq.

Regimen *Ecclesiæ est Monarchicum Aristocratia temperatum.* 80.

Regnum *millenarium non erit in terris.* 515. *Millenariorum hæresis.* ibid. & seq.

Regulæ *pro sensu litterali S. Scripturæ.* 56. & seq. *Regulæ de auctoritate Decretorum Conciliarium.* 65.

Relationes *reales dantur in Deo.* 206. & seq.

Reprobatio *quid?* 151. *Reprobatio datur.* ibid. *Reprobatio positiva est ex prævisis demeritis.* ibid. & seq. *Motivum reprobationis negativæ an ante prævisa demerita?* 153. & seq. *An originale peccatum sit motivum reprobationis?* 155.

Revelationis *necessitas.* 3. & seq. *Systema Deistarum,* 5. *Principia veritates revelatas cognoscendi.* 7.

Richerii *error.* 77.

S

Sabellianorum *hæresis.* 185.

Sanctitas *quid?* 165. *Deus essentialiter sanctus est.* ib.

Sanguis *triduo Passionis effusus an Divinitati unitus manserit?* 537. & seq. *An particulæ Sanguinis in nonnullis Ecclesiis asservatæ sint verus Christi Sanguis?* 538. & seq. *An hypostatice Verbo uniantur?* 539.

Sapientiæ *Liber est canonicus.* 17.

Satisfactio *quid?* 559. *Satisfactio Christi fuit necessaria: qua necessitate?* 560. & seq. *Satisfactio Christi æquivalens & superabundans est.* 563. *Et quidem ex*

se. ibid. & seq. *Et infiniti valoris*. 364. & seq. *Et ex vera justitia ad strictos juris apices*. 365. & seq. *Satisfactio Christi est universalis*. 366. *Ut homo Deus satisfecit, & quidem a primo Conceptionis instanti*. 368.

Scientia *datur in Deo vera*. 124. *Discrimen inter scientiam Dei & creatam*. ibid. *Divisio scientiæ Dei*. ibid. & seq. *Deus cognoscit res per causam*. 125. *Deus possibilia cognoscit in essentia sua*. ibid. *Scientia Dei rerum omnium causa est*. 126. *Num detur scientia media in Deo?* 129.

Scriptura *est Divina*. 7. *Modi inspirationis Divinæ*. ibid. & seq. *Solv. Object. contra revelationem Scripturæ*. 10. & seq. *Libri S. Scripturæ*. 15. *Canon Hebræorum*. 18. *Canon Catholicorum*. 20. *Canon, Acatholicorum*. 21. *Vulgatæ nostræ auctoritas*. 22. & seq. *Versiones S. Scripturæ*. 25. & seq. *Lectio S. Scripturæ in lingua vulgari merito prohibita fuit*. 31. *S. Scriptura non est ubique clara*. 32. & seq. *Varii sensus S. Scripturæ*. 34. *Sensus litteralis*. 35. *Regulæ pro sensu litterali S. Scripturæ*. 36. & seq.

Semipelagianorum *hæresis & systema*. 385. & seq.

Socini *hæresis & systema*. 174. & 359.

Spinozæ *systema*. 97. *Solv. Object. Spinozæ*. 98.

Spiritus *Dei & Spiritus Sanctus idem sonat*. 168. *Spiritus Sanctus est Deus*. 179. & seq. *A Patre & Filio procedit*. 192. *Græcorum error de Processione Spiritus Sancti*. ibid. & seq. *An particula* Filioque *Symbolo bene addita fuerit?* 193. & seq. *Pater & Filius mutuo amore spirant Spiritum Sanctum*. 194. *Quare vocetur Spiritus?* ibid. *Principium quo proximum Processionis Spiritus Sancti*. ibid. & seq. *Discrimen inter generationem Filii, & Processionem Spiritus Sancti*. 195. *Spiratio hæc est necessaria, æterna, immanens*. ibid. & seq. *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti*. 196.

Status *naturæ puræ an possibilis?* 271.

Subsistentia *quid?* 203. & seq. *Quot sint subsistentiæ in Deo?* 204.

Susannæ *Historia est canonica*. 17.

T

Talmud *quid?* 39.

Theologiæ *Dogmaticæ definitio*. 1. *Nomen Theologiæ*. ibid. *Divisio Theologiæ*. ibid. & seq. *Continet articulos fidei*. 3. *Systema totius Theologiæ*. 90. & seq. *Necessitas Theologiæ*. 91. & seq. *Theologiæ Scholasticæ origo*. 92. & seq.

Theologorum *auctoritas*. 43.

Tobiæ *Liber est canonicus*. 15. & seq.

Traditio *est regula fidei.* 37. & seq. *Quotuplex?* 38. *Traditiones Judæorum.* ibid. *Protestantium sententia.* 39. *Auctoris Princ. J. P. E. sententia.* 40. & seq.

Trinitas *quid?* 201. *Fuit in V. T. cognita.* ibid. & seq. *Quibus revelata fuerit?* 202. *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis sola ratione evidenter demonstrari nequit.* 211. & seq.

U V

Valentinianorum *hæresis.* 186.

Vampirii *quid?* 223.

Vaticinium *omne a Deo datum impletur.* 164.

Venialia. *Homo justus nequit per totam vitam cum auxiliis ordinariis omnia venialia vitare.* 398. *An omnia venialia deliberata quis vitare possit & quamdiu?* 399.

Veracitas *quid?* 164. *Deus summe verax est.* ibid.

Versiones *S. Scripturæ quot, & quæ?* 25. & seq.

Virtutes *infusæ quid?* 441. *Divisio virtutum infusarum.* ibid. *Virtutes Theologicæ cum gratia sanctificante infunduntur.* ibid. & seq. *An etiam reliquæ virtutes morales?* 442.

Unio *hypostatica est realis.* 336. & seq. *Habet initium.* ibid. *Non est absolute necessaria; est indissolubilis.* ibid. *In triduo mortis Christi Verbum cum corpore & anima unitum permansit.* ibid. *Unitio personalis in ipso Conceptionis instanti facta est.* 339. & seq. *Unio hypostatica quid?* 341. *Explicatur hæc unio aliqualiter.* ibid. & seq. *Unio facta est in Persona Verbi.* 342.

Vocum *recentiorum usus in Theologia.* 89.

Voluntas *in Deo est.* 131. *Deus omne bonum vult, & malum aversatur.* ibid. *Voluntas Dei est æterna & immutabilis.* ibid. & seq. *Voluntas Dei quotuplex?* 132. *Deus nequit aliquid velle suis perfectionibus repugnans.* ibid. *Voluntas Dei est rectissima.* ibid. & seq. *Voluntas antecedens non semper impletur, bene vero consequens.* 133. *Voluntas antecedens est seria.* ibid. & seq. *Voluntas beneplaciti.* 134. *Deus vult omnes salvos fieri.* ibid. *Solv. Object. Calvini, & Jansenii.* 135. *An hoc sit de fide?* 136. *Voluntas Dei est causa rerum.* ibid. *Mala vero solum permittit.* ibid. *Permissio mali perfectioni Divinæ non officit.* ibid. & seq. *Objectum Divinæ voluntatis.* 138.

Z

Zelotypia *in Deo quid?* 168.